1 C. 5. 431

Digitized by Google

Digitized by Google

DISPUTATIO
DE SACRIS PRAVORUM
ORDINATIONIBUS
QUA VERA, VETUSQUE
ECCLESIAE DOCTRINA

A FRATRE

JO: HYACINTHO SBARALEA

ORD. MINORUM S. FRANCISCI CONV.

EST NOVIS OSTENSA, AC PROPUGNATA
MONUMENTIS.

FLORENTIAE MDCCL.
EX TYPOGRAPHIO IMPERIALI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

QUanquam ſunt omnes in Theologia quaeſtiones tam longo temporum curſu naviter excuſſae; & ſedula tantorum virorum opera, atque ſtudio ſatis, ac luculenter explicatae: difficilis tamen adhuc, ac perobſcura dici ſolet Quaeſtio de ſacris quorundam *Ordinationibus* cum ad agnitionem hujus diſciplinae pulcherrima; tum ad ſacrorum Antiſtitum religionem, & judicium perquam neceſſaria: miratuſque ſum aliquando, cur quae tamdiu diſcuſſa fuit, & abunde explanata; haec ipſa videri, ac dici poſſit a quibuſdam, iiſque nequaquam ineruditis hominibus difficilis adhuc, & implexa, tametſi quam plures certiſſimam appellent. Nam maximam fuiſſe eam, ac perdif-

ficilem, magno argumento eſt, tam varias olim de ea doctiſſimorum hominum extitiſſe, tamque diſcrepantes ſententias; ut Magiſter ipſe Sententiarum vir doctrina, ac dignitate ſummus lib. 4. diſt. 25. ſcripto tradiderit: *hanc quaeſtionem perplexam, ac pene inſolubilem faciunt Doctorum verba, qui plurimum diſſentire videntur.* Ac fuit quidem tempus, & diuturnum illud uſque ad VIII. Eccleſiae ſeculum; quo plane immota ſtetit, & ſine dubiis: quum Septima in Synodo Oecumenica magis propoſita, quam ventilata fere plagam accepit, ut veritas illic labefactata videretur. Siluitque poſtmodum ea quaeſtio ad ſexquiſeculum; quando quidam Auxilius Francus Ordinationes Formoſi Papae palam in irritum adductas ſcriptis defendere tentavit a Petro Damiani inſequenti ſeculo *Simoniacorum* cauſſa ſecutus, ni mavis, exſcriptus. Verum non multo poſt, vulgata per Gratianum Monachum celebri *diſcordantium Canonum Concordia*, res tota magnam in contentionem venit; & pluribus inter humani, Divinique juris Doctores eſt annis diſceptatum: donec XIII. ſeculo Ducibus *Theologiae Scholaſticae* in Gratiani partes deſcendentibus, facile poſthac omnes in eam iverunt opinionem; quae quo falſior eſt reipſa, hoc eſt magis ita ubique recepta, atque defenſa; ut uſque in hodiernum diem & perſeveret, & dominetur in Scholis. Sed non eſt adeo felix error, nec adeo potens, ut ſemper regnare queat: noſtrorum enim Patrum memoria vixit Joannes Morinus vir ſane doctus, ac diligens, ut illius ſcripta declarant, a nonnullis tametſi paucis illis etiam ſecutus, qui quidem veritatem, quae demum per ſe ipſa lucere ſolet, acie men-

mentis inſpexit; eamque conatus eſt oſtendere, caeteros condocefacere, & errorem animis alte imbibitum funditus evellere: verum autoritate aliorum fractus, (ut eſt quorundam natura); & omnia, quae ad id videnda erant, cum ille non viderit; optimam, quam praeclare ſuſceperat, cauſſam nec ſatis tutatus eſt, & in fine prodidiſſe videtur illis par. 3. de Sac. Ordinationib. Exercit. 5. cap. 8. verbis: *hactenus tamen nullo Eccleſiae decreto quaeſtio tam perplexa, & obſcura deciſa eſt; ſed tam multorum Doctorum concors, & tam diuturnus conſenſus nobis eſt inſtar legis*. Quo factum eſt, ut in eum poſtea contrariae ſententiae defenſores inſurgerent; & veluti victores dictis, ſcriptiſque rem acrius urgerent; ac in primis Carolus Witaſſe Doctor Pariſienſis, & Scriptor celebratus, quo nemo inſtructior in campum ad pugnandum venit, & nemo audentior: cum non tantum eos, qui aut dignitate ſunt moti, aut extra Eccleſiam depulſi; verum etiam eos, qui intruſi, & *invaſores* appellantur, dignitateſque Eccleſiaſticas rapiunt, ac profanant; ratas Ordinationes habere propugnet. Ego vero, qui tam amicus ſum veritatis, quam qui maxime; quique Quaeſtionem iſtam multum, diuque verſavi utpote affinem alteri, quam nuper evulgavi, *de Haereticorum, Schiſmaticorumque baptiſmo*; dabo operam, ut incontrarium extare prae me feram & virorum doctrina, ac dignitate clarorum, & Sanctorum Patrum, & Romanorum Pontificum, & univerſae demum Eccleſiae autoritates, atque decreta; momenta etiam rationum haud utique pauca; &, quod caput eſt, cauſſamque terminare valet, facta complura, & mani-

fe-

ſeſta: expromamque una quoque, quid cauſae fuerit; cur tam obſcura, tamque difficilis ſemper ſit aeſtimata Quaeſtio; & cur tandiu ſit in hac ipſa a tot, tantiſque viris erratum. Atque utinam, ut mihi iſta videre videor; aut etiam video; ita quemadmodum ea reperiuntur, poſſim aliis exponere: nam hujus argumenti vim ſi quis exiſtimat aut ab iis, qui Theologicis de rebus diſſeruerunt, conſcripſeruntque, ſatis expoſitam fuiſſe; aut a me poſſe exponi tam facile, ac brevi; vehementer errat: neque ſolum inſcientiam meam, ſed ne rei quidem magnitudinem ipſe perſpicit.

Quid porro (dicat aliquis) illi ne aperta non viderunt, qui propter acumen occultiſſima perſpexerunt? illi non intellexunt ea, quae abs te etiamnum intellecta eſſe confidis? At quid erat illius aetatis, quod ſciri poſſet de iis, de quibus aut nulla monumenta loquebantur; aut illis ea nunquam innotuerunt? non enim illorum culpa fuit iſta neſcire, ſed temporum; in quibus plurima ignorari pene neceſſe erat: ſequioribus autem obfuit etiam atque etiam ſuorum Magiſtrorum, quorum in verba jurarunt, autoritas; cum propterea deſierint ſuum adhibere judicium; idque ratum habuerint, quod ab iis, quos probarant, judicatum viderunt. Servierunt igitur illi temporibus ſuis, ſerviamus & nos noſtris: ſcribere namque uniuſcujuſque eſt; bene autem, non cujuſcunque, neque cujuſvis temporis. Me ſane & nonnullorum crebra commonitio, & mea erga veritatem maxima propenſio valde hortata eſt; ut ea literis mandarem, quae & utilitati multorum conducere arbitrarer; & non aliena eſſe ab ipſa

ipſa docerem veritate: multaque mihi venerunt in mentem, quamobrem iſtum laborem nobis ſi non emolumento, utilem tamen ſtudioſis putarem fore. Qua in re porro mihi non aſſentor plane; nec mihi ſumo tantum, ut plus ipſe proſpicere credam, quam alios videre, atque intelligere mihi perſuaſerim: ſed tamen quia fieri potuit, factumque eſſe reor; ut alii alia mente quidem, ac animo revolverint; putavi eſſe meum, quid hac in re nactus eſſem; quidve ſentirem, exponere: & memoriam in medium afferre cum eorum, quorum oportuit; tum illorum etiam, quorum nunquam alii fortaſſe cogitarant: quanquam id quidem licebit his exiſtimare, qui & legerint; & ſcientiam rerum harum habuerint.

Si qui ſunt autem, qui expoſtulent, quaerantve; cur in hoc Opere *Scholaſticorum* quorundam ponamus exempla, & autoritates; & candorem ſermonis illorum ſordibus polluamus; reſponſum breviter his damus ex Hieronymo: nunquam hoc quaeſituros, niſi eos totos aut Tullius, aut aliqui delicatiſſimi faſtidii poſſiderent; ſi veram Theologiam legerent, & amarent; ſi interpretes ejuſdem ſepoſitis quibuſdam evolverent. *Aſſueti enim hi dulcibus,* (inquit Lactantius lib. 6. Divin. Inſtit. cap. 21.) *& politis ſive orationibus; ſive carminibus Divinarum literarum ſimplicem, communemque ſermonem pro ſordido aſpernantur: id namque quaerunt, quod ſenſum demulceat.* Cum tamen Salamon in exordio Proverbiorum commoneat; ut intelligamus *verſutias verborum, & obſcurum ſermonem, dicta ſapientum, & aenigmata*; quae proprie Dialecticorum, & *Scholaſticorum* eſſe dicuntur. Nec mi-

mihi modo plura praefari lubet; nec etiam expedire videtur; cum reliqua, quae averi poſſunt, in Operis decurſu legi debeant: addoque ſolum, huic me *Diſputationi* nonnullas variis de rebus *Subſecivas Quaeſtiones*, quantas per locum, tempuſque licuerit, aſcripturum.

MONITUM.

IN ſine hujus Voluminis duae ſunt Quaeſtiones, quae Lectorem offendere poſſent, II. Nimirum, & VII. Ego verò neutram ex his ſententiis propugno. Sed quae in jisdem appoſui, eo dumtaxat colliment, ut Eruditi loca quaedam Auguſtini, antiquorum Canonum, atque veterum Eccleſiae Patrum Concilient. Quae item ſub initio quaeſtionis VII. de miniſtro Sacramenti Baptiſmi dixi, ita intelligenda ſunt, ut tantum praeteritam contentionem, quae diu vexavit Eccleſiam, exponant.

INDEX OPERIS
DISPUTATIO.

CAP. I. *DE Ordine, ac ordinatione ſacra; & de quarundam vocum ſignificatione.* Pag. 1.

CAP. II. *De Charactere, ac poteſtate Ordinis, an ſecernantur, ac omnino ſeparari poſſint.* 13.

CAP. III. *De illicitis Ordinationibus, ac primum eorum, qui a ſacris Ordinibus prorſus arcentur.* 41.

CAP. IV. *De aliis illicitis Ordinationibus eorum ſcilicet, de quibus diſponi poteſt aliter, ac leges ſanciant.* 53.

CAP. V. *De Ordinationibus eorum, qui Intruſi, &* Invaſores *appellantur.* 72.

CAP. VI. *De Ordinationibus* Excommunicatorum, *& Anathematizatorum.* 109.

CAP. VII. *De Ordinationibus Simoniacorum.* 121.

CAP. VIII. *De Ordinationibus Haereticorum.* 145.

CAP. IX. *De Ordinationibus Schiſmaticorum.* 175.

CAP. X. *De Ordinationibus Depoſitorum, &* Degradatorum, *nec non dignitate ſe abdicantium.* 187.

CAP. XI. *Argumenta ex SS.PP., & Conciliis ducta diluuntur.* 210.

CAP. XII. *Occurritur Argumentis DD.Theologiae Scholaſticae.* 235.

QUAESTIONES SUBSECIVAE.

QUAESTIO I. *DE Chorepiſcopis, an Epiſcopi, vel Presbyteri tantum extiterint.* 252.

QUAESTIO II. *De Diaconibus, an aliquando Sacerdotum officium uſurparint.* 272.

QUAESTIO III. *De Subdiaconibus, a quo, cur ve ſacris Ordinibus addicti.* 283.

QUAESTIO IV. *De jejunii quat. Temp. origine, ac inſtitutore.* 295.

QUAESTIO V. *Quam fidei formulam Liberius PP. in exilio ſubſcripſerit, & quo anno.* 312.

QUAESTIO VI. *De Synodo II. Arelatenſi, aliiſque duabus S. Caeſarii Epiſcopi.* 325.

QUAESTIO VII. *De Haereticorum, ac Infidelium Infantibus cum Baptiſmo in fide parentum decedentibus.* 331.

FR. CA-

Digitized by Google

FR. CAROLUS ANTONIUS CALVI

D E B O N O N I A

ARTIUM, ET SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR

Totius Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium poſt Seraph. Patriarcham Miniſter Generalis LXXXV.

C*Um opus, cui Titulus* = De Sacris Pravorum Ordinationibus &c. = *a Patre Magiſtro Joanne Hyacintho Sbaralea Definitore perpetuo compoſitum duo Ordinis noſtri Theologi juſſu noſtro recognoverint, & in lucem edi poſſe teſtati fuerint: facultatem impertimur, ut Typis tradatur; ſi iis, ad quos attinet, videbitur. In quorum &c.*

Dat. Romae die 8. *Auguſti* 1750.

Fr. Carolus Antonius Calvi Min. Gen. Ord.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Franciſcus Ant. Martinelli de Parma Profeſ. Ord.

E*Gregium Opus, cui titulus* „ Diſputatio de Sacris Pravorum Ordinationibus &c. „ *ab Admodum Rev. Patre Joanne Hyacintho Sbaralea Ordinis Min. Conv. Sacrae Theologiae Magiſtro ſingulari doctrina elaboratum, ac penè innumeris Sacrorum Canonum monumentis, Sanctorumque Patrum teſtimoniis fulcitum juſſu Reverendiſſimi Patris Magiſtri Caroli Antonii Calvi noſtri ejuſdem Ordinis Miniſtri Generalis attente, ac maxima animi voluptate perlegimus: & cum in eo nihil offenderimus Catholicae fidei, aut honeſtiſſimis moribus diſſonum; ideo digniſſimum eſſe cenſemus, ut ad publicam Litteratorum hominum utilitatem in lucem prodeat. In quorum fidem &c.*

Dat. Florentiae in Conventu noſtro S. Crucis die prima Auguſti 1750.

Fr. Leonardus Donnini Ord. Min. Conv. Ex Provincialis, & in Piſana Univerſitate Sacrae Theologiae Profeſſor.

Fr. Joannes Paulus Jacopini Ord. Min. Conv. Sac. Theol. Prof.

Digitized by Google

DISPUTATIONIS

CAPUT I.

De Ordine, ac ordinatione ſacra; & de quarundam vocum ſignificatione.

I. Quoniam quidem omnis, quae nunc a nobis inſtituitur, Diſputatio de Ordine, ac Ordinatione ſacra futura eſt; praeſtat ante definire, vel ex aliis utriuſque definitiones afferre: non quod ignorare alios arbitrer; & ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſſeratur; ſatis enim conſtat, quid ſit uterque: ſed ut & ratione, ac via procedat oratio; & quaedam, quae nec prorſus diſcuſſa videntur; nec omni haeſitatione ſoluta; magis hoc loco explicentur; & clarius etiam omnibus innoteſcant. Primus igitur, quod ſciam, Hugo Victorinus in Summa Sacram; eumque ſecutus Magiſter Senten. in 4. diſt. 24. inquit: *Ordo dici poteſt ſignaculum eſſe, ideſt ſignum quoddam, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato, & officium: character ergo ſpiritualis, ubi ſit promotio poteſtatis, ordo, vel gradus vocatur*. Sed Gulielmus Antiſiodorenſis, & Gaufridus Pictavienſis ita definierunt: *ordo eſt gradus eminens in Eccleſia diſponens ad actum aliquem ſacramentalem exequendum*: aitque Jo: Scotus, eorum eſſe, qui Epiſcopatum Ordinem eſſe ſtatuunt. Poſt hos Gulielmus Pariſienſis Epiſcopus de Sacramento Ordinis cap. 1. ſcripſit: *Ordo eſt ſanctitas prima,*

ſive ſanctificativa, qua Divino cultui exercendo, qui ſanctificatur, adſcribitur; & quodammodo intitulatur; ut in numero Miniſtrorum ejuſdem deinceps habeatur: primam autem ſe ſanctitatem ait intelligere, quae tam in hominibus ſanctificatis, quam Vaſis, ac Templis nulla pollutione, ac profanatione tollitur; quam & *characterem* etiam eſſe dicit ſecundae ſanctitatis, ſeu gratiae gratum facientis.

II. Exinde S. Thomas in 4. d. 24. q. 3. art. 3. habet: *Ordo nihil aliud eſt, quam quidam poteſtatis gradus in ſpiritualibus diſpenſandis*; & art. 2. §. ad 2. arg. dixerat, quod *Ordo principaliter poteſtatem importat*: in ſecundo autem ſcripto ad Hannibaldum, ſeu Hannibaldus ipſe ejus diſcipulus ibi art. 1. §. ad 1. arg. *Ordo non dicitur hic habitudo diverſorum; ſed poteſtas, per quam quis ſuper alios conſtituitur: vel ritus, in quo confertur talis poteſtas*. Sed & S. Bonaventura eodem loco q. 2. art. 2. p. 1. ſcribit: *dicitur Ordo ordinata poteſtas, ſecundum quam ipſum ſubjectum potens habet ordinari dupliciter ſcilicet ad opus, ſive miniſterium &c., hanc autem poteſtatem dicimus Ordinis Sacramentum*: vel ut aliqui volunt apud Scotum dixiſſe eum: *Ordo eſt poteſtas ſpiritualis ad aliquem actum ſpiritualem exequendum in Eccleſiaſtica Hierarchia*. Richardus vero Mediavilla art. 3. q. 2. ejuſdem libri 4. d. 24. dicit: *Ordo dupliciter poteſt accipi, vel pro ritu, ſeu ſigno, quo traditur poteſtas ordinato, vel pro ipſa poteſtate tradita: primo modo eſt ſacramentum tantum; ſecundo modo eſt ſacramentum, & res*: nec multum ab his diſcedit Durandus Meldenſis Epiſcopus, dum q. 1. n. 7. idipſum perhibet, ac ſubjungit: *Ordo eſt ſpiritualis poteſtas, vel deputatio ad diſpenſationem Sacramentorum*. Porro nonnullos horum conſtat definire ordinationem, aliquos vero Ordinem; & aliquos utrumque: nam ipſa nomina ſaepe confundi ſolent, & alterum accipi pro altero; cum tamen *ordinatio* reapſe ſit actio, qua confertur *Ordo;* & ordinatio fiat, non detur; detur autem, non fiat Ordo: ſicut & ordinatio tranſit; permanet autem Ordo: de quo Zoſimus Papa Epiſt. 1. ad Heſychium Salonitanum Epiſcopum ait: *hinc paſſim numeroſa popularitas Presbyterorum... dum Parochias extendi cupiunt; aut quibus aliud praeſtare non poſſunt, divinos ordines*

lar-

largiuntur: Autor vero libri Pontificalis ſemper ſcribit: *hic fecit ordinationes &c.*

III. Poſtremo Jo: Scotus, qui omnium curioſius res cribrare cenſetur, q. 1. art. 1. ejusdem loci ſic habet: *Ordo eſt gradus praeeminens in Eccleſia diſponens ad actum aliquem Eccleſiaſticum*: & poſtea ſpecialius, inquit: *eſt gradus diſponens ad aliquem actum ſacramentalem*: quae eſt Ordinis ſecunda definitio ſupra commemorata: art. vero 3. *ordinatio* dicitur ab eo *inſtitutio alicujus in gradu Eccleſiae praeeminente, cui convenit aliquod miniſterium &c.* Et quamvis videatur aſſerere aliquando, Ordinem non eſſe poteſtatem; loquitur tunc ipſe de ordine pro ordinatione accepto, non de ordine proprie ſumpto: nam Jo: Baſſolius ejus diſcipulus, ac fidelis interpres inquit: *dico, quod Ordo ſecundo modo non eſt Sacramentum; ſed magis poteſtas, vel gradus exequendi aliquem actum ſacramentalem in Eccleſia*: & Gulielmus Rubion alter ejus diſcipulus, poſteaquam Ordinis definitionem a Scoto ſcriptam in medium attulit, ſubdidit: *ex hoc ſequitur corollarie, quod Ordo non eſt proprie Sacramentum; quoniam non eſt aliquod ſenſibile ſignum, ſed tantum poteſtas congrue exercendi aliquem actum, ut praedictum eſt*. Quo quidem modo intelligi debet & Alexander Alenſis, quando par. 4. q. 21. mem 4. ait: *quod Ordo non eſt poteſtas; tamen multiplex poteſtas eſt annexa Ordini conſequenter ſe habens*: nam q. 9. mem. 5. art. 3. dixerat in collatione Ordinis conferri *auctoritatem poteſtatis ordinatae*. Qua in re & recte, praeclareque Vaſquez in 3. par. S. Thom. to. 3. diſp. 235. cap. 3. contra Sotum tuetur, ipſum Scotum non negaſſe hoc Sacramentum; ſed Ordinem ab ordinatione probe diſtinxiſſe ita, ut *Ordo* ſit gradus ipſe, ſeu poteſtas tradita: *ordinatio* vero actio, qua poteſtas ipſa traditur; & cum Scoto convenire Almainum. Hinc Fraſſen nuperus ejusdem Scoti interpres ita ſcriptum reliquit: *Ordo eſt Sacramentum novae legis, quo ſpiritualis poteſtas ordinato tribuitur ad rite peragendum aliquod miniſterium circa Divinam Euchariſtiam conficiendam, vel miniſtrandam*.

IV. Ex quibus illud elicitur, & naturam Ordinis eſſe *poteſtatem*; & Ordinem ipſum tripliciter ſumi poſſe: primo pro ipſa *poteſtate* ſpirituali, quemadmodum unaquaeque res

Digitized by Google

per ſuam intelligitur naturam: ſecundo pro ritu, actione, ac ſigno, quo ipſa traditur poteſtas, ſive pro *ordinatione*, quae proprie Sacramentum eſt ex Scoto ſupra relato art. 3., quare ſacra Tridentina ſynodus ſeſſ. 23. can. 3. ſanxit: *ſi quis dixerit Ordinem, ſive ſacram ordinationem non eſſe vere & proprie Sacramentum ... anathema ſit*. Tertio ſumi poteſt pro *charactere* illo, quem ſemel impreſſum indelebilem affirmant; quemque Eugenius IV. in decreto pro Armenis appellat *ſpirituale quoddam ſignum a caeteris diſtinctivum in anima indelebile*: ſigna namque pro re ſignata non ſemel enunciari liquet etiam ex Svetonio in Octavio Auguſto n. 71. ubi tradit: *Talis enim jactatis, ut quiſque Canem, vel Senionem miſerat, in ſingulos Talos ſingulos denarios in medium conferebat; quos tollebat univerſos, qui Venerem jecerat*. Plane figuram hominis, & Equi, ac cujuſcunque rei hominem, & Equum dicere ſolemus; cur igitur figuram, ſeu characterem Ordinis Ordinem interdum non appellabimus? Et quid aliud innuit S. Auguſtinus lib. 2. contra Parmen. cap. 13. illis verbis: *cum videamus nec Apoſtatas carere Baptiſmate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non reſtituitur; & ideo amitti non poſſe judicatur:* niſi Baptiſmi characterem? nil aliud enim retinent Apoſtatae niſi Baptiſmi characterem; & nihil aliud amittere non poſſunt; aut ipſis non reſtituitur, niſi character: praeſertim cum praemiſerit: *an forte minus baerent Sacramenta Chriſtiana, quam corporalis baec nota* militaris? & Epiſt. 138. al. 5. ad Marcellinum ſcripſerit: *ſigna, cum ad res Divinas pertinent, Sacramenta appellantur*: etſi Jo: Scotus his Auguſtini locis non characterem hunc, ſed alterum, ſubde *ordinationem* ipſam indigitari putet; de quo dicetur poſtea.

V. Ut autem non omnis, qui baptizatus eſt, & *characterem Baptiſmi* habet, Chriſtianus eſt, ut Apoſtatae, & ficte ad Baptiſmum accedentes: ita nec omnis, qui ordinatus eſt, & *characterem Ordinis* ſacri tenet, Sacerdos eſt, aut Clericus, ut iidem Apoſtatae, & ficte ordinati, aliique, de quibus paulopoſt erit ſermo. S. enim Auguſtinus ſerm. XI. de verbis Domini ait: *ſed nec ille dicendus eſt eſſe in Eccleſia, & ad iſtam ſocietatem ſpiritus pertinere, qui ovibus Chriſti corporali tantum commixtione ficto corde miſcetur: ſanctus enim ſpiritus di-*

diſciplinae fugiet fictum. Quippe quod ſolus *Ordinis character* Clericum non facit; ſed ſignum eſt, aliquem eſſe, vel fuiſſe, aut fore Clericum, ſive ſignum praeſentis, vel praeteritae, aut futurae dignitatis, poteſtatiſque Clericalis: quemadmodum ſolus *Baptiſmi character* chriſtianum minime conſtituit, ſed ſignum eſt aliquem eſſe, vel fuiſſe, aut fore chriſtianum, ſive ſignum extantis fidei, ut in fide Chriſti praeditis; vel praeteritae, ut in Apoſtatis; aut etiam futurae, ut in aliquo modo ficte ad baptiſmum accedentibus, & ſine fide: nemo enim ſine fide Chriſti chriſtianus exiſtit; quod ſi non chriſtianus; neque igitur Sacerdos, neque Clericus erit. Porro *character* ideo nunquam aufertur, ac indelebilis aſſeritur, quia Deus ita vult, ut recte vidit Scotus 4. d. 6. q. 9. Deum autem ita velle, non caret ratione; quandoquidem ut in bonis miniſtris ad gloriam, & utilitatem ineſt character; ita in malis, ac perverſis ad ignominiam, & poenam remanet; ipſiſque ſolis obeſt, non autem aliis: *dignitas* vero propterea tollenda eſt, quod aliis nocere poſſet; deinde non prae ſe poenam, & ignominiam fert, ſed decus, & honorem. Unde S. Auguſtinus Epiſt. 167. al.: contra Donatianos inquit: *non ſacramenta, quae ſimiliter acceperunt, quae ad poenam ſuam portant, & habent, quanto indignius habent, ſed tamen habent*: & lib. 2. in Parmen. cap. 13. *utrumque quidem ad perniciem ſuam, quamdiu charitatem non habent unitatis, manebit ad poenam uſurpatoris ... ſed in bonis permanent ad praemium, in malis permanent ad judicium*: cap. vero 16. *perverſum ergo non potes adornare; quia non ei ad ornatum valeret Sacramentum, quod acceperat, ſi in fide perverſa perſiſteret; ſed potius ad ſupplicium*: & lib. de bono conjug. cap. 24. n. 32. *Sacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamvis ad judicium permanente*. Cum igitur ſacro Ordine inſignitus ſit aut bonus, aut malus; ideoque aut praemio, aut poena dignus; utrique parti *character* inſervire poteſt; quapropter non eſt, cur unquam auferri debeat.

VI. Et ſicut ſola, aut potiſſima Dei, atque adeo Eccleſiae voluntate ſtatuitur *character*, indelebilis; ita ſola, praecipuaque Eccleſiae autoritate decernitur *ordinationem* iterari non poſſe; eo quod iſtud ipſum pendet ab illo: nam Eugenius IV.

in decreto pro Armenis ait: *inter haec Sacramenta tria ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quae characterem, ideſt ſpirituale quoddam ſignum a caeteris diſtinctivum imprimunt in anima indelebile; unde in eadem perſona non reiterantur*: & Concilium Trident. ſeſſ. 7. can. 9. credendum edixit, *characterem eſſe ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt*. Scilicet non pauca habentur in Eccleſia Dei, quae aliqua quidem conſecratione, aut benedictione conferuntur, nullo charactere impreſſo; attamen cum defecerint ii, qui receperunt; aut exauctorati fuerint; ſi revocantur; vel priſtino gradui, ſive miniſterio reſtituuntur; non iteratur eorum ordinatio; nec iterum illi conſecrantur, aut benedicuntur; uti Rex, Abbas, Monachus, Monialiſque, & benedictio nuptialis, atque nonnulla alia hujuſcemodi, de quibus S. Thomas in 4. d. 2. q. 1. art. 2. §. ad 9. dicit, *quod ad quamlibet eminentiam ſtatus datur aliqua ſanctificatio; cum ſit ibi neceſſarium ſpeciale auxilium gratiae, ſicut in conſecratione Regum, & Monachorum, & Monialium; & ideo ſunt actiones hierarchicae; & propter hoc Dionyſius de eis determinat: non tamen habent rationem Sacramenti, ſed ſolum illam eminentiam, per quam homo efficitur ſacrorum diſpenſator*. Viſus eſt quidem Alexander Alenſis aliquam aſſignaſſe cauſſam, quum 4. par. q. 14. mem. 6. art. 2. de *Poenitentia* publica non iteranda §. ad 2. inquit: *ipſa ſolemnitas dicit quandam confirmationem, & excellentiam, propter quod repugnat, ut in quantum ſolemnis iteretur: quod enim ſolemniter fit, perpetuitatem importat; & ideo repugnat ei mutabilitas, & per conſequens iterabilitas*: tamen & Vaſquez tom. 3. in 3. par. S. Thomae diſp. 237. cap. 3. n. 39. docet, multa haberi ſola Eccleſiaſtica conſtitutione in Eccleſia introducta, *quae iterare non licet, qualis eſt conſecratio Eccleſiae, Altaris, & Calicis; benedictio etiam Eccleſiae, & veſtium ſacrarum*.

VII. Cum itaque, ut dictum eſt, ſacer Ordo potiſſimum, ac principaliter *poteſtatem* ſignificet; poteſtas autem ſit quidam *gradus, honor, dignitas, & officium*: omnia haec ipſe Ordo etiam ſit oportet; etſi non e converſo. Quocirca perſaepe fit, ut Ordinis loco memoretur modo gradus, modo dignitas, & honor, & modo officium: Optatus enim Milevitanus

Epi-

Epiſc. lib. 2. contra Parmen. n. 24. ſcribit: *inveniſtis Diaconos, Presbyteros, Epiſcopos, feciſtis Laicos... quid prodeſt, quia vivunt homines; & honore a vobis occiſi ſunt? Valent quidem membris, ſed ereptae portant funera dignitatis*: & n. 25. *Vixerunt poſtea homines; ſed a vobis occiſi ſunt in honoribus Dei ſacerdotes*. S. etiam Auguſtinus lib. 2. contra Parmen. cap. 13. de Donatiſtis habet: *cum expedire hoc judicatur Eccleſiae, ut... honores ſuos non adminiſtrent; non eis tamen ſacramenta ordinationis detrahuntur*: & Epiſt. 61. ad Theodorum teſtatur, *Donatiſtas Clericos* ad Eccleſiam venientes a ſe recipi, *ut non ſolum baptiſmum Chriſti, quem acceperunt, ipſum habeant; ſed etiam honorem*, ideſt *ordinem* Cleri. Chalcedonenſe Concilium cum can. 2. ſanxerit: *ſi quis Epiſcopus propter pecunias ordinationem fecerit... de proprio gradu in periculum veniat; & qui eſt ordinatus... ſit a dignitate, vel officio alienus*: Toloſana Synodus anno 1056. idipſum confirmans ait can. 1. *ſit alienus ejus dignitatis, & ordinis, quem per pecuniam acquiſivit*: ubi officium, & ordinem liquido conſtat idem eſſe: ita privari *officio* idem interdum eſſe, ac removeri e Clero, colligitur ex c. *Praeterea*, nec non ex c. *Quoniam* tit. ne Praelati vices &c. Interdum vero *officium* ſumi ſolet pro miniſterio, ac opere, ut habet prima Ordinis definitio, quam ſupra retuli; & Concilium Melphit. anno 1089. ſub Urbano II. can. 12. inquiens: *eos, qui in Subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni ſacro Ordine removemus; officio, atque beneficio Eccleſiae carere decernimus... ſi vero Epiſcopi conſenſerint eorum pravitatibus; ipſi officii interdictione multentur*. Quibus accedit id, quod S. Thomas 4. d. 24. q. 3. art. 2. ac in ſupplem. 3. par. q. 40. art. 5. tradit, ordinem ſumi poſſe dupliciter, uno modo ut eſt *Sacramentum*; altero vero ut eſt *officium* reſpectu quarundam actionum ſacrarum; quo quidem modo Epiſcopatum Ordinem eſſe dicit; idque habet & S. Bonaventura eodem loco: ut omittam, quae Balſamon Graecus tradit.

VIII. Praeter haec autem quotieſcumque in hujus diſputationis argumento dicitur *illicitum* (ſaepe ſaepius enim occurrit) non continuo intelligatur oportet id, quod minus decenter fit, ac minus ordinate; firmiter tamen valere, ac ra-

ratum haberi dicitur; ut a pleriſque ſolitum obſervavi; ſed ſaepe numero contra. Quoniam ſi quod *licitum* eſt, id profecto dicitur eſſe, quod jure fit, aut fieri poteſt: igitur quoque *illicitum* interdum erit, quod nullo modo, nulloque jure fit, aut fieri poteſt. Cicero ſane ad Atticum Epiſt. 1. lib. 2. ſcripſit: *quod nihilo magis ei liciturum eſſet plebejo Rempublicam perdere, quam ſimilibus ejus me Conſ. patriciis eſſet licitum*: & Philip. Orat. 13. *quid vero magis vituperandum, quam id facere, quod non liceat? licet autem nemini contra patriam ducere exercitum: ſiquidem licere dicimus, quod legibus, quod more majorum, inſtitutiſque conceditur: neque enim quod quiſque poteſt, id ei licet*: & alio in loco: *neque enim licebat locum Numini conſecratum turpi flagitio contaminare*: lib. vero 5. Tuſculan. quaeſt. *etſi peccare nemini liceat; ſed ſermonis errore labimur: id enim licere dicimus, quod cuique conceditur*: ut & in Parad. 3. & in Orat. contra Lullum: *aliquanto ſerius quam per aetatem, ac per leges liceret*: Ulpianus etiam de manum. l. *cum per leges licebit, liber eſto*: & Quintilianus Inſtit. lib. 4. cap. 4. *Procuratorem tibi eſſe non licuit*: numquid autem ille, ſi ante legis tempus egiſſet, liber fuiſſet? aut hic Procurator, ſi ſibi id muneris uſurpaſſet? nullo modo: nam *quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi* ex 64. Regula juris. S. etiam Thomas 22. q. 8. art. 1. diſcrimen quoddam adduxit §. *Reſpondeo* inquiens: *quod aliquid dicitur alicui non licere dupliciter: uno modo quia habet in ſe, quod contrariatur ei, quod dicitur non licere; ſicut nulli homini licet peccare ... & hoc modo dicitur alicui non licere praedicare, vel docere, vel aliquid hujuſmodi facere; quia habet in ſe aliquid, quod his repugnat vel ratione praecepti ... vel propter peccatum ... alio modo dicitur aliquid non licere alicui non propter contrarium, quod habeat; ſed propter hoc quod deficit ei, unde illud poſſit; ſicut Diacono non licet Miſſam celebrare, quia non habet Ordinem Sacerdotalem &c.* Scotus vero in 4. d. 25. q. 2. §. *Hic breviter* dicit; non poſſe ſuſcipere Ordinem poſſe *intelligi tripliciter; videlicet vel non poſſe debite, & honeſte; vel non poſſe licite, quia eſt contra praeceptum; vel nullo modo poſſe etiam de facto ita, quod ſi attentetur fieri, nihil fiat.*

IX. Sed

IX. Sed hoc ipſum magis elucet ex antiquis, ſacriſque Eccleſiae ſcriptoribus, & ex Conciliis, ex quibus apparet, *illicitum* etiam illud eſſe, ac dici, quod ſit repugnante jure, & aequitate; factumque ipſum irritum eſſe, ac nullum, inane, vacuum, invalidumque pronunciatur. Sic Marci 6. dicitur Herodi a Jo: Baptiſta; *non licet tibi habere uxorem fratris tui:* & Firmilianus Caeſarienſis in Cappadocia Epiſcopus Epiſt. ad S. Cyprianum, quem conſtat una cum illo ſenſiſſe, invalidum, nullumque fuiſſe Hereticorum baptiſma, ſcribit: *Haeretico enim ſicut ordinare non licet, nec manum imponere; ita nec baptizare ... poſt inlicitam, & profanam eorum tinctionem baptizare dubitemus?* S. etiam Cyprianus Epiſt. ad Jubajanum: *unde intelligimus nonniſi in Eccleſia Praepoſitos, & in Evangelica lege, ac Dominica ordinatione fundatos licere baptizare.* Sed & Concilium Carthaginienſe I. ſub Grato Epiſcopo anno 349. can. 1. habet: *Illicitas eſſe ſancimus rebaptizationes, & ſatis alienum a ſincera fide*: quod confirmarunt & Capuenſe anno 389. & Carthaginienſe III. anno 397. c. 38. illis verbis: *non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Epiſcoporum.* Similiter Siricius Papa Epiſt. 1. ad Himerium Tarracon. Epiſcopum de quibusdam ab Arianis baptiſmate initiatis; & ad Eccleſiam Catholicam venientibus, an rebaptizandi eſſent, ſciſcitantibus reſcripſit: *quod non licet; cum hoc fieri & Apoſtolus vetet, & Canones contradicant*: & S. Auguſtinus lib. 2. contra Parmen. cap. 13. de Sacramentis Baptiſmi, & Ordinis ait: *utrumque enim Sacramentum eſt; & quadam conſecratione utrimque homini datur; illud, cum baptizatur; iſtud, cum ordinatur: ideoque in Catholica Eccleſia utrumque iterari non licet.* Denique Concilium Hiſpalenſe II. anno 619. celebratum c. 5. ita effatur: *ſicut Presbytero illicita conſecratio eſt Altaris, ita & conſtitutio ... ſiquidem nec licere eis Eccleſiam, vel Altarium conſecrare ... haec enim omnia illicita eſſe Presbyteris; quia Pontificatus apicem non habent, quem ſolis deberi Epiſcopis auctoritate Canonum praecipitur*: ut quamplura alia omittam.

X. Primus omnium, quod legerim, inter ſcriptores Eccleſiaſticos (ut S. Ignatii Mart. Epiſtolam ad Smirnen. praetermittam edit. Voſſ. & Uſſer., quae habet: *non licitum eſt ſine Epi-*

Epiſcopo neque baptizare, neque agapen facere:) Cornelius Papa *illicitum* uſurpavit, velut quod indecenter fit, ac inordinate, ſed tamen *valide;* quum Epiſt. ad Fabium Antiochenum Epiſc. apud Euſebium Hiſt. lib. 6. cap. 35. de Novatiano in Presbyterum aſſumpto contra Cleri, ac plebis conſenſum, *quoniam*, inquit, *minime licebat quemquam in lecto propter morbum baptizatum, ſicut huic contigerat, in Clerum aſſumi*. Poſt hunc S. Auguſtinus lib. 2. contra Parmen. cap. 13. Laici extra neceſſitatem baptizantis actionem *illicitam uſurpationem* appellat; & illum *illicite* dare, & alium *illicite* accipere; baptiſmum tamen valere non diffitetur. Tandem S. Iſidorus lib. 2. Offic. cap. 24. hoc modo loquitur: *conſtat Baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum; ejuſque myſterium nec ipſis Diaconis explere eſt licitum abſque Epiſcopo, vel Presbytero; niſi &c.* Plurimae leguntur ejuſcemodi autoritates tum Conciliorum, tum Romanorum Pontificum, tum SS. Patrum, Doctorumque, quas referre omnes ſupervacanaeum exiſtimavi; cum ex allatis abunde conſtet, *illiciti* vocabulum etiam ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus modo uſurpatum eſſe pro eo, quod irritum eſt, inane, inefficax, ac omnino nullum; nuncque in ſcholis *invalidum* appellari ſolet; modo vero pro eo, quod indecenter, ac inordinate, minuſve honeſte fieri contingit, ſed tamen valet: id quod etiam ea, quae poſthac fuſius dicentur, plenius manifeſtum facient. Atque quidem mihi iſtud hoc dicendum fuit, quod legerim pleroſque ex recentioribus rerum theologicarum ſcriptoribus; qui vocem hanc *illicitum* a priſcis adhibitam non verentur, etiam cum non oportet, nec debet, pro indecenti, ac inordinato dumtaxat ſemper interpretari, ac uno tantum modo dici.

XI. Oppoſitum autem accidit in verbo *irritum*, quod ſaepiſſime in hac ordinis diſputatione memoratur; & quod plerique, vel etiam omnes affirmant ſignificare modo nullum, ac invalidum omnino; modo dumtaxat nullum quantum ad effectum, & executionem, vel quantum ad alios; non quantum in ſe eſt, & ad naturam rei: idque diſcrimen primus invexit Gratianus ad c. *Quod quidam* 1. q. 1., poſtquam multum haeſitaſſet; neſciretque, quid ſibi ad autoritates Auguſtini reſpondendum eſſet. Sed cum ſcriptores omnes, ac uni-

univerſa Eccleſia unanimi conſenſu vocem hanc *irritum* aliud nihil ſignificare dixerint, quam vacuum, inane, nullum, ac nullius omnino momenti, valoriſque in ſe, nec non pro non facto; cur ſolum in ordinationibus ſacris ſignificare dicetur nullum, ac inane tantummodo quantum ad effectum, & exercitium, & non itidem quantum ad ſe, & ad naturam ordinis? idque etiam in quibusdam ordinationibus, in quibusdam vero non? Quis unquam dixit *Baptiſmum* irritum, *Matrimonium* irritum &c., qui non autumaverit illud omnino nullum in ſe, & quantum ad illius naturam, & eſſentiam? ſi tam falſae, quam verae ordinationes perhibentur interdum irritae, & inanes; quando nam dignoſci poterit, utrum iterandae ſint, an non? C. *Archiepiſcopus* diſt. 66. de ordinationibus Epiſcoporum habetur, ut *Archiepiſcopus* ab omnibus *ſuffraganeis* ordinetur: *ſin aliter praeſumptum fuerit, viribus carere non dubium eſt; quia irrita erit ejus ordinatio*: eſt igitur *irritum* id, quod nunc *invalidum* Theologi appellant, viribuſque caret. At eſt ex Epiſt. Aniceto PP. ſuppoſita: Utique; ſed tamen antiqua, & quae vim hujus vocabuli probe demonſtrat: & quanquam ordinatio Archiepiſcopi a non *ſuffraganeis* facta antiquitus etiam alicubi valida cenſebatur; id tamen variam Eccleſiarum diſciplinam, & varium temporum morem ſpectat. Similiter cum Concilium Trident. ſeſſ. 23. de Sacramento Ordinis cap. 4. edixit: *docet inſuper ſacroſancta Synodus in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & caeterorum Ordinum nec populi, nec cujuſvis ſecularis poteſtatis, & Magiſtratus conſenſum, ſive vocationem, ſive auctoritatem requiri, ut ſine ea irrita ſit ordinatio*: an non hoc loco irrita intelligitur ordinatio non modo quantum ad effectum & alios; verum etiam in ſe, & quantum ad ejus naturam? cur igitur ita non erit & aliis in locis? ut omittam illud ejusdem Concilii ſeſſ. 24. de Reform. c. 1. de *Matrimoniis Clandeſtinis*.

XII. Ac fuit quoque, qui ad illud Nicolai I. & Urbani II. c. *de caetero*, & *ſi qui* 1. q. 1. de Simoniacis apud Sco. 4. d. 25. q. 1. art. 2. §. *ad argumenta in oppoſitum* ad primum, reſponderet: „ concedo, quod Simoniaci ordinatio eſt *irrita* quantum ad executionem; tamen ordinem recipit; & ideo non indiget, niſi ut ejus *ſuſpenſio* relaxetur „: perinde ac ir-

irritum declarare ſit ſuſpenſionem inferre; vel una ſuſpenſione percelli. Sed primum refellitur a Concilio Lateran. III. anno 1179. coacto; ubi can. 2. ſancitum fuit: *Ordinationes ab Octaviano, & Guidone Haereſiarchis factas, & ab ordinatis ab eis irritas eſſe cenſemus... Illos verò, qui ſponte juramentum de tenendo ſchiſmate praeſtiterint, a ſacris ordinibus, & dignitatibus decrevimus remanere ſuſpenſos*. Deinde Urbanus II. tradidit aperte, quidnam ſit *irritum* in ſacris maxime ordinationibus; dum Epiſt. ad Metenſem Eccleſiam de quodam Simoniace ordinato ſcripſit: *nos Spiritus Sancti judicio irritum eſſe cenſemus; ut eosdem Ordines ab aliquo ſortiatur Epiſcopo Catholico &c.*: ut fuſius idipſum paulopoſt oſtendetur. Propterea quod ſi illud, quod *ratum* eſſe dicitur, tale profecto non erit in executione, atque affectu, niſi ſit etiam in ſe tale: igitur, quoniam oppoſitorum eadem eſt diſciplina, nec *irritum* erit aliquid quantum ad effectum, & executionem, quin etiam ſit in ſe tale.

XIII. Concilium plane Lateran. II. ſub Inno. II. anno 1139. can. 28. hoc ſtatuit: *Obeuntibus ſane Epiſcopis... ne Canonici de Sede Epiſcopali ab electione Epiſcoporum excludant religioſos viros... Quod ſi excluſis eisdem religioſis electio fuerit celebrata; quod abſque eorum aſſenſu, & convenientia factum fuerit, irritum habeatur, & inane*: extatque c. *Obeuntibus* diſt. 63., c. vero *In Geneſi* tit. de Electione Innocentius III. inquit: *praemiſſam electionem utpote contra formam Concilii attentatam decernimus irritam, & inanem*: & Epiſt. 444. lib. 1. Upſalenſi in Suetia Epiſcopo data de tribus illegitimo thoro genitis ad Epiſcopatum promotis, quorum duo jam conſecrati fuerant, tertius vero ſolum electus, ait: *Epiſcopos illos a Pontificali officio... noſtra fretus auctoritate deponas; & electionem tertii decernas irritam, & inanem*. Quibus locis an non *electio* pronunciatur irrita prorſus, & omnino & quantum ad effectum, & quantum ad eſſentiam? igitur & *ordinatio* ſimiliter, quoties *irrita* dicta invenitur. Sic & cum dicitur *inefficax*, idem eſt ac irritum; ut habet Synodus Palmaris, ſeu IV. Symmachi Papae c. 2. *Si quis vero aliquid eorum* (praediorum Eccleſiaſticorum) *alienare voluerit; inefficax, atque irritum judicetur*: & Capitu-

tulare Aquiſgran. Caroli Magni anno 787. ordinationem eam appellat *inefficacem*, quam Canon 6. Chalcedon. Concilii dixerat *irritam*, & invalidam; ſicut & Nicolaus I. ordinationem Photii *inefficacem*, & Photio *nihil praeſtantem*; uti Cap. V. n. 25. videbitur.

C A P U T II.

De charactere, ac poteſtate Ordinis; an ſecernantur, ac omnino ſeparari poſſint.

I. ETſi character, quantum ad inſtitutum attinet ſermonem, multifariam dictus inveniatur; cum Scotus 4. d. 6. q. 9. art. 1. ſcripſerit; *generalius autem accipitur character pro ſigno; & hoc modo Baptiſmus poteſt dici character, quia ſignum quoddam eſt: forma etiam verborum in Sacramento aliquo poteſt dici character: ſicut Magiſter loquitur de charactere diſt. iſta, ut dictum eſt q. praecedenti 7.*, & Magiſter ſenten. 4. d. 24. habeat: *Character ergo ſpiritualis, ubi ſit promotio poteſtatis, ordo, vel gradus vocatur*: ipſaque ordinatio, ſive Ordinis collatio externi characteris nomen interdum obtineat: tamen in praeſentia verba facienda erunt de interno charactere illo, quem *ſignum quoddam ſpirituale, & in anima indelebile* vocant & Eugenius IV., & Patres Tridentini Concilii ſupra n. 6. commemorati; is enim communi characteris nomine in hac Ordinis diſſertatione venire ſolet, & in ipſius Ordinis deſcriptione poni: propterea quod Ordo, vel *Ordinatio* ſacra poteſt, ſoletque ita deſcribi *Sacramentum novae legis, quo alicui poteſtas traditur; character imprimitur; & gratia ad quaedam munia Eccleſiaſtica obeunda confertur*: cui conſonat Catechiſmus Romanus, ſeu Tridentinus illis par. 2. cap. 7. n. 10. verbis: *cum Sacramentum ſit rei ſacrae ſignum; id vero, quod hac conſecratione extrinſecus fit, gratiam, & poteſtatem ſignificet, quae illi tribuitur, qui conſecratur ... accipe poteſtatem offerendi ſacrificium &c.: quibus verbis ſemper docuit Eccleſia, dum materia exhibetur; poteſtatem conſecrandae Euchariſtiae, chara-*

cte-

ctere animae impreſſo, tradi; cui gratia adjuncta ſit, ad illud munus rite, & legitime obeundum: ubi clare poteſtas, & character ſecernuntur.

II. Tria itaque cum dentur ſacra in ordinatione; qui quoque dici conſueverunt Ordinis effectus; quorum primus, ſcilicet *poteſtas*, proprius eſt; ſecundus, ideſt *character*, partim proprius, partim communis; tertius vero, *gratia* nimirum, prorſus communis omnibus Sacramentis: inter omnes convenit Catholicos quidem illos, *gratiam* facile deperdi: *characterem* nunquam ipſum deleri: ſed de *poteſtate* video dubium eſſe, utrum ab ordinato auferri poſſit, an non. Propter quid enim omnes fere Theologiae doctores verbo, ſcriptoque propugnant, Haereticos, & Apoſtatas, nec non ordine nudatos, graduque ſacro motos *valide* conferre Ordines, & Sacramenta Eccleſiae miniſtrare; niſi quia *poteſtatem* adhuc extra Eccleſiam, ac ſine dignitate illos habere condocent? & ideo poteſtatem, quod characterem adhuc retineant: quaſi aut character ſit idem, ac poteſtas; ut quidam voluiſſe videntur; aut ita characteri connexa poteſtas, ut ubi character eſt, ibi & poteſtas ſit oporteat, nec iſta auferri queat, quando ille tolli non poſſit; quemadmodum plurimi docuerunt, adhucque docent. Quocirca illud mihi demonſtrandum ſumam, & characterem eſſe a poteſtate diverſum; & illum ſine iſta permanere poſſe; idque *ratione*, *autoritate*, *& facto*.

§. 1. *Probatur ratione*.

III. ET primum character Ordinis ſignum eſt poteſtatis: eſt autem diverſum ſignum a re, cujus eſt ſignum: igitur & character a poteſtate: ſumptionem edocet Alexander Alenſis, cum 4. par. q 8. art. 1. tradit, characterem *Baptiſmi* eſſe ſignum fidei; characterem *Confirmationis* eſſe ſignum ſanctificationis; & characterem *Ordinis* eſſe ſignum poteſtatis.

Deinde oſtenſum eſt, Ordinem ſacrum tribus conſtare *poteſtate*, *charactere*, *& gratia*; ut aperte Catechiſmus Romanus habet; dum ait *poteſtatem* tradi, *characterem* imprimi, & *gratiam* adjungi in ordinatione: quorum poteſtas ſola *propria* ſit Ordinis; character vero *communis* duobus aliis Baptiſmi,

& Con-

& Confirmationis Sacramentis: atqui proprium, & commune prorſus diverſa ſunt: igitur diverſi quoque character, & poteſtas.

IV. Characterem porro nedum a poteſtate diverſum eſſe, verum etiam ab eadem disjungi, ac ſeparari poſſe, facile probatur; nam character *Baptiſmi* ſtare poteſt ſine fide, ut in ficte baptizatis, Apoſtatis, ac infidelibus occultis; & character *Confirmationis* ſine ſanctificatione, ut in iisdem; ergo & character *Ordinis* ſine poteſtate: Cur enim illud; iſtud vero non? Nam de Baptiſmo nemo negare ſolet; ut & de Confirmatione.

Deinde certum eſt, Eccleſiam, omneſque Catholicos aſſeverare, unum ſolummodo in tribus Sacramentis, Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis tolli, delerique non poſſe, ſubde *characterem*: at characterem non eſſe poteſtatem ſatis jam demonſtratum arbitror: reſtat igitur poteſtatem tolli poſſe; ideoque & a charactere ſeparatam permanere.

V. S. Thomas quidem 4. d. 18. q. 1. art. 2., & in Supplem. q. 17. art. 2. §. ad primum habet: *nihil eſt aliud character Ordinis Sacerdotalis quam poteſtas exercendi illud, ad quod principaliter Ordo Sacerdotii ordinatur, ſuſtinendo quod ſit idem quod ſpiritualis poteſtas; ideo character, & poteſtas conficiendi, & poteſtas clavium eſt unum, & idem per eſſentiam, ſed differt ratione*. Verum hoc opus compoſuit Sanctus iſte, cum valde juvenis eſſet, & nondum doctor, uti ſcribit Ptolemaeus Lucenſis ejus diſcipulus, & ſocius in Hiſt. Eccleſ., nam ſi ita eſſet, & poteſtas clavium ita tolli poſſit, ut ea ablata nihil fiat; eodem modo & poteſtas conficiendi, & ipſe character tolleretur. Etſi quoque in Summa p. 3. q. 63. art. 2. referat *Characterem* Sacramenti eſſe *poteſtatem*, & habere rationem ſigni comparate ad Sacramentum ſenſile, a quo imprimitur; at ſecundum ſe habere rationem principii; revincitur tamen a Scoto 4. diſt. 6. q. 10., quippe quod ipſe Thomas ibi art. 1. & 3. tradit, *quod character proprie eſt ſignaculum quoddam, quo aliquid inſignitur ut ordinatum in aliquem finem, ſicut charactere inſignitur denarius ad uſum commutationum, & milites charactere inſigniuntur quaſi ad militiam deputati*: numiſmatis autem nota, & militaris teſſera, ſeu chara-

ra-

racter non eſt poteſtas, neque principii rationem habet, ſed alicujus poteſtatis ſignum eſt: igitur ita & character Sacramenti.

VI. Doctiſſimus P. Vaſquez in 3. par. S. Thomae to. 2. diſp. 134. cap. 5. docet, poſt mortem manere quidem *characterem* Sacerdotalem, ſed non Sacerdotalem *poteſtatem;* ideoque characterem non eſſe Sacerdotis *phyſicam* poteſtatem, ſed ſolum illius poteſtatis ſignum, ut ſi Sacerdos defunctus divinitus ad vitam revocaretur, non foret iterum ordinandus, eo quod characterem haberet, ſed reviviſcente eo reviviſceret poteſtas, ita exigente ejus natura ex ordinatione Divina; ut ſit poteſtas *moralis* characteri huic pro mortali hac vita ſolum, non autem pro alia vita annexa; idque ſentire etiam Ledeſmam notat. Quod quidem verum; nam fruſtra cenſetur potentia, quae actum habere non poteſt, ut in confeſſo eſt: & in alia poſt mortem vita poteſtas Ordinis quem actum habebit? profecto nullum: nulla igitur poteſtas erit ipſa. Idem S. Thomas 3. p. q. 63. art. 5. §. ad tertium an non ait: *poſt hanc vitam remanet character & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam: ſicut etiam militaris character remanet in militibus poſt victoriam &c.?* igitur ſi mortuo, vel exauctorato militi ineſt character, non autem poteſtas; ita in mortuo, vel exauctorato Sacerdote, vel Clerico inerit tantum character, & non poteſtas. Sed quod illi recte philoſophati ſunt de *poteſtate* hac poſt mortem hominis; idipſum ex parte dicendum eſt de eadem in hac vita, nimirum aliquando ob quaedam crimina amitti poſſe, & iterum acquiri immoto *charactere*.

VII. Probatur rurſum poſſe *poteſtatem* Ordinis etiam in hac vita deperdi perſtante charactere: conſtat enim ordinatos interdum ordinandi poteſtatem amittere; velut *Hermaphroditus* eſt, in quo quando virilis ſexus praevaleat, *valide* ordinatus aſſeritur; verum ſi poſt ordinationem incipiat in eo ſexus faemineus praevalere; non amplius valide conſecrare, abſolvere, ordinare, aliaque ſacrorum Ordinum munia praeſtare poteſt; & tamen Ordinis *characterem* habere dignoſcitur. Ac ne quis dubium de viro in foeminam converſo moveat, (nam de foemina in virum dubitari non ſo-

ſolet) teſtatur Auſonius, qui anno 379. Conſul fuit, Epig. 68. his verſibus:

„ Vallebonae res nota, & vix credenda Poetis;
„ Sed quae de vera promitur Hiſtoria.
„ Foemineam in ſpeciem convertit maſculus Ales;
„ Pavaque de Pavo conſtitit ante oculos.
. . . .
. . . .
„ Nolo tamen veteris documenta arceſſere famae:
„ Ecce ego ſum factus foemina de puero.

Idem aſſeritur de Epiſcopo, vel Sacerdote, qui aut mutus fiat, aut perpetuo mente motus: nec quis exiſtimet, carere eos Ordinis uſu, non *poteſtate;* nam uſum quidem, & exercitium habere poſſunt; ſed irrita quoque, ac nulla judicantur eorum ordinationes, exercitia, ac ſacramenta; hoc autem eſt poteſtate carere, non exercitio, ac uſu.

VIII. Inſuper ordinatus ficte, aut coacte *characterem* quidem ſuſcipit, ſed non *poteſtatem*, & *gratiam:* ergo ſine poteſtate character ſtare poteſt: ſumptionem probo: ficte, aut coacte quis ad Baptiſmum accedens accipere fertur *characterem*, non autem *fidem*, & *gratiam*, ut habetur ex Auguſtinò de Baptiſmo lib. 1. cap. 12. lib. 3. cap. 14. & lib. 7. cap. 53., & ex Innocentio III. c. *Majores* de Baptiſmo; ubi docet, non quemcunque fictum, neque quemcunque coactum, ſed occulte fictum, & coactum non tamen expreſſe contradicentem characterem, non rem Sacramenti ſuſcipere: igitur eodem modo ficte, aut coacte quis ad *Ordinem* accedens characterem quidem accipiet, ſed non poteſtatem, & gratiam: ſicut etiam ad *Confirmationis* Sacramentum taliter affectus ſi ſit admotus, illius *characterem* habebit, ſed non *ſanctificationem*, & *gratiam*: quomodo enim haec haberi poſſunt ſine fide? fictus autem, & coactus nondum Chriſti fidem admiſit; & fidem non habenti non datur Ordo ſacer, neque ſanctificatio, neque gratia; nam *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*.

IX. Amplius ea actione, ac ordinatione, qua Sacerdotibus, & Epiſcopis datur poteſtas *Ordinis* cum charactere, datur & poteſtas *jurisdictionis:* atqui poteſtas jurisdictionis auferri poteſt immoto charactere: ergo & poteſtas Ordinis.

 Sum-

Sumptio concedi debet; praeſertim ſi de Epiſcopis ſermo eſt, quos conſtat conſtitutos a Chriſto tum, quum Jo: 20. dixit Apoſtolis: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.*, & cum utramque poteſtatem eſſe a Deo major, potiorque Theologorum caterva doceat illo Apoſtoli Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei:* quare ſive pendeat a charactere poteſtas jurisdictionis, ſive non; ſi haec auferri poteſt; cur non & poteſtas Ordinis? Aſſumptum probatur ex Con. Trident. ſeſſ. 23. de Reformat. cap. 15., ubi legitur: *quamvis Presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant; decernit tamen S. Synodus, nullum... poſſe Confeſſiones ſecularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi &c.*, & longe antea Jo: Scotus 4. d. 24. art. 2. dixerat: *quaecunque enim jurisdictio in Eccleſia vel per ſuperiorem ſuſpendi poteſt ita, quod ſi tempore ſuſpenſionis attentet quis aliquid facere, nihil facit: vel totaliter pro omni tempore tolli.* Ut autem poteſtas Judicis expoſcit, quos judicet; ita & poteſtas Ordinatoris, quos ordinet: quare ſi poteſt Judex ab Eccleſia inhiberi, ne hunc, vel illum omnino judicet: poterit & ordinator impediri, ac prohiberi, ne hunc, vel illum ordinet ullo modo.

X. Item poteſt Eccleſia conferendorum Ordinum *poteſtatem* dare; ergo poteſt & auferre. Et cum reſpondent, nullum eſſe conſequens; *quia Miniſtro Eccleſiae datum eſt, ut ſit Miniſter in conferendo, non in auferendo;* ſeu ut alii volunt, poteſtatem Miniſtro datam eſſe *in aedificationem, non in deſtructionem:* facile refelluntur; propterea quod nec Eccleſia poteſtatem *jurisdictionis*, quam contulit, auferre poſſet; non executionem, & uſum Ordinis; non exauctorare, punire &c., quod quam falſum ſit, nemo eſt, qui ignoret. Porro dictum eſt ſupra Cap. I. n. 7. Ordinem eſſe *poteſtatem;* & non ſemel honoris, gradus, ac dignitatis nomine venire: atqui Eccleſia poteſt, ſoletque criminoſos privare honore, gradu, dignitate, ac ordine; igitur & poteſtate. Neque mihi reponant, dignitatis, honoris, & gradus, atque Ordinis Eccleſiam intelligere uſum, ac exercitium Ordinis, non poteſtatem: quoniam Eccleſia, & SS. Patres utrumque commemorant, &

utro-

Digitized by Google

utroque indignos ſe ſpoliare pronunciant. S. enim Baſilius Epiſt. Can. ad Amphilochium c. 70. ſcribit: *Diaconus, qui pollutus eſt labiis ... a miniſterio prohibeatur ... ſi quid autem amplius peccaſſe quis deprehenſus fuerit; in quocunque ſit gradu, deponatur*: & Leo Magnus Dioſcorum Alex. Epiſcopum ob ea, quae nota ſunt, *Epiſcopali enim dignitate nudavit; & ab omni Sacerdotali opere fecit extorrem*: ut legimus Act. 3. Concilii Chalcedon., c. vero *Pro humani* tit. de homicidio nefariis dicitur; *depoſitionis ab ordine, officio, & beneficio incurrat ſententiam ipſo facto*.

XI. Denique ſi Rex nonnullos vel Milites, vel Miniſtros nota, ſeu *charactere* corporibus infixo inſigniat, qui ſignum ſit *gratiae*, certaeque in ſuo *poteſtatis* Regno: & illi vel Milites, vel Miniſtri poſtmodum aut alio transfugiant; aut ab Rege aliqua ex cauſa trudantur e Regno; ſive exauctorentur, miniſterioque priventur: ſpoliantur quidem illi & *gratia*, & *poteſtate*, ſed *characterem* non amittunt: ita & Miniſtri Eccleſiae ſacro inſigniti charactere, ſi ab Eccleſia deficiant; aut expellantur; vel deponantur, miniſterioque ſpolientur; *characterem* Ordinis ſecum deferent, retinebuntque; ſed *gratiam*, & *poteſtatem* deperdunt. Inquit enim S. Auguſtinus lib. 2. contra Parmen. cap. 13. *an forte minus haerent Sacramenta Chriſtiana, quam corporalis haec nota? ... an ducenda de militia ſimilitudo non fuit; cum & Apoſtolus de agnoſticis certaminibus clamet &c.?*

Fuit, qui reſponderet apud S. Tho. 4. d. 25. q. 2., ac in Supplem. q. 38. art. 2. §. *ad tertium*, ordinatos ab Haereticis, quamvis Ordinem accipiant, non tamen executionem accipere, ut *licite* ſuis in Ordinibus miniſtrare queant. Verum hoc lemma differit de conſtitutis ab Rege, vel a Republica delectis, & ab eisdem aut expulſis, aut exauctoratis; non de Militibus, vel Miniſtris a perfugis, ſeu deſertoribus ordinatis: poſtea ſive de his, ſive de illis agatur: Haeretici antea in Eccleſia ordinati, poſt ab eadem deficientes, perfugaeque facti & *Ordinem*, & Ordinis *executionem* jam acceperant; ut illi Milites, vel Miniſtri Regis miniſteria Regni, vel militiae: ergo ſi Milites, vel Miniſtri Regis vel perfugae facti, vel expulſi, aut ſpoliati officia Regni vel militiae nec *licite*, nec *valide*

 poſ-

poſſunt exercere; ita & Haeretici, & ab eis ordinati extra Eccleſiam nec *licite*, nec *valide* Ordines Eccleſiae conferre, aut officia exercere valebunt.

XII. Nec eſt, quod quis ad *characterem* Ordinis utpote ſpiritualem confugiat, perinde ac iſte neceſſario *poteſtatem* tribuat. Nam primum cur idem non praeſtabit etiam corporeus character? deinde neuter character poteſtatem confert, ſed ſignum eſt poteſtatis; quod ſine ea permanere poſſe liquido ſatis demonſtratum puto. Poſtea futilis eſſet, & vana comparatio, quam adhibet memoratus proxime Auguſtinus, cum inquit: *ſi quiſpiam ſive deſertor ... forte illum militiae characterem in corpore ſuo non militans pavidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit; ac prece fuſa, & impetrata jam venia militare coeperit: numquid homine liberato, atque correcto character ille repetitur; ac non potius agnitus approbatur? an forte minus haerent Sacramenta Chriſtiana, quam corporalis haec nota &c.?* dum quis opponere poſſet: deſertor ille ut *characterem* non amiſit, *poteſtatem* tamen ab Imperatore ſuſceptam amiſerat: ita Sacerdos, vel Epiſcopus Eccleſiae deſertor *characterem* non amittit, *poteſtatem* tamen ab Eccleſia receptam amittit; aut ſi poteſtatem iſte non amittit, militis deſertoris exemplum nihil cogit, nihil ſimilitudo illa.

XIII. Poſtremo ſi Haeretici, & Apoſtatae Eccleſiaſtici, vel depoſiti, graduque moti ſacros Ordines *valide*, ac vere miniſtrare, conferreque poſſent; abſurda ſequi oporteret; Eccleſiam nimirum, ac ejus Praepoſitos impedire, aut cohibere indignos, criminoſos, & ſubditos non valere, ne miniſteria ſemel ſuſcepta prorſus exercerent; quoties illi quantuncunque ſuſpenſi, aut amoti, depoſitique adhuc vere, & *valide*, etſi non *licite* ſui Ordinis munia peragere credantur. Igitur invita Eccleſia, & pene invito Deo agere quis poterit *valide* ea, quae Eccleſiae ſunt, & quae ſunt Dei: igitur damnatus ad triremes infelix, perfiduſque Antiſtes quoſcunque remiges, alioſque ibi poena multatos ordinare poſſet; & locum ſupplicii, itidemque infamiae implere Clero; aut tortorem ipſum, carnificemque indignum creare Sacerdotem; igitur melioris conditionis eſſet ſecularis poteſtas, quam Eccleſiaſtica; haec omnino impedire ſubditum non poteſt, quin agat quidquid

vult;

vult; illa poteſt: haec etiam aliquando ſubderetur illi; ſemel ac iſthaec illi traderetur punienda. At, inquiunt, volente Eccleſia ſubjiceretur; & ſecularis judex tunc judicis Eccleſiaſtici miniſter eſſet. Verum etſi conſenſu Eccleſiae traditur Clericus Curiae ſeculari; tamen tranſit de foro ad forum, & de poteſtate ad poteſtatem, velut cum quis multorum criminum reus e foro unius Principis ad alterius Principis forum traducitur. C. namque *Ad abolendam* tit. de Haereticis dicitur: *totius Eccleſiaſtici Ordinis praerogativa nudetur; & ſic omni officio, & beneficio ſpoliatus Eccleſiaſtico ſecularis relinquatur arbitrio poteſtatis.* Et propterquid non plectitur ille funditus ab Eccleſia? niſi quia cum ad Eccleſiam amplius non pertineat, ſemel ac quis truditur e Clero ad *Laicos*, neque poteſtatem Ordinis, Eccleſiaeque ultra tenere cognoſcitur. Clericos autem criminum reos interdum amoveri e Clero, & ad *Laicorum* ſtatum expelli, infra ſuo loco demonſtrabitur Cap. XII. n. 21. Et haec ad rationes attinentia, nunc ad autoritates.

§. 2. *Probatur autoritate Conciliorum.*

XIV. Concilium Iconienſe in Aſia anno circiter 215. clare definivit, *poteſtatem* auferri ab ordinatis, qui ab Eccleſia diſcedunt, teſte Firmiliano Caeſareae Cappadociae Epiſcopo, qui interfuit, Epiſt. ad S. Cyprianum data, qua ſcribit: *Sed & caeteri quique Haeretici, ſi ſe ab Eccleſia Dei ſciderint, nihil habere poteſtatis, aut gratiae poſſunt; quando omnis poteſtas, & gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi praeſident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem... Quod totum nos jampridem in Iconio, qui Phrigiae locus eſt, collecti in unum convenientibus ex Galatia, & Cilicia, & caeteris proximis Regionibus confirmavimus.* Sed & S. Dionyſius Alexandrinus Antiſtes eodem tempore Sixto Papae per literas ſignificat id factum *in maximis Epiſcoporum Conciliis, in Eccleſiis maxima hominum frequentia celebratis, Synodis fratrum tum Iconii, tum Synnadis, tum aliis multis in locis convocatis*: ut eſt apud Euſebium Hiſt. lib. 7. c.4., idque etiam decreverunt Africani Praeſules coacto *Concilio* per Agrippinum Carthaginis Epiſcopum; & quotquot opinati

ſunt Haereticorum Baptiſma nullum fuiſſe, ac irritum; nam ubi Baptiſma nullum, multo magis ordinatio.

XV. In Carthagin. LXX. Epiſcoporum Concilio ad annum 311. ſententia lata eſt, qua per Donatiſtas Antiſtites nondum tamen Schiſmaticos *Caeciliano Carthaginis* Epiſcopo abrogata eſt dignitas; quod dicerent eum a Felice Aptungitano Praeſule ſacrorum Codicum traditore, ideoque a gradu excuſſo, ac depoſito ordinatum. Quae quidem calumnia fuit, ſed quae veterem Eccleſiae morem, ac diſciplinam praeſeferret, a dignitate Ordinis emotos ordinandi poteſtatem amittere: unde *a Caeciliano mandatum eſt, ut ſi Felix in ſe, ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet, ipſi tanquam adhuc Diaconum ordinarent Caecilianum*, inquit S. Optatus lib. 1. contra Parmen. n. 19. & S. Auguſtinus Coll. 3. cap. 16. n. 29., de qua re fuſius etiam Cap. IV. n. 18. dicetur.

XVI. Concilium Nicaenum anno 325. de Meletio Lycopolis urbis Aegypti Epiſcopo, qui ſibi ordinationes Alexandrini Antiſtitis arrogaverat etiam dignitate privatus, & poſtquam fuerat damnatus, ſtatuit; *ut in ſua Civitate maneat; poteſtatem autem nullam habeat vel ordinandi, vel miniſtrandi, vel manus imponendi ... Illi vero, qui ab eo in ſacrum Ordinem lecti ſunt; ſimul atque ſanctiore ordinatione confirmati fuerint, ad communionem poſthaec admittantur &c.*: ubi de iterata, non autem *confirmatoria*, ut quidam explicare nituntur, ordinatione actum fuiſſe, alias oſtendetur Cap. x. n. 6. & 7. Igitur ſi miniſtrare, manuſque imponere nullo modo poterat; & nullo modo ordinare Meletius: id quod plane confirmat factum Theodori Oxyrinchi in Aegypto Epiſcopi, qui paucis poſt annis ſedit; quique producetur infra n. 47. & 48., nec non Cap. x. n. 7.

XVII. Taurinenſe Concilium anno 400. can. 2. ita loquitur: *Illud deinde inter Epiſcopos urbium Arelatenſis, & Viennenſis, qui de Primatus apud nos honore certabant, a S. Synodo definitum eſt; ut qui ex eis approbaverit ſuam Civitatem eſſe Metropolim; is totius Provinciae honorem Primatus obtineat; & ipſe juxta Canonum praeceptum ordinationum habeat poteſtatem*: ſi character idem eſſet ac poteſtas, vel cum ea neceſſario connexus; cum idem eſſet character Ordinis Arelatenſi, & Vien-

nenſi

nenſi Epiſcopis; eadem ipſis fuiſſet & poteſtas: nec immoto charactere poteſtas variari, transferri, minui, ampliarique poſſet. Similiter can. 3. de quatuor Epiſcopis Octavio, Urſone, Remigio, al. Remedio, & Triferio ſuper quadam ordinationis Sacerdotum uſurpatione ſanxit: *quod eis eatenus videtur indultum, ut de caetero hac auctoritate committi nihil tale uſurpare conentur ... ſciat is, qui ordinatus fuerit, Sacerdotii ſe honore privandum; ille vero, qui ordinaverit, autoritatem ſe in ordinationibus, vel in Conciliis minime retenturum:* quod confirmavit & Regenſe in Gallia Concilium anno 439. can. 2. At in Conciliis nulla erat futura hujus autoritas; ergo ita & in ordinationibus.

XVIII. Concilium itidem Romanum ſub S. Hilario Papa anno 465. coactum, ut habetur ex ejusdem Hilarii Epiſt. 8. ad Galliarum Epiſcopos, edixit n. 1. *Ei, qui nunc Eccleſiae Narbonenſi praeſidere permittitur, ordinandorum Epiſcoporum ob haec, quae prave facta ſunt, ſuſtulimus poteſtatem; quam ita ad fratrem, & coepiſcopum noſtrum Conſtantium Uceticae Eccleſiae Antiſtitem; quia aevo honoris primus eſſe creditur, pertinere cenſuimus: ut ſi ſuperſtite Herme Epiſcopo defunctus fuerit, illum haec cura reſpiciat, quem repererit Epiſcopalis Ordo Primatem: Herme autem Epiſcopo deficiente, faciendorum mos Antiſtitum Narbonenſi mox reddatur Eccleſiae; quem non Civitas, ſed cauſſa praeſumptionis amiſit:* eo quod Hermes e Biterrenſi Sede ad Narbonenſem Metropolitanam irrepſerat Eccleſiam.

XIX. Concilium Vermerienſe in Gallia anno 753. decrevit n. 14., *ut ab Epiſcopis ambulantibus per Patrias* (ideſt Regiones) *ordinatio Presbyterorum non fiat: ſi autem* (facta ordinatione) *boni ſunt illi Presbyteri, iterum conſecrentur:* hoc enim non fieret, niſi Eccleſia *poteſtatem* talibus Epiſcopis adimeret: & factum fuiſſe, ſanctio memorata ſuadet; cum canones praecipiant, nec extra propriam Dioeceſim a quoquam ordinationes fiant; inconſulto Dioeceſis Epiſcopo; alioquin ordinationes irritae cenſentur, ac nullae.

XX. Concilium Sveſſionenſe anno 853. ab Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo coactum, cui alii tres Archiepiſcopi, triginta Epiſcopi cum Chorepiſcopo, Abbatibuſque VII. interfuere, ſuper ordinationibus ab *Ebbone* Rhemenſi Antiſtite

depoſito factis pronunciavit eas irritas, ac inanes Act. 4., *quod qui ab ipſo voluerant, & viſi fuerant ordinari in gradus Eccleſiaſticos ab eodem, quod idem non habuit, nemo eorum accipere potuit: damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impoſitionem ei dedit &c.* & alia, quae Cap. x. n. 10., & ſeqq. adducentur. Et quanquam hujus Concilii Acta reſcidit Nicolaus I. anno 866., quum oſtenderet, *non ſolum ſaepeſatos Clericos praejudicialiter abſque Canone ab officio ſequeſtratos; verum etiam ordinatorem eorum inconvenienter, ac ſine conſequentia Eccleſiaſtica regimine praeſulari privatum* ex ejusdem Nicolai Papae Epiſt. 46., tamen Galliarum Epiſcopi morem Eccleſiae exhibuerunt, irritas, ac inanes declarandi eas ordinationes, quae ab Epiſcopis ordine, graduque ſuo ſpoliatis factae fuerant. Neque id improbavit Nicolaus; ſed Ebbonis depoſitionem contra Canones Eccleſiae factam reprehendit.

XXI. Ravennatenſe Concilium anno 877. a Johanne VIII. celebratum c. 1. haec habet: *Quiſquis Metropolitanus intra tres menſes conſecrationis ſuae ad fidem ſuam exponendam, Pallium que ſuſcipiendum ad Apoſtolicam Sedem non miſerit; commiſſa ſibi careat dignitate: & tandiu illi ſedi cedat, omnique conſecrandi licentia careat; quandiu &c. Sit Metropolitanis aliis licentia poſt ſecundam, & tertiam commonitionem viduatis Eccleſiis cum conſilio Romani Pontificis ordinando Epiſcopos ſubvenire.* Quem canonem Gratianus c. *Quoniam quidam* d. 100. *Pelagio* Papae attribuit, uti & Ivo, & Innocentius III., ſed Burcardus, Anſelmus, & Autor Pannormiae *Damaſo* Papae adjudicant cum errore tamen; ut *Pallii* nomen, ejuſque ſuſcipiendi mos urbicus prodit. Caeterum ſi *licentia*, ideſt poteſtas, conſecrandi, ac ordinandi aufertur uni; & datur alteri; quis non intelligit, *poteſtatem* a charactere disjunctam eſſe; & hunc ſine illa haberi poſſe?

XXII. Concilium Bituricenſe anno 1031. ita can. 10. ſenſit, ac pronunciavit: *Qui autem de aliquo gradu Eccleſiaſtico ad laicalem Ordinem ex toto reverſi ſunt; & ad conjugium legitimum acceſſerunt; & poſtea agentes poenitentiam dignam ad priſtinum gradum reverſi ſunt, eorum filii legitimi ſunt, quia in laicali Ordine, & legitimo conjugio procreati ſunt: nec dici poſſunt filii Clericorum; vel etiamſi laici permanſerint, idem eſt.*

Quo

Quo nihil liquidius dici poteſt ad oſtendendam *poteſtatem*, ſive *Ordinem* Cleri auferri, ac deſinere; non autem *characterem*. Et ſi quis aeſtimet loqui Concilium de Clericis minorum Ordinum; advertat illud; *& poſtea agentes poenitentiam dignam ad gradum priſtinum reverſi ſunt*: majorum, ſacrorumque Ordinum eſſe, non minorum.

XXIII. Romanum Concilium Nicolai II. anno 1059. congregatum contra Simoniacos decrevit, ut *deinceps quicunque ſe paterentur a Simoniaco provehi, nihil penitus deberent ex ea promotione lucrari: & ſic miniſtrandi jura deponerent, tanquam ſi haec nullatenus percepiſſent*: uti teſtatur S. Petrus Damiani Opuſc. xxx. ad Florentinos cap. 1., qui Concilio interfuit ut Epiſcopus Oſtienſis. Concilium autem non ait, uſum, & exercitium deponant, ſed *miniſtrandi jura*, ſive poteſtatem. De quo etiam paulo poſt, cum de Simoniacis agam Cap. vii. n. 13. & ſeq.

XXIV. Concilium Gerundenſe in Hiſpania anno 1078. ab Amato Epiſcopo Olorenſi Sedis Apoſtolicae Legato convocatum inter alia conſtituit, ut *Eccleſiae a Simoniaco* Antiſtite conſecratae *a legitimo canonice conſecrentur Epiſcopo: & ut Clerici a Simoniaco* ordinati Preſule *eodem modo a Catholico ordinentur Epiſcopo: non enim*, inquit, *in his ſit reiteratio, ſed ipſa conſecratio; quoniam nihil praeceſſerat, quod ratum haberi queat*. Similiter Urbanus II. Epiſt. 17. Appendicis ad Vibonem Tullen. Epiſcopum c. 5. juſſit, ut *Eccleſiae* a Simoniacis *execratae benedictione, & unctione Catholici Antiſtitis conſecrentur*. Quo ſane quid illuſtrius, & clarius eſſe poteſt; quod oſtendat exauctoratos, & depoſitos ab honoribus Ordinis, ordinandique perdere poteſtatem? De quo Concilio iterum agetur Cap. vii. n. 17.

XXV. Concilium tandem Lateranenſe III. ab Alexandro III. anno 1179. coactum de nonnullis c. 13. edixit: *& qui receperit, quod contra ſacros Canones accepit, amittat: & qui dederit, largiendi poteſtate privetur*: can. vero 15. *& Epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat*. Quid autem recipit ordinatus; & quid dedit ordinator niſi ipſum Ordinem, & non tantum Ordinis uſum, & exercitium? amittit igitur ille, & iſte privatur non tantum Ordinis uſu, atque exercitio, ſed ipſomet Ordine, ſive *poteſtate*.

§. 3.

§. 3. *Probatur autoritate Romanorum Pontificum.*

XXVI. Sanctus Innocentius I. Epiſt. 22. ad Macedones Epiſcopos c. 3. quum ſcripſit: *aſſeritur, eum, qui honorem amiſit, honorem dare non poſſe: nec illam aliquid accepiſſe, quia nihil in dante erat, quod ille poſſet accipere. Acquieſcimus; & verum eſt: certe qui quod non babuit, dare non potuit*: nonne *poteſtatem* amitti ſignificavit? Diximus enim ſupra, *Ordinem* eſſe gradum, honorem, ac dignitatem; & ſaepe ſaepius his nominibus indigitari; & Ordinem primo, ac principaliter *poteſtatem* referre: igitur qui *honorem* amiſit, amiſit & Ordinem, & Ordinis poteſtatem: quo quidem loco nequit intelligi uſus, & exercitium Ordinis, ut alias oſtendetur Cap. IX. n. 10. de Haereticorum ordinationibus.

XXVII. S. Leo Magnus Epiſt. 1. al. 87. ad Mauritaniae Epiſcopos ſcripta habet c. 2. *ſi qui Epiſcopi talem conſecraverint Sacerdotem, qualem non licet; etiamſi aliquo modo damnum proprii honoris evaſerint; ordinationis tamen jus ulterius non habebunt: nec ei Sacramento intererunt, quod neglecto Divino judicio immerito praeſtiterunt*: quod legitur & c. *ſi qui* 1. q. 1. Epiſt. vero 11. al. 89. ad Epiſcopos Viennen. Provinciae n. 3. inquit: *Privilegium ſibi debitum* (ideſt ordinandi Epiſcopos) *in alium transferre ſe poſſe noverit non licere: Quod ſi quis negligens ... ſui honoris deſertor eſſe voluerit, privilegium ſuum in alium transferre ſe poſſe credens; non is, cui ceſſerit; ſed is, qui intra Provinciam antiquitate Epiſcopali caeteros praevenit, Sacerdotes ordinandi ſibi vindicet poteſtatem.*

XXVIII. Zoſimus Papa Galliarum, ſeptemque Provinciarum Epiſcopis Epiſt. 5. haec mandavit: *Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſium Civitatis in ordinandis Sacerdotibus teneat autoritatem ... quiſquis vero poſthac ... quemquam ordinare praeſumpſerit ... uterque ſacerdotio ſe carere cognoſcat.* Quid Sacerdotii nomine portendit Pontifex? non quidem *characterem*, quo numquam Sacerdos carere poteſt; nec etiam uſum, ac *exercitium*; nam qui eo caret vel ob infirmitatem, vel alia de cauſa, non dicitur Sacerdotio carere: igitur *poteſtatem*, qua potiſſimum Ordo ſacer ſignificatur: maxime quod Zoſimus

ad-

adjecit: *quomodo enim poteſt autoritatem ſummi Pontificis obtinere; qui, quae erant Pontificis, ſervare contempſit: ſummum* autem appellat *Pontificem* pro temporum uſu, ac more Metropolitanum.

XXIX. Simplicius Papa Epiſt. 2. Joanni Ravennati Antiſtiti; qui Gregorium Imolenſibus Epiſcopum *invitum* ordinaverat; minatus eſt, niſi ſimilia agere deſiſteret, *ordinationes* ei *Ravennatis Eccleſiae, vel Emilienſis auferendas:* cum jam dixiſſet: *privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate:* ordinandi videlicet Epiſcopos Eemiliae: & Epiſt. Florentio, Equitio, & Severo Epiſcopis tranſmiſſa ſcripſit: *Gaudentium Aufinienſis Eccleſiae Sacerdotem contra ſtatuta Canonum, ac noſtra praecepta ordinationes illicitas perpetraſſe, quarum illi totam penitus auferri praecipimus poteſtatem... ita ut hi, qui illicite ab eodem ſunt provecti, ab Eccleſiaſticis miniſteriis ſint remoti.* Nam quid eſt totam penitus auferri poteſtatem, niſi ut nullo modo, ideoque nec *valide* poſſet ordinare? quod autem *illicitas* dicat ordinationes; ſupra oſtenſum eſt, *illicitum* antiquis plerumque idem fuiſſe ac nunc *invalidum*.

XXX. Gelaſius I. Epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniae &c. ita commonet Presbyteros c. 6. *nec ſibi meminerint ulla ratione concedi, ſine ſummo Pontifice Subdiaconum, aut Acolythum jus habere faciendi*: ſummique *Pontificis* vocabulo intelligit aut *Metropolitanum* Epiſcopum, quemadmodum proxime memorati Zoſimi Papae autoritas oſtendit; aut *Cathedrales Epiſcopos;* ut Leo III., & magna Synodus Ratiſponen. anno 803. in Capitul. Caroli Magni ad eum annum habet tit. 4. *de Chorepiſcopis* cap. 2. & 3., ſi Capit. illud admittatur. Poteſt igitur Metropolitanus Antiſtes, vel Epiſcopus Presbyteris dare, & auferre *poteſtatem* ordinandi Acolythi, & Subdiaconi ſaltem jure antiquo; *characterem* autem nequaquam: ergo character ſtat ſine poteſtate; niſi velint eam eſſe poteſtatem delegatam, non ordinariam; quod tamen negare videtur Alexander III. c. *Requiſivit* de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit &c.

XXXI. Nicolaus I. primum, deinceps Adrianus II., mox Synodus VIII. anno 869. ordinationem Photii in Epiſcopum Conſtantinopolitanum, utpote a Gregorio Syracuſano Antiſtite jam communione fidelium privato, & Epiſcopali dignitate exu-

exuto factam, pronunciarunt irritam, ac nullam: aitque Nicolaus Epiſt. 10. n. 6. *Gregorius ergo, qui canonice, ac Synodice depoſitus ... quemadmodum poſſet quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius ex Gregorio percepit, niſi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit... ſi inefficax profecto Photio nihil praeſtans &c.* Hinc Synodus VIII. can. 4. etiam Photii ordinationes, & Acta omnia in irritum adduxit; Eccleſiaſque ipſas a Photianis dedicatas, *rurſus dedicari* mandavit; uti fuſius rem exponam Cap. V. n. 18. & ſeqq.

XXXII. Adrianus II. anno 868. in Epiſtola, quae legitur in Actis Rom. Concilii Leonis IV. anno 853., contra Anaſtaſium Presbyterum Card. S. Marcelli olim profugum, inde honore privatum, & anathemate ictum ſcribit: *ſane ſi vel ab urbe Roma quantiſper diſceſſerit; vel Sacerdotium, vel Clericalem aliquem Ordinem; ſive miniſterium quodlibet repetere, aut recipere praeſumpſerit;... anathemati perenni ſubjaceat:* diſtinguitque *Ordinem* ab exercitio, ſive *miniſterio* Ordinis, quorum utrumque ei interdictum eſſe dicit; proindeque non ſolum uſu, & *exercitio*, verum etiam *Ordine* ſpoliatus fuerat Anaſtaſius ille, atque adeo *poteſtate* Ordinis; cum de *charactere* intelligi non poſſit.

XXXIII. Alexander III. c. *Sane ſuper* tit. de Temp. Ordin. reſcripſit Herfordienſi Epiſcopo ſuper more Scotiae, & Valliae extra jejunia quatuor Temporum Clericos ad ſacros Ordines promovendi: *ſignificamus, quod conſuetudo illa utpote inſtitutioni Eccleſiaſticae inimica eſt penitus improbanda... nam apud nos ſic ordinati deponuntur; & ordinantes privantur autoritate ordinandi.* Ita temporibus illis; etſi jure novo poſtmodum ſecus ſit inſtitutum; quod confirmat can. 2. Concilii Toloſani juſſu Victoris Papae II. anno 1056. celebrati, quo *irrita* judicatur, & aſſeritur ea *ordinatio*, quae non fieret *temporibus ſecundum Canones ſtatutis*: eſt autem *irritum*, quod nullum, & invalidum; uti dictum eſt Cap. I. n. 11. Similiter cum c. *Requiſivit* de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcop., Toletano reſcribens Antiſtiti diſtinguit: *utrum quis renunciaverit oto tantum; an loco ſimul & dignitati*: ſumit pro certo, aliquos poſſe nuncium remittere dignitati Ordinis, ideſt *Ordini*, ejuſque poteſtati: uti videbitur etiam Cap. X. n. 29.

XXXIV. Lu-

XXXIV. Lucius III. c. *Super eo* tit. de Bigamis Spalaten. Archiepiſcopo reſpondet: *Super eo, quod tua fraternitas de Bigamis requiſivit, reſpondemus; quod ordinatores eorum poteſtate, & officio ordinandi; & ordinati, ſi ad ſacros ordines fuerint promoti, ideo eis ſunt privandi, quia in Bigamis contra Apoſtolum diſpenſare non licet, ut debeant ad ſacros Ordines promoveri; vel in eis, ſi promoti fuerint, remanere: in ordinatore vero poteſt diſpenſatio adhiberi, ut ordinandi poteſtate; & officio non privetur*: quibus manifeſte poteſtas, & officium, ſeu exercitium ſecernuntur; & utrumque tolli poſſe profertur.

XXXV. Innocentius III. Epiſt. 219. lib. 1. Herveo Trecenſi Epiſcopo directam his eam claudit verbis: *ſi qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ... perſona hanc noſtrae Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ... poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat*: & c. *Inter corporalia* de translatione Epiſcopi inquit: *Cum quis Epiſcopali praeditus dignitate nullius tamen Eccleſiae poſſit eſſe Epiſcopus: quemadmodum de illo contingit, qui oneri Pontificali renunciat, non honori*; ideſt ordini: igitur qui renunciat *honori*, non remanet Epiſcopali praeditus dignitate: ſicut & c. *Poſt translationem* de Renunciat. clarius ediſſerit: *praeſertim ſi locum tantum, & non ordinem reſignavit ... ſi veritate ſubnititur, quod dictus I. loco tantummodo ceſſerit, & non ordini, vel etiam dignitati*: ponit cum Alexandro ſupra memorato, poſſe aliquem dimittere *Ordinem*, ſive poteſtatem: ut fuſius oſtendetur Cap. x. n. 29. Honorius etiam III. c. *dilectis filiis* tit. de Temp. Ordinar. ſcribit ſe Epiſcopum itidem Trecenſem, eo quod uno, eodemque die ad tres ſacros Ordines C. Ymilien. Canonicum promoviſſet; *tandiu ab ordinandi ſuſpendiſſe poteſtate; donec ſuam meruiſſet gratiam obtinere*: docetque *poteſtatem* ad tempus auferri poſſe; moxque reſtitui.

XXXVI. Reſpondent quidam apud Sco. 4. d. 13. q. 2. §. ad 2., iſtos privari poteſtate ad *ordinate* quidem agendum, ſed non ad *ſimpliciter* operandum: quod poſterioris aetatis Theologi ad *licite*, non ad *valide* faciendum dicunt. Verum cum ea priventur *poteſtate*, qua ab ipſis factae ordinationes ita nullae judicantur, ut iterari illae jubeantur; ſi quando qui fuerunt privati, revocantur ad honores amiſſos; quemadmodum in-

infra videbitur: defendi non poteſt, privari eos poteſtate tantum ad *ordinate* agendum; ſed etiam ad *ſimpliciter* privari ſtatuendum eſt.

XXXVII. Reſpondent alii, *poteſtatis* nomine venire uſum, ſeu ipſius poteſtatis actum, ac *exercitium*. Contra quos affertur & ſuperioris reſponſionis oppugnatio; & quia ſi aliis in locis venit ipſa poteſtas, non autem ipſius poteſtatis executio; quare non in ante dictis locis? uti quum in Conſtitutionibus Apoſt. lib. 3. cap. 11. aſſeritur: *poteſtatem non damus nomine Apoſtolorum Presbyteris ordinandi Diaconos ... ſed ſolis Epiſcopis*: & in Concilio Rom. VII. Gregorii VII. anno 1080. c. 6. de Epiſcoporum electione: *quod ſi corruptus aliquo vitio aliter agere praeſumpſerit; electionis perperam factae omni fructu carebit; & de caetero nullam electionis poteſtatem habebit*: ubi, ut videbitur cap. III. n. 15., conſecratio comparatur electioni. Gregorius vero IX. c. *Cumana* de electione: *unde nos electiones ipſas ... duximus irritandas, electores hac vice eligendi poteſtatem privantes*: nec non Concilium Trident. ſeſſ. 23. cap. 4. *ſacroſancta Synodus declarat ... Epiſcopos ... Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipſos poſſe; quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent*: & can. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos ... non habere poteſtatem confirmandi, ordinandi; vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem: anathema ſit*. Quibus in locis certum eſt, ſermonem eſſe de *poteſtate* ad agendum ſimpliciter; & *valide;* & non ad ordinate vel *licite* tantum, ſeu de poteſtatis uſu, ac executione ſola: praeſertim cum Concilia, & Pontifices utrumque dicendi modum adhibere ſoleant, ubi neceſſe ſit, ad internoſcendam in plectendis his, vel illis variam Eccleſiae diſciplinam; nempe modo privari *poteſtate;* modo vero *Pontificalis officii executione* ſecundum varium uniuſcujuſque crimen.

§. 4. *Probatur auctoritate Patrum, & Theologorum.*

XXXVIII. SAnctus Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum ait: *Qui ergo ... ſe ab Eccleſiae vinculo, atque a Sacerdotum collegio ſeparat, Epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere,*

nec

nec honorem, qui Epiſcopatus nec unitatem voluit tenere, nec pacem: & Epiſt. 76. ad Magnum: *dicimus, omnes haereticos omnino, & Schiſmaticos nihil habere poteſtatis, ac juris*: cur? quia illam amiſerunt, cum ex Eccleſia profugerunt. Nunquam autem ſcripſit, amiſiſſe eos Ordinis, aut Baptiſmi *characteres*: immo cum reverterentur ad Eccleſiam, eos rebaptizandos non eſſe condocuit: cui ad unum aſſenſi ſunt & Afri, & in Oriente omnes, quotquot Baptiſmum Haereticorum eſſe nullum cenſuerunt; uti ſupra n. 13. ſcripſi.

XXXIX. S. Baſilius Magnus Caeſarien. Epiſcopus Epiſt. can. ad Amphilochium de Haereticis hoc modo loquitur: *qui autem abrupti ſunt* (ab Eccleſia) *Laici effecti nec baptizandi, nec ordinandi habent poteſtatem*: & cum Baſilio ſenſit inſequenti ſeculo S. Gennadius C. P. Epiſcopus, cum in Epiſt. ad Martyrium Antiochenum Antiſtitem de Haereticis ad Eccleſiam accedentibus reſcripſit, eos *tanquam egregios Laicos ad eum gradum ordinandos, in quo prius apud ſuos erant*: de quo & Cap. VIII. n. 17. iterum dicetur: idque ſenſerunt & plures alii, de quibus dixi jam in *Germana S. Cypriani, & Firmiliani*, aliorumque *de Haereticorum baptiſmate opinione*. At illi de Baptiſmi miniſtro falſa dixerunt; ergo & de Ordinis Sacramento, ejuſque miniſtro errores induiſſe credendum eſt. Verum enim vero de *Baptiſmate* alia ratio eſt, atque ea, quae de *Ordine* refertur; ibi magna Sacramenti neceſſitas aſſeritur, quam talem, tantamque forſan illi non agnoverunt; quaeque hic nulla, aut minima creditur intercedere.

XL. Gratianus Monachus Canonum, decretorumque Collector, vel quidam apud eum, in notis ad c. 92. *Quod quidam* 1. q. 1. relatis S. Auguſtini contra Donatiſtas verbis ſubjungit: *Opponitur autem huic ſententiae Auguſtini, quod poteſtas dandi Baptiſmum, & jus conſecrandi Dominicum corpus, & largiendi ſacros Ordines plurimum inter ſe differunt: ſuſpenſo enim, vel depoſito Sacerdote, nulla ei relinquitur poteſtas ſacrificandi. Sacramentum tamen Baptiſmi non ſolum a Sacerdote depoſito, vel laico Catholico, verum etiam ab Haeretico, vel Pagano, ſi miniſtratum fuerit, nulla reiteratione violatur: nulla enim ratio ſinit, ut inter Sacerdotes habeantur, qui de manibus laici, vel Pagani oleum ſacrae, immo execrandae unctionis aſſumunt...*

de-

Digitized by Google

degradatus enim Epiſcopus poteſtatem largiendi ſacros Ordines non habet; facultatem tamen baptizandi non amiſit. Et apud eundem c. *Excommunicati* 9. q. 1. legimus: *Excommunicati illicite manus imponunt; quia poteſtatem ordinandi non habent*: ibique de ordinatione invalida, ipſaque poteſtate, non autem exercitio loqui conſtat ex eo, quod ſubditur: *unde reiterari neceſſe eſt, quod minime probatur eſſe collatum*.

XLI. Joannes Theutonicus Autor gloſſae ad decr. Gratiani, vel Bartholomaeus Brixienſis ejus expolitor, ſeu annotator c. *Accedens* diſt. 50. dicit: *ergo Clericus degradatus non retinet Ordinem ... per hoc quod dicitur infra, inter Laicos communionem ab eo recipiendam: ſed tamen dico, quod characterem ſemper retinet... nec credo, quod conficiat* (ſacrum), *quia omnem poteſtatem amiſit*: quo loco *Ordinis* nomine cernis venire *poteſtatem*; & hanc a charactere ſejungi ita, ut alterum ſine altero manere dicatur.

XLII. Raynerius vetus ſacrorum Canonum Doctor apud Autorem gloſſae ad decr. Gregorii IX. c. *ſi quis Presbyter* de Clerico excommun., depoſito &c. ſentit, Presbyterum *degradatum* nequaquam ſacrum conficere; quia, inquit, *potuit Eccleſia ei auferre illam poteſtatem, quam contulit; quamvis non poſſit character auferri; ſicut nec inſignia militi*. Qua in re nemo me judice melius & ſenſit, & ſcripſit; eſtque id, quod ante dictum eſt Cap. iſto n. 11.

XLIII. Rufinus, & Joannes Faventinus celebres J. V. Doctores antiqui apud Gratiani gloſſae Autorem ad c. *Quod ordinatio* 9. q. 1. dicebant, *quod Epiſcopus, qui recipit ultimam manus impoſitionem extra Eccleſiam, ideſt Ordinem Epiſcopalem; quia poſt illum nullus eſt Ordo; Ordinem conferre non poteſt; & qui ordinatur, nihil recipit: ſecus ſi intra Eccleſiam recipiat manus impoſitionem*: & paulopoſt additur, dici ab eisdem, *Epiſcopum* fidelium *communione privatum*, ſi intra Eccleſiam ordinetur, recipere *Ordinem*, ſed non *executionem*: *ſi autem extra Eccleſiam ordinetur; nihil confert nec ordinem, nec executionem; cum tales nihil habeant* ex c. *Daibertum* 1. q. 7., c. *Propter* d. 19. de Maximi Cynici intruſi ordinationibus, & c. *Si quis confugerit* 1. q. 1. de Paulianiſtis.

XLIV. Gulielmus Pariſienſis Epiſcopus, & vir doctiſſimus

mus de Sacramento Ordinis cap. 7. laudat eorum opinionem, qui non ſolum *poteſtatem* Ordinis ab Apoſtatis, Haereticis, exauctoratiſque auferri tradiderunt; ſed ipſos etiam *characteres* in his ipſis perditis hominibus aboleri poſſe rebantur: eamque ad id certe attulit rationem, vel ab illis adductam retulit, quae a nemine niſi autoritate Eccleſiae pervelli queat; adjecitque: *& hoc ipſum forma exauctorationis, & exordinationis indicat evidenter, qua veſtimentis ſacerdotalibus ſigillatim, & illis inverſatis exuuntur; per quod indicare intendit Eccleſia manifeſte, nihil eis dignitatis, poteſtatis, officiique ſacerdotalis relinqui; ſicut de veſtimentis ſacerdotalibus nec unum eis relinquitur*: quapropter & in 3. par. Pontificalis dicitur deleri *conſecrationem, unctionem, & benedictionem*: & Franciſcus Mayronus 4. d. 25. q. 3. §. de *Epiſcopo degradato* quaerens, an poſſit ordinare; reſpondet: *dicunt aliqui, quod non; quia juriſdictio, & character ſibi auferuntur.*

XLV. Sinibaldus Fliſcus, qui poſtea fuit *Innocentius IV.*, ob ſummam Juris peritiam *Pater juris* appellatus in eam ivit opinionem, ſummum Pontificem uti Vicarium Chriſti poſſe per legem probabili tamen ex cauſa Epiſcopis non ſolum *ordinandi*, ſed etiam *baptizandi poteſtatem* auferre ita, ut ſi tunc illi Sacramenta ea conferre tentarent, nihil omnino patrarent: Abbaſque Panormitanus magni nominis Juriſconſultus de Conſuetudine c. *Quanto* reputat Innocentium optimam ſententiam habuiſſe ob quandam potiſſimum hac in re diſtinctionem. Quod Adrianus VI. lib. 4. ſent. art. 3. de Sacramento *Confirmationis* etſi non probet, plenumque periculi dicat; quantum quidem ad baptizandi poteſtatem attinet; hoc ipſum tamen nequaquam auſus eſt condemnare.

XLVI. Gulielmus Rubion Aragonius Minorita, quem Scoti diſcipulum fuiſſe tradunt, in 4. ſent. d. 25. q. 2. haec habet: *Quarta concluſio eſt; quod ſi poteſtas Epiſcopalis traditur a Deo Epiſcopo conſecrato ſic conditionate, non abſolute, ſicut poteſtas abſolvendi traditur Sacerdoti; tunc Epiſcopus poteſt a ſuperiori privari poteſtate abſoluta alium ordinandi. Haec apparet ... ergo ſicut quia poteſtas abſolvendi poenitentem traditur Sacerdoti non abſolute, ſed cum conditione, ut & ea non poſſit uti prohibitus a ſuo ſuperiore; ideo poteſt ipſe Sacerdos a*

ſuo ſuperiore privari hujuſmodi licet a Deo ſibi tradita poteſtate: ita in propoſito de poteſtate ordinandi, ſi conſimiliter traditur Epiſcopo, conſimiliter eſt dicendum. Additque in hanc rem longe plura & digna, quae legantur; & veritati apprime conſentanea: niſi quod ipſe dubitanter, & conditione appoſita conſcribit; id ego aſſeveranter eſſe demonſtro.

XLVII. Omnes denique ſcriptores; qui ante XIII. ſeculum admodum plures fuerunt & quorum aliqui quoque ſuis memorabuntur locis; cum tuerentur Sacramenta praeter Baptiſmum ab Haereticis, exauctoratis, aliiſque ſimilibus extra Eccleſiam adminiſtrata eſſe prorſus inania, irrita, atque nulla; ordineſque ſacros conferre nullo modo poſſe illos: quid aliud voluerunt, niſi eos *poteſtate*, ſi non *charactere*, fuiſſe ſpoliatos: ideoque poteſtatem eſſe a charactere diverſam, & hunc ſine illa permanere poſſe? Robertus enim Flammesburienſis apud Morinum inquit: *utrum Epiſcopus Haereticus Ordines conferat; quaeſtio maxima eſt, de qua diverſae ſunt opiniones*: & Magiſter ſententiarum 4. d. 25. *ſolet quaeri, ſi haeretici ab Eccleſia praeciſi, & damnati poſſint tradere ſacros Ordines; & ſi ab eis ordinati redeuntes ad Eccleſiae unitatem debeant reordinari. Hanc quaeſtionem perplexam, ac pene inſolubilem faciunt Doctorum verba, qui plurimum diſſentire videntur*. Ita & Autor ſummae Aſteſanae, qui floruit initio ſeculi XIV., lib. 6. tit. 3. art. 4. *quaeritur, utrum Epiſcopus degradatus poſſit conferre Ordines. Reſpondeo; aliqui dicunt, quod non; quia degradati non tantum ſunt ſuſpenſi ab officii executione, ſed etiam ſunt ſpoliati Epiſcopali dignitate; unde non manent Epiſcopi*: quod habet & paulo ante vivens Riccardus Mediavilla in 4. d. 25. art. 1. q. 3. Sed jam ad facta veniendum.

§. 5. *Probatur facto*.

XLVIII. SI quando rite quis ordinatus Epiſcopus in id lugendi criminis prolabitur, ut ejus ordinationes, quas fecerit, irritae, ac invalidae pronuncientur; & ab eo ordinati rurſum ordinari, conſecrarique jubeantur; illum tum Ordinis *poteſtatem* exuiſſe, ac perdidiſſe dicendum eſt: at facta quamplura leguntur; quae hujuſmodi ordinatos, qui talem vel

vel meruerunt, vel crediti ſunt commeruiſſe poenam, extitiſſe praeſeferunt: igitur ex factis lucet *poteſtatem* ordinandi probe disjungi a charactere; atque ab ordinatis divelli poſſe. Aſſumtum oſtendo pluribus exemplis. *Theodorus Oxyrinchi* in Aegypto Civitatis Epiſcopus ad ann. 360. *Apollonii cujusdam;* (quem illum dicas Apollonium, qui ei in Epiſcopatu ſocius fuit, & anno 359. Seleucienſi Concilio interfuit;) Presbyteros, & Diaconos *Meletiani* Schiſmatis iterum ordinavit juxta ſanctionem Nicaenorum Patrum; uti ſcribunt Marcellinus, & Fauſtinus Presbyteri in libello precum ad Impp., qui habent, & eum ab Arianis ſeductum e Catholicae Eccleſiae caſtris ad ipſos Arianos defeciſſe; adhaerentemque Georgio in Alexandriae ſedem intruſo fidem orthodoxam ejuraſſe, & Sacerdotio, quod in Catholica acceperat Eccleſia, execrato, ſe *laicum* profeſſum petiiſſe ab eodem ſacrilego Georgio ordinari; itaque in Eccleſia Epiſcopum miniſtrare. Factum quidem, non abnuo, Haereticorum, ſed qui veteres Eccleſiae canones, aut mores tenere potuerunt.

XLIX. Sed ipſos Presbyteros praeſtat audire ita differentes: *Execrabiles Ariani in partibus Orientis, & maxime in Aegypto non fuerunt hoc ſolo contenti, ut Epiſcopi damnata fide integra in eorum impiam ſententiam declinarent; ſed hos ipſos, qui primum fuerant per Catholicos Epiſcopos ordinati; ubi pro eorum deſideriis ſubſcripſerunt; in Laicorum numerum redigebant; & poſtea iterum eos iidem haeretici Epiſcopos ordinabant: ut non ſolum fidem Catholicam damnare viderentur; ſed & ordinationem factam per Epiſcopos Catholicos. Oxyrinchi Civitas vidit Epiſcopum Theodorum in impiam praevaricationem fuiſſe collapſum, itaut non ſolum fidem integram condemnaret, ſed & Laicum ſe fieri ab impio Georgio pateretur, & denuo ab ipſo haeretico Epiſcopum ordinari. Hic eſt egregius, & ſanctiſſimus ille Epiſcopus, qui cum fuiſſet primum a Catholicis ordinatus, poſtea ab impio Georgio in Laicorum numerum redactus nihilominus ab ipſo Georgio Epiſcopus ordinatus eſt in vexatione fidelium ſedens, & communicans in una, eademque Civitate Apollonio Meletianorum Epiſcopo conſentienti impietatibus Georgii; cum ipſo item Apollonio idem Theodorus perſequens beatum Heraclidem vindicem Catholicae fidei:* & paulopoſt: *Theodorus*

hinc ſe vult Catholicum videri, quod & ipſe nunc quosdam Presbyteros, & Diaconos Apollonii facit Laicos, & eos iterum ordinat; ut videatur turpiſſimae iſtius ordinationis vicem referre, quam paſſus eſt: igitur Catholicorum erat, ordinationes *haereticorum*, & quorundam Schiſmaticorum uti *Meletianorum* iterare. Caeterum *Heraclides* ille fuit Oxyrinchi Epiſcopus partis quidem Catholicae, ſed mox aſſecla *Luciferi* Calarit. Epiſcopi ex iisdem Presbyteris.

L. *Cyrillus cum a Maximo* (Epiſcopo Hieroſolym.) *fuiſſet Presbyter ordinatus; & poſt mortem ei ab Acacio Epiſcopo Caeſarienſi, & caeteris Arianis Epiſcopis Epiſcopatus promitteretur, ſi ordinationem Maximi repudiaſſet; Diaconus in Eccleſia miniſtravit: ob quam impietatem Sacerdotii mercede penſatus in Heraclium, quem moriens Maximus in ſuum locum ſubſtituerat, varia fraude ſolicitans de Epiſcopo in Presbyterum regradavit*: inquit S. Hieronymus in Chronico ad annum 351. Perperam id quidem, & perverſe, impieque ab Arianis patratum; ſed qui Catholicos, & Homouſianos pro *Sabellianis* haereticis habebant; ideoque more Eccleſiae ordinationes eorum irritas, ac nullas eſſe judicabant. Hic autem eſt ille Cyrillus Hieroſolymitanus Antiſtes, qui poſtmodum ita vixit, ac egit; ut in Martyrologio Romano ad diem 15. Kal. April. locum obtinuerit. Qui namque perhibent Hieronymum valde juvenem *Chronicon* elucubraſſe; ipſi quidem valde hallucinantur; cum illud ediderit jam quinquagenarius. Deinde etiam in VII. Synodo contra Iconoclaſtas Act. 1. *Cyrillus* aſſeritur promotus Epiſcopus ab Acacio, & Patrophilo Arianis. Tandem legi poſſunt & ea, quae de iteratis *Evagrianorum* ordinationibus referam Cap. IV. n. 4.

LI. Vivendi cum finem feciſſet Johannes Niceota Epiſcopus Alexandrinus; favore Anaſtaſii Imp., vel aulicorum ejus anno 517. *Dioſcorus* junior eam invaſit Eccleſiam, & conſecratus eſt: quo cognito Oppidanorum multitudo a reliquo Eccleſiae coetu ſeceſſionem fecit dicens: *non ſedet Epiſcopus; niſi qui, prout ſancti Apoſtolici Canones praeſcribunt, fuerit inſtitutus: Principis enim Magiſtratus eum ad thronum ſubvexerant. Igitur ad S. Marci Dioſcoro profecto, convenientes Clerici iterum induerunt, & ordinationis ritum circa ipſum iterato*

per-

Digitized by Google

perfecerunt &c.: uti memoriae prodidit S. Theophanes in Hiſt. ad ann. 509. Alexandr., & poſt eum Anaſtaſius Bibliothecarius in Hiſt., neque factum hujuſcemodi ullus unquam improbavit; etſi perſonam Dioſcori non omnes probarunt. V. Cap. v. n. 13.

LII. Joannes I. Papa ad ann. 525. *Arianorum* Eccleſias iterum Catholico ritu conſecravit ex ejus Epiſt. ad Epiſcopos Italiae; quam licet ſuppoſitam opinentur plures, eam tamen adoptavit Paſchalis II. Epiſt. 50. ad Rotardum Moguntinum Epiſcopum; & factum literis mandavit Gregorius Turonen. de *Gloria Mart.* cap. 40., imitatuſque eſt etiam Gregorius Magnus Epiſt. 19. lib. 3., & Dial. lib. 3. cap. 30., quod quidem & antea obſervari praeceperat Synodus Aurelianenſis I. anno 511. c. 10., & poſtea Caeſarauguſtana II. anno 592. c. 3., aliaeque plures, ut infra ſuis apparebit locis. Eſt autem ejusdem Ordinis Epiſcopalis & conſecratio *Eccleſiarum*, & ordinatio *Clericorum*: igitur ſi Eccleſiarum *conſecrationes* ab Haereticis factae ita ſunt irritae judicatae, ut iterari debuerint; cur non idem dicetur contigiſſe de Clericorum *ordinationibus* ab eisdem haereticis patratis? De hoc etiam Cap. viii. n. 21. De ordinatione autem *Ceaddae* Eboracen. intruſi ſeculo ſequenti a Cantuarien. Archiepiſcopo, viroque doctiſſimo Theodoro repetita dicam c. v. n. 15., n. vero 16. & ſeqq. diſſeram diffuſius de *Conſtantini* Pſeudopapae facto, ejuſque ordinationibus a Romano Stephani Papae III. Concilio exſufflatis, iteratiſque.

LIII. Joannes PP. VIII. anno 881., quoniam Anſpertus Mediolanen. Archiepiſcopus *pro ſuis criminibus in Synodo ſacra communione* privatus, nihilominus *contra canonica ſtatuta* in Vercellenſi Eccleſia quendam Joſeph Epiſcopum ordinare praeſumpſerat; in alia Synodo Rom. utrumque *omni Epiſcopali honore* privatum, & alienum pronunciavit: quia *praedictus Anſpertus dudum Mediolanen. Archiepiſcopus ... quod non habuit, dare profecto nequivit* ex Epiſt. 223. ejusdem Johannis PP. ad Vercellenſes. Et cum Anſpertus obtenta poſt venia ad dignitatem reditum obtinuiſſet, & Joſeph memoratum promovere curaſſet; ei quidem Aſtenſem contulit Eccleſiam ſed *nova electione, ac ordinatione*, quam idem PP. Joannes confirmavit Epiſt. 260. ad ipſum Anſpertum data inquiens: *ſicut qui nihil ab ordinatore prius acceperit, in Epiſcopum crearetur &c.*,

de praefati Joſeph iterata creatione ſanctitas tua in nullo penitus baeſitet &c. Quae literae producentur Cap. vi. n. 8., quo clarius eluceſcat, *poteſtatem* Ordinis ob crimina auferri poſſe. Sed & paucis ante annis *Attardum* Namneten. Epiſcopum poſtea Turonen. Antiſtitem iterum ordinaſſe eos, quos quidam Giſlardus iiidem Nannetenſis Epiſcopus ordinaverat, haud paucis enarrabo Cap. v. n. 23.

LIV. Nec poſſum hic praeterire Concilii Rom. anno 896. ſub Stephano VI. al. VII. memorabile factum, quo Formoſi Papae acta cuncta reſcidit; & ordinationes ſacras ab illo factas in irritum adduxit; *cunctoſque, quos ipſe ordinaverat, gradu proprio depoſitos iterum ordinavit*: ut eſt apud Luitprandum lib. 1. cap. 8. Quoniam eiſi deteſtandum & novum factum omnes fuiſſe conclamant; non ego factum defendo; ſed in novo facto veterem Eccleſiae morem, ac diſciplinam inveniri dico. Fuerat Formoſus Portuenſis Epiſcopus ab Johanne VIII. ob crimina multa dignitate ſpoliatus; ac, ne reſtitui tentaret, juramento obſtrictus: & quanquam a ſucceſſore Johannis Marino juramento abſolutus, & priſtinae dignitati reſtitutus is fuit; putavit nihilominus Stephanus, utrumque contra Canones Eccleſiaſticos eſſe; proindeque Formoſum nullum fuiſſe Papam, & nullas ejus ordinationes. Quod ſi erravit Stephanus cum Concilio in facto; erraſſe non videtur in more: propter quid enim iterandas ejus ordinationes edixit; ſi mos, & canon in Eccleſia non extabat, qui doceret, depoſitos ab ordinibus ſacris Ordinis *poteſtatem* amittere? Plura de hac re dicentur Cap. x. n. 14. & ſeqq.

LV. S. Leo IX. gravis, ſed juſtus Simoniacorum hoſtis ad annum 1050. in Romano *Concilio quoſdam depoſuit Epiſcopos, quos praedicta baereſis naevo ſuae nequitiae maculaverat;* inquit Wibertus in ejus Vita lib. 2., & *pleroſque Simoniacos, & malle promotos tanquam noviter ordinavit*, teſte S. Petro Damiani Epiſt., ſeu Opuſc. 5. de ſuis apud Mediolanum actis; qui & Opuſc. 6. *Gratiſſimus* cap. 1. ſcribit, in ea de Simoniacis diſputatione diu ventilata *eatenus* eſſe *proceſſum; ut nonnullos conſtet Epiſcopos ab illis ordinatos Clericos denuo conſecraſſe*: nimirum de iis, qui *gratis* a Simoniacis ordinati fuerant, Antiſtitibus, longa diſceptatio fuit; nam de veris Simoniacis nul-

nullum extabat dubium. De quibus & Cap. VII. n. 11. & ſeqq. iterum verba facienda erunt.

LVI. De S. Herembaldo Equite Mediolanenſi, magno S. Gregorii VII. contra Simoniacos, Nicolaitaſque propugnatore, ac Martyre narrat Arnulfus civis, & aequalis ejus Hiſt. lib. 4. cap. 3., anno 1075. cum ab Apoſtolica Sede communione privatos Epiſcopos Schiſmaticos Inſubriae perſequeretur, *S. Pentecoſtes ſabbato fieri* prohibuiſſe *in urbe baptiſma. Poſtea vero Chriſma, quod unus illorum* (Epiſcoporum Schiſmaticorum) *dominicae coenae myſterio Metropolitanae direxit Eccleſiae, ſicut mos eſt deficiente Pontifice, profuſum humi coram omni populo calcibus* proculcaſſe, *ſuumque in medium* produxiſſe: & tamen ſanctimoniae vitae Herembaldi factum illud nil obfuit; nec vetuit, quin ab Urbano II. in *Sanctorum* album relatus aſſeratur. Quod non fuiſſet, ſi Sacramenta eorum, qui ab Eccleſia ſeparantur, & Eccleſiaſticis Ordinibus exuuntur, vera eſſent, & ideo vera non ſunt, quia conficiendorum eorum poteſtatem illi non habent.

LVII. Urbanus II. anno circiter 1087. *Daibertum* a Wezilone in Moguntinam Sedem intruſo, Simoniaco, & ab Haereticis promoto *in Diaconum ordinatum ex integro neceſſitate ingruente Diaconum* ordinavit, ſubdens: *quod non reiterationem exiſtimari cenſemus, ſed tantum integram Diaconii dationem; quoniam, ut praediximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit*: antea namque dixerat: *S. Innocentii Papae ſententia conſtat declaratum, quod Wezilon, quem conſtat ab Haereticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus impoſuit* ex c. *Daibertum* 1. q. 7. Et fruſtra conantur quidam tam apertum factum aut in dubium vocare, aut verborum involucris obſcurare, & in oppoſitum ſenſum fraudulenter trahere: cum extet alia ejusdem Urbani Epiſtola de quodam alio in *Diaconum* ſimiliter ordinato, ut ſuſpicabatur, a Trevirenſi Archiepiſcopo *Simoniaco*, qua ſcribit, ſe eam ordinationem *irritam* cenſere; ac praecipere, *ut eosdem ordines ab aliquo ſortiatur Epiſcopo Catholico*: idque fuſius demonſtrabo Cap. VIII. n. 26. & ſeqq.

LVIII. Chronicon Mauriniacenſe Acta Concilii Lateranen. II. anno 1139. ab Innocentio II. celebrati deſcribens ejuſ-

Digitized by Google

dem Innocentii verba de Petro Leonis Schiſmatico, & Antipapa producit hujuſmodi: *Unde quia inordinatae perſonae inordinata ſunt decreta; quodcunque ille ſtatuerat, deſtruimus; quoſcunque exaltaverat, degradamus; & quotquot ordinaverat, exordinamus, & deponimus &c.* Quid autem eſt hoc loco *exordinamus*, niſi ordinem auferre, & *poteſtatem* ordinis nullam declarare? ita ſane & Sigebertus ad annum 907. ſcribit Stephanum VI. al. VII. *exordinaſſe* eos, quos jam Formoſus Papa ordinaverat; & Gulielmus Pariſienſis Epiſcopus, quem n. 44. retuli, *exordinationem* accipit pro actu, quo Eccleſia *dignitatem* omnem, & *poteſtatem*, & *officium ſacerdotale* adimit aliquibus. De qua re etiam Cap. IX. n. 8.

LIX. Quare nemini dubium eſſe debet, quin eodem modo, quo quae proxime ſunt allata, intelligenda ſint quoque ea, quae Robertus Flammesbur. lib. 3. Paenit. ſcribit; Alexandrum III., & Lucium itidem III. juſſiſſe *reordinari ordinatos ab illis, qui ultimam manus impoſitionem acceperant extra Eccleſiam*, videlicet in Schiſmate, haereſique illius aevi; ut magis explicabitur Cap. X. n. 9. & 10., praeſertim cum Alexander juſſerit *irritas* pronunciari in Veneto Concilio anno 1177., & Lateranenſi III. anno 1179. eorundem Schiſmaticorum *ordinationes;* quod & antea factum fuerat in Conciliis Rhemenſi an. 1148., Lateranenſibus 1139., & 1123., Romano 1099., Placentino 1095., Quintilinoburg. 1085., & Romano 1078., aliiſque in locis: *irritum* autem diximus eſſe id, quod omnino eſt nullum, & invalidum quantum quidem ad naturam rei, non quantum ad executionem ſolum; & *poteſtatem* Ordinis penitus explodere.

LX. Sed nec dubium etiam eſſe debet, quominus quamplura alia exiſtant facta; quae aut me profecto fugiunt; aut literis plane tradita non fuerunt: ſed quae conjicere facile quis poterit, ſi ea, quae hactenus hac de re ſunt expoſita, attente perpendat; potiſſimumque Concilia Rom. Nicolai II., & Gerundenſe in Catalaunia; ubi praecipitur, ut *Clerici a Simoniacis ordinati* iterato *a Catholico ordinentur Epiſcopo*: nam etſi factum ibi manifeſte non exprimitur; tamen cum *Simoniaci* in Eccleſiis id temporis ubique pollerent, & graſſarentur; quis dubitat, alicubi ſaltem non factum fuiſſe? quinimmo valde veri-

veriſimile eſt, plurimas fuiſſe eorum *ordinationes*, quae ob eam cauſſam *iteratae* fuerunt; ideoque & facta plurima contigiſſe. Praeſertim ſi ea probetur opinio, quam complures tutati ſunt; quamque docuit Alex. Alenſis par. 4. q. 8. mem. 5. art. 1. §. 6. his verbis: *in Ordine Epiſcopali non imprimitur character ſicut in Sacerdotali, qui impreſſus in anima deleri non poteſt; unde ſolummodo aufertur illi officium conſecrandi: non enim aufertur illi poteſtas, ſed executio poteſtatis. Sed quia in ordine Epiſcopali non imprimitur character; in degradando aufertur ei poteſtas conferendi ordines, & officium executionis.* Quod ipſum acute vidit, & expendit Scotus loco ſupra memorato.

CAPUT III.

De illicitis ordinationibus, ac primum eorum, qui a ſacris Ordinibus prorſus arceantur.

I. QUandoquidem Eccleſiae eſt declarare, quandonam *ordinationes* ſacrae hoc, vel illo modo dicantur illicitae ex c. *Venerabilem* de electione, ubi Innocentius III. Duci Carinthiae ſcribit de juramento *licito*, vel *illicito*: nunc oſtendendum eſt, an etiam ejusdem ſit Eccleſiae; ut hoc vel illo modo fiant illae aliquo pacto illicitae, vel non. Certe S. Innocentius I. Epiſt. 4. ad Felicem Nucerinum Epiſcopum cap. 3. de *Laicis* haec habet: *deſignata ſunt genera, de quibus ad Clericatum pervenire non poſſunt*: & quamquam quatuor dumtaxat ibi genera recenſet; forſan quod de illis praecipue tum quaerebatur; tamen & idem aliis in Epiſtolis, aliique & Rom. Pontifices, & Concilia, & SS. Patres longe plura commemorant, ut Zoſimus PP. Epiſt. 1. ad Heſichium Salonitanum Epiſcopum, Caeleſtinus I. Epiſt. 2. ad Epiſcopos Vienn., & Narbon. Provinciae, Leo Magnus Epiſt. 87., Hilarius PP. Epiſt. 2., Autor Epiſtolae 1. Stephano PP. I. adſcriptae, Gelaſius PP. I. Epiſt. ad Brunduſinos, & Gennadius Maſſilien. Presbyter de Eccleſ. Dogmat. cap. 39. al. 72., poſt omnes autem, ſed fuſius *Concilium Toletanum IV.* canone 19., quae videri poſſunt. Unum tamen hic liceat exſcri-

Digitized by Google

ſcribere, nimirum *Gelaſii* decretum, vel Epiſtolam ad Brunduſinos, quae mutilata extat & c. *Conceſſo* 12. q. 2., ubi de Epiſcopo illis conceſſo ſcribit Pontifex: *cui dedimus in mandatis, ne unquam ordinationes praeſumat illicitas; ne bigamum, aut qui virginem non eſt ſortitus uxorem; qui neque illiteratum; vel in qualibet parte corporis vitiatum; aut expoenitentem; vel curiae, aut cuilibet conditioni obnoxium; notatumque ad ſacros ordines permittat accedere. Afros paſſim ad Eccleſiaſticos Ordines praetendentes nulla ratione ſuſcipiat; quia aliqui eorum Manichaei, aliqui rebaptizati ſaepius ſunt probati*: idemque habet & Gregorius Magnus Epiſt. 25. lib. 2. Epiſcopo Scyllatino Joanni, & Gregorius II. Epiſt. 4. ad Thuringios; eſt enim *Synodale, quod accipit Epiſcopus* ordinatus in lib. Diurno Rom. Pontificum; in quo non omnes quidem referuntur, qui prohibentur ordinari; ſed tamen praecipui, iique permiſte tam qui ſemper, & omnino; quam qui quandoque rejiciuntur, quandoque vero admittuntur; &, ut ajunt, diſpenſantur.

II. Sunt autem, qui noſtrae adverſantur opinioni, exiſtimantes tantam, ac talem *charaſteri* Ordinis ineſſe virtutem, ac efficaciam; ut ubicunque ille inſit, nequeat non efficere quod ſignificat; & homo quicunque, qui eo ſit ornatus, non poſſit non eſſe Miniſter Ordinis, & non ordinare quemcunque vere, ac *valide*, etſi aliquando minus decenter, & *illicite*, quantum quidem ad characterem Ordinis Epiſcopalis: atque ita de aliis &c. Verum ſi poteſt Eccleſia nonnullos a *matrimonio* ita arcere, ac inhabiles declarare, ut ſi invicem illi inire conjugium, atque contrahere tentaverint; irritum ſit, ac nullum matrimonium: cur non poterit nonnullos etiam ita ab *Ordinum* ſacrorum ſuſceptione prohibere, & non idoneos pronunciare, ut ſi ad Ordines acceſſerint, eoſque ſuſceperint; irriti ſint ordines illi, ac prorſus nulli? Quod quidem argumentum ſibi Scotus propoſuit in 4. d. 25. q. 1. §. *Argumentum tertium in oppoſitum*; & in fine quoque quaeſtionis vim ejus infringere eſt conatus ad characterem in Ordine, non in matrimonio repertum confugiens; ſed Mayronus ejus diſcipulus diſſimulare nequivit difficultatem; aitque ibidem q. 4. §. *ſed dubium: hic videtur difficile, quare non eſſet, ſi fieret de facto, ibi, ſicut hic: unde videtur, quod aeque bene poſſit illegitimare in propoſito,*

ſito, *ſicut ibi:* ideſt declarare aliquos ad ordines nequaquam eſſe idoneos; ſicut declarat inhabiles ad matrimonium. Sed & Rubion alius Scoti diſcipulus q. 1. §. *quantum ad ſecundum* reſpondet; ideo Eccleſiam non poſſe quemquam declarare ad ſacros Ordines inhabilem, ſicut inhabilem pronunciat ad Matrimonium, quod aut vidit non expedire; aut autoritatem non habuit a Deo: ac ita praeceptoris effatum non probavit. Et quidem *character* non eſt cauſſa ordinis, ſed ſignum; & ſi quoque eſſet cauſſa, non ſemper cauſſam effectum conſequi neceſſe eſt: ſic falſum eſt etiam, Eccleſiam non poſſe quemquam ad ſacros Ordines inhabilem declarare; an non *foeminam*, *non baptizatum*, *fictum*, ac prorſus *invitum*, *bigamumque* ad id inhabiles pronunciat? Quaerendum eſt itaque, de quibus pronunciet Eccleſia; de quibus vero non: & primum de iis, qui omnino prohibentur; deinde de iis, de quibus aliter diſponi poteſt, ac leges ſanciant; ſive qui *diſpenſari* poſſunt.

§. 1. *De Foeminis*, *aliiſque &c.*

III. Foeminas igitur ordinari non poſſe inter omnes convenit non ſolum Catholicos, verum etiam Heterodoxos, paucis dumtaxat exceptis eorum, qui extra fidelium caſtra morantur: idque probari ſolet ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 14., ad Epheſ. 5., & 1. ad Timoth. 2., ex more veteris teſtamenti, ex Tertulliano lib. de *velandis Virginibus* cap. 9., Epiphanio haer. 49. Cataphrygum, & 79. Collydiorum; S. Auguſtino haer. 27., & ex Autore Comment. in Epiſt. Paulli S. Ambroſio adjudicati in 1. ad Timoth. 3. 11., ut omittam rationes, quae & notae ſunt ſatis, & legi poſſunt apud alios: addamque ſolum, *Androgynos*, in quibus tamen praepolleat ſexus muliebris; foeminis accenſeri; ideoque a ſacris ordinibus penitus arceri; ut etiam dixi Cap. II. n. 7.

IV. *Cathecumenos*, & *non baptizatos* ſacris initiari, ſacriſque Altaribus admoveri non poſſe ducitur primum ex can. 19. Concilii Nicaeni de Paullianis Clericis prave baptizatis, ideoque non baptizatis, qui jubentur iterum & baptizari, & ordinari: deinde ex Compendienſi Concilio c. *Si quis* de Presbytero non baptizato; nec non ex Innocentio III. c. *Majo-*

res

res ibidem de Presbytero non baptizato, qui & ipſe ex Con. Compendienſi hunc canonem adducit: *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur*, qui extat & c. *Si Presbyter* 1. q. 1., referturque a Burchardo lib. 4. cap. 74., Ivone p. 1. cap. 268., & Pannormiae Autore lib. 1. cap. 96. Collectores Conciliorum exputant hunc eſſe canonem 9. Compendien. Concilii anno 757. celebrati, qui habet: *Si quis baptizatus &c.* ſed perperam, cum ille de *Baptiſmo* diſponat; hic vero de *Ordine;* ille a Burchardo, & Ivone dicitur canon 15., hic autem eſt canon 9., qui & a Fulberto Carnotenſi aequali Burchardi tribuitur *Leptinenſi* Synodo anno 743. coactae: eſt igitur hic canon alterius Concilii *Compendien.* incerti. Refert & Nicephorus Calliſti lib. 16. cap. 27. Petrum Fullonem, al. Cnapheum haereticum, & Antiochenae ſedis incubatorem ordinaſſe Hierapolitanis Epiſcopum quendam *Xenajam* genere Perſam conditione ſervum, & nondum *baptizatum*, quem & Philoxenum nominavit: ob quod facinus cum ſe traduci Petrus deprehendiſſet, dixiſſe fertur, *ſufficere ei pro baptiſmo conſecrationem*: propterea ab Epiſcopis Perſis accuſatum ſcribit Theodorus Lector.

V. *Fictos*, & *invitos*, coactoſque penitus, ut expreſſe contradicant, & ſimulent, ſacros Ordines non accipere docet Innocentius III. c. *Majores* de Baptiſmo; ubi ediſſerit, eum, *qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit; nec rem, nec characterem percipere Sacramenti*: ſicut & *amentes, & dormientes*, ſi ante dormitionem, & amentiam contradixiſſent: *tunc ergo*, ſubjungit Pontifex, *characterem ſacramentalis imprimit operatio; cum obicem voluntatis contrariae non invenit obſiſtentem*: eruiturque etiam ex c. *Geſta*, *Ubi iſta*, *Epiſcopus*, *Honoratus* d. 74., & ex can. 7. Concilii Aurelianen. III., tametſi ibi ſermo ſit de invitis utcunque. Jo: Scotus 4. d. 4. q. 4. ſentit, diſſentientem *negative*, aut *contrarie*, aut etiam *indifferenter* ſe habentem nullo modo Sacramentum accipere; qua de re videre eſt Philippum Fabrum ejus doctum interpretem. Certe S. Auguſtinus lib. 7. de Baptiſmo cap. 53. dubitare ſe negat, *habere eos baptiſmum, qui ubicunque, & a quibuſcunque illud verbis evangelicis conſecratum ſine ulla ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent: quanquam eis ad ſalutem ſpiritalem*

non

Digitized by Google

non prodeſſet; ſi charitate caruiſſent, qua Catholicae insererentur Eccleſiae: igitur ab oppoſito ſentit Auguſtinus cum *ſimulatione* non haberi baptiſmum; quemadmodum nec idem haberi poteſt ſine *fide*. Neque his refragatur, quod S. Gregorius VII. Epiſt. 36. lib. 1. ad Humbertum Lugdunen. Epiſcopum ſcribit praecipiens, ut Alduinum Matiſconen. electum ordinet, vel ordinare faciat in Epiſcopum: *ſi vero ipſe hunc ordinem ſuſcipere renuerit; & inflexibilem ſe exhibuerit; volumus, ut cum Epiſcopo ſuo vim ſibi inferas; eumque ad recipiendum Epiſcopalem ordinem vigilanti ſtudio, atque paſtorali rigore conſtringas:* nam ibi Pontifex non de vi prorſus cogente loquitur; neque de eo, qui penitus obſiſtat; ſed de eo, qui quamquam conſtrictus verbis, liber tamen ad diſſentiendum manet: quod etiam de nonnullis aliis ſimilibus exemplis, & autoritatibus affirmari debet; cum hoc ipſum autumet & Innocentius memoratus his verbis: *is, qui terroribus, atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum; talis, ſicut & is, qui ficte ad Baptiſmum accedit, characterem ſuſcipit chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei Chriſtianae.*

VI. *Ordinatum a pluribus;* quorum unus manum imponat; alter vero formam, ſeu conſecrationis verba pronunciet; illicite, & ut ajunt, *invalide* ordinem ſuſcepiſſe determinatum eſt in Concilio Hiſpalenſi II. ad annum 619. a S. Iſidoro Epiſcopo Hiſpal. congregato c. 5., & c. *Quorundam* diſt. 23. refertur ex Con. Toletano, ſed apud Burchardum lib. 1. cap. 3. eſt ex Con. Bracarenſi. Sane & Concilium Mechlinenſe in Belgio anno 1607. celebratum, & a Paulo V. confirmatum habet tit. 3. cap. 6. *Et quia frequens experientia docet, modernos haereticos ſaepe contra receptam Eccleſiae conſuetudinem, & antiquiſſimam traditionem baptizare, uno aquam fundente, alio formam ipſam pronunciante: ab Haereticis, (qui non ſunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis Catholicus praeſto eſt) baptizati ſimiliter ſub conditione baptizentur;* Id autem de caeteris quoque Sacramentis affirmari debet, cum ſit de hac re communis conſenſus; & ratio, quae poteſt ſtruere pro uno, poſſit & pro reliquis.

Si-

Similiter nemo *ſeipſum ordinare* poteſt, nec *confirmare*, nec *baptizare* ex c. *Debitum* de Baptiſmo. Nec *non ordinatus* poteſt unquam eſſe Ordinis Miniſter: id autem quare? forſan quia aut hoc loco valet illud effatum: *nemo dat, quod non habet*: aut ſic decrevit Eccleſia, & per Eccleſiam Deus; nam extraordinarie dicuntur *Angeli* poſſe ſacros Ordines conferre, & contuliſſe; ideoque & quicunque, qui a Deo deligerentur, etiam *non ordinati*.

§. 2. *De Bigamis*.

VII. B*Igamos* ordinari nullo modo poſſe habemus ex Apoſtolo 1. ad Timotheum 3., & ad Titum 1., ex can. 17. al. 18. Apoſtolorum, & ex S. Baſilio Epiſt. can. c. 12., ubi inquit: *Digamos canon omnino a miniſterio excludit*: S. vero Ambroſius Epiſt. 82. lib. 10. ad Vercellenſes habet: *Sed prius cognoſcamus non ſolum hoc Apoſtolum de Epiſcopo, & Presbytero ſtatuiſſe; ſed etiam Patres in Concilio Nicaeno tractatus addidiſſe, neque Clericum quenquam debere eſſe, qui ſecunda conjugia ſortitus ſit*: ſed cum inter Nicaenos Canones iſte non legatur; quis non intelligit, pro Nicaeno *Apoſtolorum* Canonem indicare voluiſſe vel memoria lapſum, vel quod Nicaenus canon ipſi obtruſus fuit? Innocentius I. Epiſt. 22. ad Macedones c. 1. ait: *Eos, qui viduas accepiſſe ſuggerentur uxores, non ſolum Clericos effectos agnovi, verum etiam uſque ad Infulas ſummi Sacerdotii perveniſſe; quod contra legis eſſe praecepta nullus ignorat. Nam cum Moyſes legiſlator clamitet: Sacerdos uxorem virginem accipiat: ac ne in hoc praecepto aliquid putaretur ambiguum, addidit: non viduam, neque ejectam: contra quod praeceptum Divina autoritate ſubnixum nulla defenſio mandati alterius opponitur niſi conſuetudo veſtra ... Nos autem, omneſque per Orientem, Occidentemque, noverit veſtra dilectio, haec penitus non admittere; nec ad ultimum Eccleſiaſtici Ordinis locum tales aſſumere; & ſi reperti fuerint, ſubmovere*: Epiſt. etiam 4. ad Felicem Nucerinum Epiſcopum c. 2. id dicit eſſe contra *legem* veterem, nempe Leviticum c. 21., & Ezech. c. 44.

VIII. Sic paulo ante eum Siricius Papa Epiſt. 1. ad Himerium Tarracon. Epiſcopum n. 8. dixerat: *Dei noſtri, quantum*

tum in ſe eſt, praecepta contemnunt... ubi illud eſt, quod Deus noſter data per Moyſen lege conſtituit dicens: Sacerdotes mei ſemel nubant? & alio loco: Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem: quod ſecutus Apoſtolus ex perſecutore praedicator unius uxoris virum tam Sacerdotem, quam Diaconum fieri debere mandavit. Et poſtea Leo Magnus Epiſt. 1. al. 3. ad Epiſcopos Campaniae &c. n. 1. ſcripſit: *Hos ergo, quicunque tales admiſſi ſunt, ab Eccleſiaſticis officiis, & a Sacerdotali nomine Apoſtolicae ſedis autoritate jubemus arceri: nec hoc enim ſibi poterunt pro arbitrio vendicare, cujus capaces per hoc, quod illis obſtiterat, non fuerant*: Epiſt. vero 87. ad Epiſcopos Mauritaniae n. 1. *Eos enim, qui vel ſecundas nuptias inierunt, vel viduarum ſe conjugio ſociarunt; nec Apoſtolica, nec legalis autoritas Sacerdotium obtinere permittit*: cum praemiſiſſet: *nec putandus eſt honor ille legitimus; qui fuerit de praevaricatione* (al. *contra praecepta divina*) *collatus*. Innumerae ſunt Scriptorum, Rom. Pontificum, & Conciliorum de hac re autoritates; ſed ad rem noſtram ſatis eſſe puto, quas retuli: unamque tantum addam Concilii Hiſpalenſi II. ſub S. Iſidoro congregati can. 4., quae eſt hujuſmodi: *Nunciatum eſt nobis, apud Aſtigitanam Eccleſiam quaſdam nuper ordinationes illicitas extitiſſe ita, ut quidam viduarum mariti Levitarum miniſterio ſacrarentur; quos quidem convenit a gradu ſuſcepto in irritum devocari; nec ultra provehi ad Diaconii miniſterium, qui contra Divina, atque Eccleſiaſtica jura inſtituti reperiuntur*. Quod ſi de jure non ſolum *Eccleſiaſtico*, verum etiam *Divino* eſt, non admittere ad ſacros Ordines *Bigamos*, ac viduarum maritos; quis non videt, horum ordinationes, ſi quando fient, irritas eſſe, hoc eſt *invalidas*?

IX. Ea propter Lucius III. c. *Super eo*, & Innocentius III. c. *Nuper*, nec non c. *A nobis* de Bigamis non ordinandis aſſerunt, *cum Bigamis diſpenſare non licere contra Apoſtolum*. Itaque quod legimus apud Autorem Gloſſae in c. *Lector* d. 34. & inde apud S. Thomam 4. d. 27. q. 3., Scotum 4. d. 33. q. 2., & alios, *Lucium* in hac re *diſpenſaſſe* cum Archiepiſcopo Panormitano; aut id factum fuit non in vere Bigamo; ſed in eo, qui videtur, & non eſt, atque *ſimilitudinario*; aut falſum eſt, & Autori gloſſae impoſitum; cum non legatur hujuſcemo-

modi *diſpenſationis* diploma. Nam idem Innocentius III. ibidem c. *Debitum*, & c. *Quia circa* reſcripſit, oſtenditque interdum quae videbatur, non eſſe bigamiam. Quod autem habet memoratum c. *Lector* d. 34., *Martinum Papam diſpenſaſſe Lectorem*, & *Subdiaconum* bigamum, vel viduae maritum: primum caput illud, vel canon non eſt Martini Papae, ſed Martini Bracaren. Epiſcopi c. 3., Toletanique Concilii I. c. 3., deinde id non eſt contra Apoſtolum, qui de *Diaconis* ſolummodo, *Presbyteris*, & *Epiſcopis* praecipit 1. ad Timotheum 3., & ad Titum 1., non de ordinandis in *Minoribus* ordinibus, de quibus explicandus eſt Siricius PP. Epiſt. 1. ad Himerium n. 15. Et cum Innocentius praedicto c. *A nobis Subdiaconum*, qui cum vidua contraxerat, *diſpenſare* noluit; quod diceret, non licere *contra doctrinam Apoſtoli;* loquitur ex novo jure, quo Subdiaconus factus fuerat unus ex tribus *Ordinibus ſacris*, de quibus tantum diſſerit Apoſtolus: etſi canon 17. al. 18. Apoſtolorum omnes quoſcunque Ordines complecti voluit; uti & Siricius laudatus Epiſt. 1. n. 11., & Innocentius I. Epiſt. 22. n. 1., ſed id jure dumtaxat Eccleſiaſtico.

X. Hinc elucet, quantopere hallucinati ſint & Canonum, & Theologiae Doctores, qui ab Autore Gloſſae, & c. *Lector* Martino Papae adjudicato decepti literis tradiderunt, *Romanum Pontificem* ſuper quacunque bigamia diſpenſare poſſe, ſeu relaxare, aliterque diſponere, ac leges velint; cum id tantummodo legatur factum in bigamia *ſimilitudinaria*, non in *vera*, neque in *interpretata*. Et cum opponunt; etiam ex Apoſtolo nec ordinari debere *Neophitum*; & tamen inrerdum pro ipſis laxatas fuiſſe praecepti habenas; ordinatoſque apparuiſſe: ſciant legem de *Neophitis* eſſe ſolius Apoſtoli; illam vero de *Bigamis* etiam Divinam eſſe. Quocirca quod ait S. Thomas Quol. 4. q. 8. art. 1. *manifeſtum eſt autem, quod bigamum non promoveri, neque eſt de lege naturae, neque pertinet ad articulos fidei; neque eſt de neceſſitate Sacramenti; quod patet ex hoc, quod ſi Bigamus ordinetur, recipit ordinis Sacramentum: ſed hoc pertinet ad quandam determinationem Divini cultus: unde circa hoc poteſt Papa diſpenſare*: & §. ad 2. *ſimiliter etiam quod dicitur de Bigamo non promovendo, non eſt juris Divini, ſed inſtitutio autoritatis humanae divinitus homini conceſſae*: aut expli-

plicandum de Bigamo non vero; aut dimittendum ob ea, quae jam de hoc ejus opere notavi Cap. II. n. 5.

XI. Sed id, quod Alexander Natalis Theolog. Dogmat. & Moral. lib. 2. de Sacramento Ordinis cap. 4. art. 7. ad illud Lucii III. c. *Super eo* reſpondet, Pontificem ſignificare ſolum *diſpenſationis* illius poteſtatem Epiſcopo non eſſe concreditam, ſed Rom. Pontifici reſervatam; falſum eſt omnino; cum ipſe Rom. Pontifex fuerit requiſitus, ut diſpenſaret; reſponderitque, *non licere*, quod eſt hoc loco *non poſſe*: nam id cum ſit contra vel ſacros Canones ſecundum iſtos; quis neſcit, nonniſi ad *Conditorem Canonum* ſubde Rom. Pontificem pertinere ſuper canonibus diſpenſare? Deinde non ſolum ibi de Bigamis *ordinatis* ſermo eſt, ſed etiam de eorum *ordinatoribus*: ordinatores autem ſunt Epiſcopi; & Epiſcopos *diſpenſare* ſpectat ad Rom. Pontificem. Tandem ſi in bigamia *ſimilitudinaria*, quae omnium infima eſt, nonniſi Papa relaxare poteſt; quanto magis in aliis duabus bigamiae ſpeciebus: tametſi D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 1. negat Papam ſuper hac tertia Bigamiae ſpecie diſpenſare poſſe. Ceterum c. *Requiritis* 1. q. 7. Autor gloſſae tradit, quid ſit *diſpenſatio;* & quando Epiſcopus diſpenſare valet; quando vero non: c. etiam *Ex multis* 1. q. 3. admonet, ſolum Papam diſpenſare poſſe cum eo, qui ſcienter eſt *Simoniacus*: quod ſi ita de Simoniaco, eo magis de Bigamo. Cum ulterius doceat Innocentius III. Epiſt. 195. lib. 13. *diſpenſationem* pro tribus ordinibus ſacris uno, eodemque die conferendis *ad ſolum Romanum Pontificem* ſine dubitatione pertinere.

XII. Afferet aliquis adverſus iſta haec Valentinae Synodi I. anno 374. congregatae Canonem 1., qui eſt hujuſmodi: *Sedit igitur, neminem poſt hanc Synodum, qua ejuſmodi illicitis vel ſero ſuccurritur, de Digamis, aut internuptarum maritis ordinari Clericum poſſe. Nec requirendum; utrumne initiati Sacramentis Divinis, anne Gentiles hac ſe infelicis ſortis neceſſitate macularint; cum Divini praecepti caſta ſit forma. Sed quia fratrum noſtrorum vel imperitiam, vel ſimplicitatem, vel etiam praeſumptionem damnare non poſſumus; nec per omnes Eccleſias, quae ſunt jampridem male geſta, corrigere: placuit etiam de eorum ſtatu, qui prius ordinati ſunt, nihil revolvi; ſi nulla extrinſecus cauſa procedat, qua indigni miniſterio comprobentur.*

 Cui

Cui dicendum videtur; aut Synodum loqui de *Clericis* minorum ordinum, non de Diaconibus, ac Sacerdotibus; aut ea uſam eſſe oeconomia, de qua dicetur Cap. VI. n. 16. Similiter S. Baſilius Epiſt. Can. ad Amphilochium c. 27. ſcripſit: *de Presbytero, qui per ignorantiam neſariis nuptiis implicatus eſt, definivi quae oporteat; eſſe quidem Cathedrae participem, a reliquis autem actionibus abſtinere: ei enim ſufficit, ut veniam conſequatur ... nec aliquod aliud ſacrum miniſterium obeat; ſed quod praeſideat contentus apud alios, & apud Deum defleat, ut ſibi ignorantiae peccatum condonetur*. At primum non ſatis conſtat, an nuptiae illae nefariae fuerint vere *bigamia*, an ſpecie tenus; cum, ut n. 9. dixi, interdum quae non eſt, videatur bigamia: deinde cum Presbyter ille nudatus fuerit ſui ordinis officio, remanſit titulo tenus *Presbyter*, ideoque ſine poteſtate, ac ordine velut adminiſtrator, & *Commendatarius*. Nec ſecus forſitan accipiendum, quod habet Socrates lib. 5. cap. 21. *Digamos* Conſtantinopoli neque aperte recipi, neque palam removeri: in *Occidentis* vero partibus aperte recipi: alias eum revincit Innocentii I. Epiſt. 22. ad Macedones ſupra recitata.

XIII. Poſſet & nonnullis videri Concilium Agathen. anno 506. ſecus diſpoſuiſſe de Bigamis, ac velint Canones, legeſque memoratae; cum can. 1. habeat: *placuit de Bigamis, aut internuptarum maritis; quanquam aliud Patrum ſtatuta decreverint; ut qui hucuſque ordinati fuerint, habita miſeratione, Presbyterii, vel Diaconatus nomen obtineant; officium vero Presbyteri conſecrandi, & miniſtrandi Diacones non praeſumant*: quod & repetitur can. 43. etſi aliquantum interpolate. Veruntamen cum *Officii* nomine veniat interdum *Ordo*, ut dictum eſt Cap. I. n. 7., igitur qui ſpoliatur officio, ſpoliatur & Ordine, ſeu Ordinis poteſtate ita, ut titulo tenus tantum ſint Presbyteri, & Diaconi; ut dicitur etiam Cap. X. n. 27., quod ita diſpoſuiſſe Concilium liquet ex eo, quod ait: tantum *Presbyterii, vel Diaconatus nomen obtineant*. Certe Leo Magnus proxime relatus Epiſt. 87., cum de duobus potiſſimum agat, de Bigamis, & Laicis ad Ordines ſacros promotis; *Laicos* ſcribit quanquam uxores habentes in ſuis ordinibus poſſe tolerari; *Bigamos* autem omnino deponendos edixit: ſic & Hilarius Papa Epiſt. 2. ad Aſcanium Tarracon. Epiſcopum n. 4., & Inno-

cen-

centius III. Epiſt. 146. lib. 11. ad Rectores fraternitatis Romanae. Theodoſius vero Imp. anno 448. in edicto ſuo, quod legitur in Actis Concilii Epheſ. cap. 29. contra Neſtorium &c., promulgato dicit: *ſtatuimus, ut Irenaeus, qui I. neſcio quomodo poſt ſecundas nuptias (ſicut accepimus) contra Apoſtolorum Canonem Tyriorum Epiſcopus eſt creatus, a S. Tyriorum Eccleſia ſtatim expellatur; ornatuque, & nomine Sacerdotii penitus exutus, privatus in patrio tantum ſolo vivere permittatur*: id eſt ut Laicus: & Concilium Aurelianenſe IV. anno 541. can. 10. de Bigamis inquit: *illi vero, qui illicite promoti ſunt, regradentur*: id eſt gradu, ordineque ſpolientur. Turbare poſſet & canon 3. *Trullanus*; ſed cum ſit Synodi praejudicatae, & a Latinis exſufflatae, non multum de eo curae nobis erit. Quod autem habet S. Hieronymus Epiſt. 82. ad Oceanum, erat de re dubia, nondumque diſcuſſa; quam poſt Ambroſius, & Innocentius I. cum Auguſtino definierunt. De reliquo *Bigamos omni privilegio Clericali nudatos* declaravit Gregorius X. in Lugdunen. Concilio c. *Altercationis* in 6. de Bigamis; addictoſque coercitioni fori ſecularis *neque tonſuram, neque habitum clericalem* ferre poſſe ſancivit; quod eſt meros *Laicos* eſſe.

§. 3. *De non Presbytero &c.*

XIV. IS, qui *Presbyter* non eſt, in Epiſcopum aſſumi, ordinarique non poteſt; ut eruitur ex Synodo Hieroſolymitana anno 350. in cauſſa S. Athanaſii congregata, teſte eodem Athanaſio Apol. 2., ubi tradit de quodam *Ichira* Synodum pronunciaſſe: *eum, qui Presbyter non eſſet, contra antiquam traditionem Epiſcopum nominare conati ſunt Ariani*: Theodoretus etiam lib. 2. Hiſt. cap. 8. tradit Sardicenſe Concilium anno 347. edixiſſe, *Iſchiram* ab Arianis conſtitutum Epiſcopum nequaquam verum fuiſſe Epiſcopum; ejuſque ordinationem eo *irritam* extitiſſe, quod antea Presbyter non eſſet. Atque quidem hoc modo apud Graecos, & Orientales; ſed apud Latinos adhuc dubitatur, & controvertitur; veriuſque videtur, oppoſitum Graecorum eos morem interdum tenuiſſe. Sane in magno, ac univerſali Concilio Francofordienſi anno 794. c. 10. definitum eſt, *ut Gerbordus, qui ſe Epiſcopum*

 eſſe

Digitized by Google

eſſe dicebat a Magenardo Rothomagenſi Metropolitano Epiſcopo ordinatum; confeſſus tamen ſe *Diaconum*, *&* *Presbyterum non ſecundum canonicam ordinationem ordinatum; ab eodem gradu Epiſcopatus, quem ſe habere dicebat, deponeretur*.

XV. Corpore *vitiatos* turpiter, ac vehementer Ordinibus ſacris inhabiles declarant Eccleſiae Canones, & SS. Patres, non quidem quocunque vitio, ſed inſigni, ac definito correptos, ut habet can. 76. al. 77. Apoſtolorum: *qui vero ſurdus eſt*, *&* *coecus*, *ne ſit Epiſcopus*, *non quaſi pollutus*, *ſed ne impediantur Eccleſiaſtica*. Quapropter Ditmarus Merſepurgen. Epiſcopus lib. 7. prodidit, Benedictum VIII. PP. anno circiter 1014. *in Ravenna duos*, *&* *Romae totidem Synodali judicio depoſuiſſe ab Archiepiſcopo Leone jam muto conſecratos*: quod eſt irritas, ac invalidas cenſuiſſe ordinationes ab Archiepiſcopo Ravennae Leone, qui jampridem mutus erat, peractas: & Jo: Scotus 4. d. 13. q. 2. edocet & *mutos*, & *amentes* conſecrare non poſſe ob defectum, illos pronunciandi formam, iſtos vero intentionis, quod uſu venire neceſſe eſt & in ordinatione non ſolum iſtis; ſed etiam iis, qui *manibus* ſunt *truncis* ob defectum adhibendi materiam; quod & docuit Innocentius III. c. *Expoſuiſti* tit. de corpore vitiatis. De quibus omnibus videri poſſunt & Innocentius I. Epiſt. 4. Nucerino Epiſcopo Felici n. 1., & Gelaſius I. Epiſt. 9. ad Lucaniae Epiſcopos n. 16., Concilium Aurelian. III. can. 6., & Romanum ſub Hilario Papa anno 465. can. 3., quo inquit: *quiſquis talium conſecrator extiterit*, *factum ſuum diſſolvet*: id autem eſt, nullum, irritumque eſſe, quod fecit, agnoſcet: extatque & c. *Si evangelica* diſt. 55., ut & ejuſdem PP. Hilarii Epiſt. 2. ad Aſcanium Epiſcopum Tarraconen. n. 4. Inſuper *Energumenos*, & *Arreptitios* ab Eccleſiaſticis Ordinibus rejiciunt Canones 78. Apoſtolorum, 29. Illiberitani Concilii, 16. Arauſicani I., 41. Arelatenſis II., 6. Aurelianenſis III., & 13. Toletani XI., nec non Gelaſius I. Epiſt. 9. n. 19., & Gennadius Maſſilienſis lib. de Eccleſ. Dogmat. cap. 39. al. 72.

XVI. *Electum* etiam, & ſine quadam inquiſitione praemiſſa confirmatum illicite, ac invalide ordinari ſanxit Bonifacius VIII. in 6. c. *Provida conſideratione* de electione dicens: *Cum nonnulli conceſſione hujuſmodi abutentes ... ad confirmandas electio-*

ctiones, & conſecrandos electos temere procedendo: Nos ſuper hoc eſpreſſius providere volentes confirmationes, & conſecrationes hujuſmodi ... decernimus nullius penitus exiſtere firmitatis; & confirmantes, & conſecrantes eosdem, ut in eo, in quo peccaverint, puniantur, ab Epiſcoporum confirmatione, ac conſecratione per annum continuum ipſo jure fore ſuſpenſos: ad quae Gloſſa inquit: *Ponamus, quod ſuperior confirmet electionem ſine tali inquiſitione, an valeat conſecratio poſtea ſecuta? Reſpondet* (Pontifex) *quod non; immo talis ordo eſt ſubſtantialis ipſius confirmationis; videlicet quia requiritur, quod praemittatur illa inquiſitio*: & in Addit. ibidem habetur, notaturque, quod *conſecrationem praecedere debet confirmatio, alias non valet conſecratio tit. de dolo, & contum. Cum olim ... patet ergo, quod non tenuit conſecratio*. Sed & ad inſequens c. *Si eo tempore* de electione admonet gloſſa, quod *ſi Papa ſibi proviſionem Eccleſiae Cathedralis reſervavit; licet electio non ſit nulla; tamen omnia, quae ſequuntur illam reſervationem, ſunt nulla ipſo jure: ideo ſi electus velit habere confirmationem, & conſecrationem; opus eſt, ut adeat Apoſtolicam Sedem;* alias *conſecratio* nulla foret. Nec multum diſſimile videtur id, quod legimus c. *In pleriſque* de electione, & electi poteſtate in Clementinis.

CAPUT IV.

De illicitis ordinationibus eorum, de quibus lex relaxari poteſt, ac diſpenſari.

I. R*Ebaptizatos*, nec non *extra Eccleſiam* baptiſmate initiatos ſacris Ordinibus nequaquam idoneos eſſe diſcimus ex Innocentio I. Epiſt. 22. ad Macedones Epiſcopos illis verbis: *noſtrae vero lex eſt Eccleſiae, venientibus ab Haereticis, qui tamen illic baptizati ſint... nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum ſubrogare*. Item ex S. Auguſtino lib. de unico Baptiſmo cap. 12., Leone Magno Epiſt. 3. al. 14. ad Januarium Aquilejen. Epiſcopum, Felice II. al. III. Epiſt. 7. ad omnes Epiſcopos, qua praecipit, ne *rebaptizati*, aut *extra Catholicam Eccleſiam bapti-*

zati prorſus ad Eccleſiaſticam pervenire militiam permittantur: mox Gelaſius I. in ſuo Decreto, ſeu Epiſt. ad Brunduſinos, Concilium Toletanum IV. c. 18., Carthaginienſe V. c. 11., & vi. ſub Aurelio Epiſcopo can. 27. Cod. Afric., & c. *Confirmandum* d. 50., Gregorius Magnus Epiſt. 25. lib. 2. ad Jo: Scyllatinum Epiſc., Gregorius II. Epiſt. 3 al. 4. ad Thuringios, & Theodorus Cantuarien. Epiſcopus in Poenitentiali c. *Qui bis* de Conſecrat. diſt. 4. idem docuerunt, & docendo firmaverunt. Item *minime licebat quemquam in lecto propter morbum baptizatum in Clerum aſſumi;* quemadmodum affirmat S. Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum Epiſcopum de *Novatiano* Schiſmatico ſcribens apud Euſebium lib. 6. cap. 35., quod aſſerit & Concilium Neocaeſarienſe can. 12., quo cavetur, ne talis ſaltem *Presbyter* fieret. Sicut & *omnes, qui peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minime ſit cognita vita, placuit ad Clerum non eſſe promovendos in alienis Provinciis:* inquit Illiberitanum Concilium can. 24., qui extat & c. *Omnes qui* d. 98.

§. 1. *De privatis Ordinationibus.*

II. SIne *Synodo*, & aſſenſu *Metropolitani* Antiſtitis Epiſcopus olim non ordinari poterat, nec Clericus initiari: Quare S. Cyprianus Epiſt. 68. ad Emeriten., & Aſturicen. Legionenſemque Eccleſias ſcripſiſſe ſcitur ita: *videtur de Divina autoritate deſcendere, ut Sacerdos plebe praeſente ſub omnium oculis deligatur; & dignus, atque idoneus publico judicio, ac teſtimonio comprobetur: ſicut in Numeris Dominus Moyſi praecepit ... inſtruit, & oſtendit ordinationes Sacerdotales nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere, ut plebe praeſente ... ſit ordinatio juſta, & legitima, quae omnium ſuffragio fuerit examinata. Nec hoc in Epiſcoporum tantum, ſed & Sacerdotum, & in Diaconorum ordinationibus obſervaſſe Apoſtolos animadvertimus. Propter quod diligenter de traditione Divina, & Apoſtolica obſervatione obſervandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per Provincias univerſas tenetur; ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam Plebem, cui Praepoſitus ordinatur, Epiſcopi ejusdem Provinciae proximi quique conveniant; & Epiſcopus deligatur plebe praeſente*: & Epiſt. 52. ad Antonia-

num

num: *factus eſt Cornelius Epiſcopus ... de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis, quae tunc affuit, ſuffragio; & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio*. Sane Iſaac Armenorum *Catholicon*, vel Archiepiſcopus, & Primas, qui anno 1140. vivebat, cum a ſuis ad Graecos defeciſſet, in 1. adverſus ipſos Armenos *Invectiva* cap. 13. aſſerit: *quod Armenii neque ordinationem habeant, ſed ab omni Sacerdotio ſint alieni, liquet: Nam ... in innumeras prolapſi haereſes, & extranei facti ab Eccleſia Catholica; cum non accipiant ordinationem ab Eccleſia Caeſarienſi, nonne omnino profani ſunt, & Laici?* Erat enim *Caeſarea* Cappadociae Metropolis totius Dioeceſis Ponticae, in qua & *Armenia* continebatur, ſuberatque ordinationibus Exarchorum, ſeu Archiepiſcoporum Caeſareae.

III. Nicaeni Concilii canon 4. ad Epiſcopi conſecrationem complures jubet adeſſe Epiſcopos; & canon 6. habet: *illud generaliter eſt clarum; quod ſi quis praeter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus; hunc magna Synodus definivit, Epiſcopum eſſe non oportere*: quod eſt *invalide* eſſe ordinatum. Sic & Antiochenum Concilium can. 19. ſtatuit: *Epiſcopus non ordinetur abſque Synodo, & praeſentia Metropolitani Provinciae ... ſin autem aliter praeter haec, quae decreta ſunt, fiat; non valeat ordinatio*: ex verſione Herveti; vel *nullas ordinatio vires habeat*: ex illa Dionyſii; quod in idem recidit, ac *invalidum* eſſe. Nec aliud ſenſit Leo Magnus Epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonen. Epiſcopum n. 1. inquiens: *Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec a Clericis ſunt electi, nec a Plebibus expetiti, nec a Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati: unde cum ſaepe quaeſtio de male accepto honore naſcatur; quis ambigat, nequaquam iſtis eſſe tribuendum, quod non docetur fuiſſe collatum?* ut & Gregorius Magnus Epiſt. 15. lib. 3. Dalmatiae Epiſcopis praecipiens, ne cui ſine ſuo conſenſu in Salonitana urbe *manus imponere; aut ordinare praeſumerent. Quod ſi contra haec quidpiam ... tentaveritis agere; decernimus vos a Dominici corporis, & ſanguinis participatione privatos: nec is, quem ordinaveritis, habeatur Epiſcopus*: idque uti Metropolitanus. Quibus conſentientes ſunt Siricius PP. Epiſt. 4. n. 1., Innocentius I. Epiſt. 2. n. 1., Zoſimus Epiſt. 5. & 6., Bonifacius I. Epiſt. 3., Hilarius Epiſt. 2.

n. 1., & Joannes VIII. Epiſt. 70. ad Aribertum Ebredunen. Epiſcopum, in qua Caeleſtini I. Epiſt. 1., & Leonis M. 88. & 92. adducit; concordantque Concilia Laodicenum c. 12., Carthagin. II. cap. II., & IV. c. 22., Rejenſe c. 3., Arauſican. I. c. 21., & Toletanum IV. c. 18., atque Romanum Eugenii II. an. 826. c. 5. Scripſit quidem S. Hilarius Papa Epiſt. 2. ad Aſcanium Tarracon. Epiſcopum n. 4. *ordinatos ergo nunc Epiſcopos, qui licet te ignorante provecti ſunt, cum ſuis autoribus meruerunt ſubmoveri; hac ratione firmamus, ſi nec viduarum maritus fuerit quiſquam &c.*, quaſi qui ſine Metropolitani autoritate facti fuerant Epiſcopi, aut *valide* ordinati eſſent; aut ſi *invalide*, Rom. Pontificis poteſtate firmari, ac inſtaurari valeant: Sed id ea ratione factum affirmo, quam Cap. VI. n. 16. producam.

IV. Huc ſpectat illud, quod legitur de *Paulino* Antiochenae Eccleſiae Epiſcopo; qui cum anno 389. *Evagrium* ſibi ſucceſſorem conſtituiſſet, ſuiſque manibus Epiſcopum ſolus conſecraſſet; Antiochena Eccleſia talem ordinationem utpote *contra Canones* factam aſpernata eſt, irritamque cenſuit; & exinde ad eam ex illis Evagrianis accedentes iterum ordinare non dubitavit; donec ſub Innocentio I. res ad concordiam deducta eſt; uti docet ejusdem Innocentii Epiſt. 14. ad Bonifacium Presbyterum de *Antiochena Eccleſia*: quae Romam ad ipſum Innocentium PP. *miſſis Legatis ita pacem poſtulavit, & meruit; ut & Evagrianos ſuis ordinibus, ac locis intemerata ordinatione, quam acceperant a Memorato, ſuſciperet; & Joannis* (Chryſoſtomi) *ſanctae memoriae vel Clericos, vel Laicos in unum colligeret, atque congregaret; promittens ipſius Civitatis Epiſcopus frater meus Alexander, etiamſi quis forte vel a nobis, vel aliunde poſterioris ordinationis ad eosdem venerit, ſe ſine controverſia recepturum; ac nomen Epiſcopi Memorati inter quieſcentes Epiſcopos recitaturum.* De qua re agit & Theodoretus Hiſt. lib. 3. cap. 5., & lib. 5. cap. 35., ubi de Alexandro Antiochenae Eccleſiae Epiſcopo anno 413. aſſumpto ſcribit: *idemque factionem magni Euſtathii cauſa inchoatam, (quae quo minus jampridem eſſet cum reliqua Eccleſia denuo ſociata, Paulinus impedimento fuit, & poſt eum Evagrius,) ſua perſuaſione, & conſilio caetero Eccleſiae corpori adjunxit.* Nota-

tare eſt autem, Innocentium tradere, *Evagrianos ſuis ordinibus, ac locis intemerata ordinatione* ſuſcipi ab Alexandro; & ob hanc cauſſam ab Romana Eccleſia pacem eum meruiſſe: igitur antea Evagrianorum ordinationes temerabantur, hoc eſt iterabantur ab Antiochena Eccleſia; nam *Evagrium* (ut ut nonnulli conſcripſerint) contra Canones ordinatum fuiſſe & Theodoretus laudatus affirmat lib. 5. cap. 23., & S. Ambroſius Epiſt. 78. lib. 10. non diffiteri videtur ſcribens ad Theophilum Alexandr. Epiſcopum.

V. Rhemenſe Concilium anno 624. can. 25. decrevit; *ut decedente Epiſcopo in locum ejus non alius ſubrogetur, niſi loci illius indigena, quem univerſale, & totius populi votum, ac Provincialium voluntas aſſenſerit: aliter qui praeſumſerit; abjiciatur e ſede, quam invaſit potius, quam accepit*: cur abjicitur e ſede, ſeu deponitur velut intruſus, niſi quia ex Antiocheno Concilio ordinatio illa non valet? & ille Epiſcopus eſſe non debet ex Nicaeno? Cum anno 885. Lingonen. Epiſcopus Iſaac diem obiiſſet; & Aurelianus Lugdunen. Metropolita, Clero, populoque inconſulto, Egilonem quendam Monachum nuper de ſeculo venientem in Epiſcopum ordinaſſet: eo protinus vita functo, Clerus, & populus Lingonenſis Teuthboldum ſibi Praeſulem delegit; quem quia Lugdunen. Archiepiſcopus conſecrare differebat, vel nolebat, ordinavit Stephanus V. al. VI. ſcribens: *Nos autem; qui omnium Eccleſiarum in B. Petro Apoſtolorum Principe curam ſuſcepimus; ſcientes inter Epiſcopos non haberi eum, qui neque a Clero, neque a populo eſt expetitus; ſaepedictum Teuthboldum venerabilem Diaconum ipſorum lamentabilibus precibus inclinati Lingonenſi Eccleſiae Epiſcopum conſecravimus*: ut apud Frodoardum eſt Hiſt. Rhemen. lib. 4. cap. 1. Similiter Concilium Rom. a Gregorio V. anno 998. coactum can. 5. de Stephano Vellaven. Epiſcopo in Britannia ſtatuit; eum *omni ordine ſacerdotali* carere, quod a Widone Antiſtite ſuo avunculo, ac praedeceſſore fuerit electus; & poſt illius obitum a duobus tantum Epiſcopis conſecratus, atque ſucceſſor datus ſine Cleri, populique conſenſu, ac voluntate.

VI. Quocirca Nicolaus II. Epiſt. 2. ad Gervaſium Rhemen. Archiepiſcopum ſcripſit de quodam Belvacenſis Epiſcopa-

patus invaſore: *Audivimus relatione multorum, quod Belvacenſis Epiſcopus contra ſtatuta Canonum ſine vobis, & ſine veſtro aſſenſu fuerit conſecratus, immo execratus; & quod pejus eſt, ad Epiſcopatum ſublimatus &c.* execratus autem eſt non conſecratus. Concilium vero Romanum V. S. Gregorii VII. an. 1078. can. 5. ita ſanxit: *ordinationes ... quae non communi conſenſu Cleri, & populi ſecundum Canonicas ſanctiones fiunt; & ab his, ad quos conſecratio pertinet, non comprobantur; infirmas, & irritas eſſe dijudicamus.* Quid eſt autem *infirmas*, niſi invalidas? quod ſi invalidas, ergo & nullas Concilium dixit. VII. item Concilium Rom. ejusdem S. Gregorii anno 1080 can. 6. decretum hujuſcemodi condidit: *Quoties defuncto Paſtore alicujus Eccleſiae alius eſt ei canonice ſubrogandus inſtantia viſitatoris Epiſcopi, qui ei ab Apoſtolica, vel Metropolitana Sede directus eſt: Clerus, & populus remota omni ſeculari ambitione, timore, atque gratia, Apoſtolicae Sedis, vel Metropolitani ſui conſenſu Paſtorem ſibi ſecundum Deum eligat. Quod ſi corruptus aliquo vitio aliter agere praeſumpſerit, electionis perperam factae omni fructu carebit; & de caetero nullam electionis poteſtatem habebit: electionis vero poteſtas omnis in deliberatione Sedis Apoſtolicae, ſive Metropolitani ſui conſiſtat. Si enim is, ad quem conſecratio pertinet, non rite conſecrando teſte B. Leone gratiam benedictionis amittit: conſequenter is, qui ad pravam electionem declinaverit, eligendi poteſtate privatur.* Quibus cum *electio conſecrationi* comparetur; ſi prava *electio* invalida, ac nulla ſtatuitur; nulla quoque erit ſimilis *conſecratio*.

VII. Nam & anno 1082. cum Hugo Dienſis Epiſcopus Sedis Apoſtolicae Legatus in Meldenſi Synodo *Robertum* Abbatem Resbacen. Meldenſibus Epiſcopum ordinaſſet; quia ſine Senonen. Archiepiſcopi Richerii, ac Provincialium Epiſcoporum conſenſu id fuerat patratum; irrita, atque invalida pronunciata eſt ea *conſecratio*: Robertus ille ſacra communione multatus ab Archiepiſcopo, ejuſque ſuffragatoribus; & anno 1085. *Walterus* in Epiſcopum Melden. ordinatus ab eodem Archiepiſcopo, aliiſque illius Provinciae Antiſtitibus ſedit uſque ad annum 1102., Robertus vero in regimine ſuae Abbatiae deceſſit anno 1095. ex Clarii Chronico, & Annal. Bened. Sed & anno 1093. cum Mediolanenſis Archiepiſcopus

An-

Anſelmus III. vivere deſiiſſet, ei ſufficitur *Arnulphus*, al. *Arnolaus* a Porta argentea ab uno tantum Catholico Epiſcopo conſecratus, teſte Synchrono Anonymo Vitae Urbani II. Papae Autore; propterquod a Legato Sedis Apoſtolicae abdicatur, rejiciturque; quemadmodum ſcripto tradidit Sigonius lib. 9. de Reg. Italiae: ſed Urbano II. Placentiae magna Synodo celebrata Mediolanum biennio poſt progreſſo, *Arnulphum diu quidem electum, ſed nondum conſecratum eodem tempore ex conceſſione Domini Papae Mediolani conſecravere* Saltsburgenſis Archiepiſcopus, & Pataviensis, ac Conſtantienſis Epiſcopi, inquit Bertholdus Conſtantienſis in Chronico; qui ab uno conſecratum appellat *electum*, non ordinatum.

VIII. Hoc loco referri poteſt & illud Concilii Romani II. a S. Gregorio VII. anno 1075. celebrati; in quo ſtatutum fuit: *Si quis deinceps Epiſcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus perſonae laicae ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos, vel Abbates habeatur ... ſimiliter etiam de inferioribus Eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus*: idque dicitur factum ex Patrum exemplis videlicet VII. Synodi Oecumenicae, & VIII. Concilii univerſalis: Septima namque can. 3. habet: *omnis electio Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi a Principibus facta irrita maneat ſecundum regulam, quae dicit: ſi quis Epiſcopus ſecularibus Poteſtatibus uſus Eccleſiam per ipſos obtinuerit, deponatur, & ſegregetur &c.* qui eſt canon 30. Apoſtolorum confirmatus ab Antiochena Synodo: idipſum in ſuo VII. Romano Concilio anno 1080. conſtituit idem Gregorius VII., & in Beneventano anno 1087. *Victor III.*, *Paſchalis* vero *II.* etiam memoratum Canonem Apoſtolicum adduxit Epiſtola 22. ad Henricum Regem contra *Inveſtituras* edita; qui & ratum habuit conſtitutum Concilii Viennenſis anno 1112. a Guidone Archiepiſcopo, & Sedis Apoſtolicae Legato, ac poſtmodum *Calliſto II* cum pluribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis factum his verbis: *Inveſtiturarum Epiſcopatuum, & Abbatiarum, & omnium Eccleſiaſticarum rerum de manu laica S. Romanae Eccleſiae auctoritatem ſequentes haereſim eſſe judicamus.*

§. 2.

§. 2. *De Servis*.

IX. S*Ervos*, ſeu *mancipia* ab Ordinibus ſacris prohiberi liquet ex can. 81. Apoſtolorum: *Servos in Clerum provehi ſine voluntate Dominorum non permittimus*: ex Concilio Eliberitano can. 8., Leone M. Epiſt. 1. ad Campaniae Epiſcopos; & Gelaſio I. Epiſt. ad Brunduſinos, & 9. ad Lucaniae Epiſcopos, ut & c. *Quis aut leges*, ac *Ex antiquis* d. 54., ubi dicit, id cautum *in moderno Concilio, quod tantorum virorum collectione Pontificum ſub omnium ſaluberrimae proviſionis aſſenſu conſtat eſſe perfectum*: & quamquam addit: *ſi quis jam ex his* (ſervis) *Presbyter reperitur, in eodem gradu peculii ſui* (al. *ſola*) *amiſſione multatus maneat: Diaconus vero aut Vicarium praeſtet; aut ſi non habuerit, ipſe reddatur*: nec diſſimilia habet c. *Frequens* ibi: tamen Concilium Altheimi an. 916. al. 931. a Legatis Sedis Apoſtolicae, ac tribus Germaniae Archiepiſcopis cum Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque multis celebratum can. 38. ſanctionem edidit: *ſi enim propter Dei dilectionem quis de ſervis ſuis quenquam elegerit, & docuerit literas, & libertati condonaverit; & per interceſſionem erga Epiſcopum Presbyterum effecerit: ille autem poſtea in ſuperbiam elatus Miſſam Dominis ſuis, & Canonicas horas obſervare, & pſallere renuerit... accuſetur apud Epiſcopum, qui eum ordinavit, & degradetur; & fiat ſervus illius idem Domini ſui, ſicut natus fuerat &c.*, cui conſonat Concilium Triburien. c. *Nulli* d. 54. illis verbis: *porro ſervus non canonice conſecratus; poſtquam de gradu ceciderit; ejus conditionis ſit, cujus fuerat ante gradum*. Numquid autem qui celebrandi, ſacrificandique *poteſtatem* ſervat; eſtque verus Sacerdos; ad conditionem ſervi, atque mancipii ab Eccleſia detruderetur? Nec eſt, quod dicant, ſervare eum Sacerdotii *characterem*: quoniam, ut ſupra docui; Presbyter non *charactere* ſolo conſtituitur, ſed *poteſtate*; qua ſublata Presbyter ulterius appellari non debet; ſed quondam Presbyter.

X. His adjungi poſſunt Epiſt. 4. Innocentii I. Felici Nucerino Epiſcopo ſcribentis n. 3. *de Curialibus autem manifeſta ratio eſt*, eos ordinari non poſſe; propter eaquod cum addicti

ſint

ſint Curiae, reddi deberent, ſi quando repeterentur, uti *Servi*: & Concilia Aurelian. I. anno 511. can. 5., Arvernenſe II. can. 6., Toletanum IV. can. 18. & 72., Triburienſe can. 29., & Martinus Bracarenſis can. 46., Gregorius Magnus Epiſt. 25. lib. 2., & Gregorius II. Epiſt. 4. ad Thuringios; nec non c. *Nullus*, & *de Servorum* d. 54., item c. *Inſtruendi*, *de famulis*, *de ſervorum*, & *Conſuluit* De ſervis non ordinandis; & c. *Ut filii* de filiis Presbyterorum. Sed illud non omittendum omnino, quod Concilium Bituricenſe anno 1031. conſtituit can. 11. inquiens: *Ut Epiſcopi, quando faciunt Ordines, vel Clericos, audiente populo excommunicent; ut nullus eis offerat ad Clericatum filium Presbyteri, neque Diaconi, neque Subdiaconi; neque Servos, neque Collibertos niſi libertate donatos. Et ſi cuipiam de talibus ſacrum Ordinem, aut Clericatum ignoranter tribuerit Epiſcopus; mox ut cognitum fuerit, Archidiaconus deponat eos; quia irrita eſt illicita ordinatio, ſicuti Sancti Patres dixerunt*: irritum autem diximus idem eſſe, atque *invalidum*, & nullum.

§. 3. *De ſubditis alienis &c.*

XI. Alienos *ſubditos*, alienaeque Dioeceſis Clericos, vel in aliena Dioeceſi ordinare vetuit Nicaena Synodus; irritum, infirmumque, ſi fieret, edixit can. 16. hujuſcemodi: *Sin autem etiam auſus fuerit quiſpiam eum, qui ad alium pertinet, ſurripere, & in Eccleſia ordinare, non conſentiente proprio Epiſcopo, a quo receſſit; qui in Canone cenſetur, irrita ſit ordinatio*: ſic & Sardicenſe Concilium can. 19. *Ut quicunque ex alia Parochia voluerit alienum Miniſtrum ſine conſenſu Epiſcopi ipſius, & ſine voluntate ordinare; non ſit rata ordinatio ejus*: ex verſione Dionyſii, ſed graecus textus ab Herveto converſus can. 15. habet: *Si quis Epiſcopus ex alia Paroecia velit alienum Miniſtrum ſine conſenſu Epiſcopi proprii in aliquo gradu conſtituere; irrita, & infirma ejuſmodi conſtitutio exiſtimetur*. Carthaginienſe vero V. Con. can. 13., qui eſt can. 8. Cod. Afric., & c. *Si quis* d. 58. decernit: *Si quis de alterius Monaſterio ſuſceptum vel ad Clericatum promovere voluerit; vel in ſuo Monaſterio Majorem Monaſterii conſtituere; Epiſcopus, qui hoc fecerit, a caeterorum communione ſejunctus ſuae tantum plebis*

com-

communione contentus ſit; & ille neque Clericus, neque Praepoſitus perſeveret: At nullo modo perſtaſſet Praepoſitus; ergo & nullo modo Clericus. Praeterea in Moguntino Concilio III. anno 888. ſtatutum fuit can. 14. *Nullus Epiſcopus alterius Parochianum praeſumat retinere, aut ordinare abſque ejus voluntate, vel judicare: quia ſicut irrita ejus erit ordinatio, ita & judicatio. Quoniam cenſemus nullum alterius judicis niſi ſui ſententia teneri; nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus poterit*: affigiturque etiam Sixto II. Epiſt. 2., nec non Callixto I c. *Nullus primas* 9. q. 2. interpolate tamen. Concilium autem illud generale fuit Germaniae a tribus Archiepiſcopis Moguntino, Colonienſi, & Trevirenſi cum Epiſcopis ſuis, & Abbatibus celebratum: porro ſi *judicatio* fuiſſet irrita prorſus, & omni ex parte; ita & *ordinatio*, & non dumtaxat quantum ad executionem.

XII. Apoſtolorum canon 34. al. 36. tradit: *Epiſcopum non audere extra terminos proprios ordinationes facere in Civitatibus, & Villis, quae illi nullo jure ſubjectae ſunt: ſi vero convictus fuerit feciſſe praeter eorum conſcientiam, qui Civitates, & Villas detinent; & ipſe deponatur; & qui ab illo ſunt ordinati*: ſed can. 13. Antiochenus ita poenam ordinatoris expreſſit: *irrita quidem, quae ab eo geruntur, exiſtant; ipſe vero... damnatus a ſancto Concilio*: & can. 22. habet: *Epiſcopus in alienam Civitatem, quae ei ſubjecta non eſt, non aſcendat; nec in Regionem, quae ad eum non pertinet, ad alicujus ordinationem; nec Presbyterum, vel Diaconum conſtituat in locis alii Epiſcopo ſubjectis niſi cum voluntate proprii illius Regionis Epiſcopi: ſi quis tale quid auſus fuerit; infirma ſit ordinatio; & ipſe a Synodo puniatur*: juxta translationem Herveti; vel *irrita ſit ejus ordinatio*, ut placuit Dionyſio. Idipſum vetuerunt & Siricius Papa Epiſt. 4. ad Afros n. 6., & Innocentius I. Epiſt. 2. ad Victricium Epiſcopum Rothomagen. n. 7., Concilia itidem Carthaginienſe III. can. 21. & 44., Taurinenſe can. 7., Arauſicanum I. can. 8., Turonenſe an. 361. can. 9., Veneticum an. 465. can. 10., Epheſinum can. 8., Toletanum XII. can. 4., ac XIII. can. 11., & Romanum Zachariae Papae an. 743. can. 11.

XIII. Quum Aegidius Rhemorum Antiſtes, ac Belgicae II. Metropolita Presbyterum quendam *Promotum* nomine conſe-

craſ-

craſſet Epiſcopum Dunenſis Caſtri vulgo *Chateau Dun* in agro Carnutino; qui locus nec ad Rhemenſem Dioeceſim, nec ad Belgicam II. pertineret, ſed ad Eccleſiam Carnutinam, Sennonenſemque Provinciam; idque, quantum conjicere licet, opera Sigeberti Francorum Regis: anno 573. magna eſt Pariſiis Synodus coacta; cui interfuere quatuor Archiepiſcopi, ac undetriginta Epiſcopi, quorum VII. vel in Tabulis Eccleſiaſticis, vel ſuis in Eccleſiis pie coluntur; deditque ad memoratum Aegidium literas his verbis: *indicamus, ut Presbyterum ipſum nomine Promotum; qui omiſſa ſeveritate Canonica a vobis dicitur tam temere conſecratus, ut juſte debeat de gradus ipſius dignitate deponi, ſicut canonum conſtituta ſanxerunt; ad vos evocetis, vel vobiſcum retineatis, ut injuriam nec Eccleſiae, nec Sacerdoti ſuo ulterius debeat irrogare... Idcirco noverit beatitudo veſtra hoc apud univerſum praeſenti tempore Concilium conſtitutum; ut ſi memoratus Presbyter aut propria contumacia, aut cujuſcunque poteſtatis aſſentatione in praedicta Dunenſi Eccleſia praeſumpſerit ſub hujus ſubrepti honoris argumentatione ulterius reſidere; vel res Eccleſiae ipſius amplius uſurpare; aut Altaria benedicere; infantes confirmare; vel ordinationes per quaſcunque Parochias facere; aut Epiſcopo ſuo fratri veſtro Domno Pappulo* (Carnutino) *reſiſtere prava intentione praeſumſerit; ab omni coetu Epiſcoporum, vel a communionis conſortio perpetuo anathemate feriatur: & frater noſter Domnus Pappulus Epiſcopus, vel Eccleſia Carnotina Parochias, quas hucuſque habuit ſub ſua ordinatione, debeat auxiliante Domino gubernare &c.* Quae literae & apud Gregorium Turonen. lib. 7. cap. 17., & in Conciliorum Collectione leguntur; oſtenduntque, quum Concilium *Promotum* illum nonniſi *Presbyteri* titulo cohoneſtarit; Patres Gallicanos cenſuiſſe nullam, & invalidam ejus ordinationem fuiſſe.

XIV. Vermerienſe tandem in Gallia Concilium an. 753. congregatum hoc edidit decretum can. 14. *Ut ab Epiſcopis ambulantibus per patrias* (ideſt per Regiones) *ordinatio Presbyterorum non fiat: ſi autem* (facta ordinatione) *boni ſunt illi Presbyteri; iterum conſecrentur:* cur hoc, niſi quia irrita, & invalida fuit conſecratio? Concilium vero Vernenſe I. itidem in Gallia biennio poſt celebratum can. 13. ita habet: *De Epiſco-*

ſcopis vagantibus . . . placuit juxta conſtituta SS. Patrum, ut nec in alterius Parochia miniſtrare; nec ullam ordinationem facere debeant ſine juſſione Epiſcopi, cujus Parochia eſt: & ſi hoc facere praeſumpſerint, ab officio ſuſpendantur interim, quod ad Synodum exinde venerint, & ibidem ſecundum canonicam inſtitutionem accipiant ſententiam S. etiam Innocentius I. Epiſt. 23. ad Toletanam Synodum can. 2. ſcripſit: *Rufinus, & Minicius in alienis Eccleſiis contra Nicaenos Canones Epiſcopos uſurpaverunt ordinare . . . & quia perperam facti ſunt; intelligant id, quod vitioſo initio adepti ſunt, ſe diutius obtinere non poſſe*: id eſt deponendos eſſe. Tridentinum tamen Concilium ſeſſ. 23. de Reformat. cap. 8. jure novo, atque mitiori tantum *ſuſpenſionis* poenam hujuſcemodi ordinationibus inflixit, & ſeſſ. 14. de Reformat. cap. 2. inquiens: *Nemo Epiſcoporum, qui titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Dioeceſis, etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cujuſvis Ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cujuſvis privilegii ſibi de promovendo quoſcunque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum etiam praetextu familiaritatis, continuae commenſalitatis ſuae abſque ſui proprii Praelati expreſſo conſenſu, aut literis dimiſſoriis ad aliquos ſacros, aut minores Ordines, vel ad primam Tonſuram promovere, ſive ordinare valeat Contrafaciens ab exercitio Pontificalium per annum; taliter vero ordinati ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Praelato viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi*: quanquam multo ante *ſuſpenſionis* poenam adhibuit Innocentius III. Epiſt. 11. lib. 14., & Epiſt. 218. lib. 15.

§. 4. *De ordinatis ſine titulo.*

XV. Sine titulo, ac loco Eccleſiaſticos Ordines ſuſcipere ita prohibuerunt antiqui Canones, ut irritam, ac nullam voluerint eam ordinationem eſſe. Canon enim 6. Chalcedonenſis vetat, *neminem abſolute ordinari nec Presbyterum, nec Diaconum . . . niſi ſpecialiter in Eccleſia Civitatis, aut Pagi, aut in Martyrio, aut Monaſterio, qui ordinandus eſt, pronuncietur. Eos autem, qui abſolute ordinantur, decernit S. Synodus irritam, ac invalidam habere hujuſmodi manuum impoſitionem*: juxta Herveti verſionem: extatque & c. *Neminem* d. 70., & Leo

Leo Magnus Epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonen. Epiſcopum n. 1. confirmat ſcribens: *aliter autem vana habenda eſt creatio* (Clericorum), *quae nec loco fundata eſt, nec autoritate munita*. Quapropter Carolus M. anno 789. in Capitul. Aquiſgranen. n. 25. renovans hunc Canonem Chalcedonen. inquit: *horum ordinationem conſtituit S. Synodus ineſſicacem*; quod eſt invalidam: & Ratiſponen. Concilium (ſi verum eſt,) anno 803. ex reſcripto, ſententiaque Leonis III. Papae cenſuit, *Chorepiſcopos* ideo non eſſe Epiſcopos praeſertim, *quia nec ad quandam Civitatis Epiſcopalem ſedem titulati erant;* ut legitur cap. 4. & 6. Capitularium Regum Franc., ducique etiam videtur ex praefati Concilii Chalcedonen. can. 10., & magnum, ac univerſale Concilium *Francofordien.* anno 794. can. 28. & ipſum de Clericis edixit, *ut non abſolute ordinentur*.

XVI. Nam c. *Sanctorum Canonum* d. 70. ex Concilio Placentino ab Urbano II. anno 1095. coacto perſpicue docetur: *Sanctorum Canonum ſtatutis conſona ſanctione decernimus; ut ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur; & in qua Eccleſia quilibet titulatus eſt, in ea perpetuo perſeveret: omnino autem in duabus aliquem titulari non licet*: Nec duos in una; ſicuti jam ſanxerat Nicaena Synodus 1. can. 8. de *Catharis*, ne *duo in una Civitate* noſcantur eſſe *Epiſcopi*; & Chalcedonen. Concilium can. 10. ne *Clerici in duabus conſcribantur Eccleſiis*: ut & Hilarius PP. Epiſt. 2. ad Aſcanium Epiſcopum, & Synodus VII can. 15. Hinc cum M. de Chimelejo in Abricenſem Epiſcopum fuiſſet electus, & a Metropolitano ſuo confirmatus aliquandiu eam adminiſtraſſet Eccleſiam; inde a Turonenſi Archiepiſcopo ad Andegavenſem Cathedram Epiſcopalem translatus, & conſecratus extitiſſet, facta ei etiam ad id a Rothomagenſi Metropolitano ſuo poteſtate; Innocentius III. ea de re Epiſtolam 533. lib. 1. dedit Decano, & Capitulo Andegavenſi hoc exemplo: *Nos ſuper facto ejus cum fratribus noſtris communiter tractatum habentes, & ſubtiliter indagantes, quod licet munus ſibi conſecrationis impenſum nec prioris Eccleſiae ipſum Pontificem fecerit, nec ſecundae; cum ad primam non fuerit conſecratus; & ad ſecundam, prioris vinculo perdurante, non potuerit canonice conſecrari adhuc alteri alligatus conjugatu: illud tamen &c.* Idemque Innocentius c. *Per tuas nobis* de

 ſimo-

ſimonia reſpondit; quendam in Subdiaconum ordinatum quidem *cum titulo*, ſed & *cum pacto* non petendi quicquam ab eo, non debere in ſuſcepto Ordine miniſtrare, nec ad ſuperiores aſcendere ſine *diſpenſatione*.

XVII. Si quidem Lateranenſe III. Concilium anno 1179. ſub Alexandro III. factum can. 5. rem ita temperavit, ut caveret quidem, ne quis ordinaretur *ſine titulo certo*, ſed ordinationem *irritam* minime pronunciavit; verumtamen ut ordinator Epiſcopus Ordinatis providere teneretur; quod poſtea Londinenſe Concilium anno 1200. can. 5. exſcripſit; confirmavitque etiam praedictus Innocentius III. Epiſt. 76. lib. 1. Zamoren. Epiſcopo ſcribens: *licet autem praedeceſſores noſtri ordinationes eorum, qui ſine certo titulo promoventur, in injuriam promoventium irritas eſſe voluerint, & inanes; nos tamen benignius agere cupientes &c.*

Hoc autem loco mihi liceat referre etſi nonnihil diſſonum *Concilii Toletani IX.* anno 655. editum decretum can. 2., quo dicitur: *Decernimus; ut quamdiu fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites extiterint; pro eisdem locis curam permittantur habere ſolicitam; atque Rectores idoneos in eisdem Baſilicis iidem ipſi offerant Epiſcopis ordinandos. Quod ſi tales forſitan non inveniantur ab eis; tunc quos Epiſcopus loci probaverit Deo placitos, ſacris cultibus inſtituat cum eorum conniventia ſervituros. Quod ſi ſpretis eisdem fundatoribus, Rectores ibidem praeſumpſerit Epiſcopus ordinare; & ordinationem ſuam irritam noverit eſſe; & ad verecundiam ſuam alios in eorum loco, quos iidem ipſi fundatores condignos elegerint, ordinari.* Quo appareat, quot modis fieri poſſit *irrita*, ac *invalida* ordinatio; nimirum cum Eccleſiae variis ex cauſſis videbitur.

§. 5. *De Criminoſis.*

XVIII. Criminoſos, & *Expoenitentes*, ac publice lapſos Ordinari non debere docuit in primis Apoſtolus 1. ad Timotheum 3., & ad Titum I., can. 59. al. 60. Apoſtolorum, Origenes lib. 3. contra Celſum, S. Cyprianus Epiſt. 64. ad Epictetum, aliique plurimi SS. PP., & Concilia, ut fruſtra factum ſit, omnes in medium velle proferre. Praeſtat

ta-

Digitized by Google

tamen ex Auguſtino audire, quid criminis nomine hoc loco veniat: *Apoſtolus Paulus*, inquit Tract. 41. in cap. 8. Joannis, *quando elegit ordinandos vel Preſbyteros, vel Diaconos, & quicunque ordinandus eſt ad praepoſituram Eccleſiae; non ait: ſi quis ſine peccato eſt: hoc enim ſi diceret; omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur; ſed ait: ſi quis ſine crimine eſt: ſicut eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium, & caetera hujuſmodi... crimen autem eſt peccatum grave accuſatione, & damnatione digniſſimum*. Hinc Innocentius I. Epiſt. 1. ad Decentium Epiſcopum n. 8. de *Oleo ſancto* infirmis dando ſcribit: *nam poenitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* & Hilarius Papa Epiſt. 4. in Romano Concilio anno 465. pronunciavit de bigamis, & expoenitentibus: *quiſquis talium conſecrator extiterit, factum ſuum diſſolvet:* ideſt irritum erit, quod fecit. Gregorius vero M. Epiſt. 26. lib. 3. ad Januarium Calarit. Epiſcopum data dicit: *qui igitur poſt acceptum ſacrum Ordinem lapſus in peccatum carnis fuerit; ſacro ordine ita careat, ut ad Altaris miniſterium ulterius non accedat:* ubi ſi primo loco ſacer Ordo ſignificat non ſolum Ordinis *exercitium*; ſed etiam Ordinis *poteſtatem*; cur non itidem erit & ſecundo loco? & Epiſt. 5. lib. 4. ad Venantium Epiſcopum Lunenſem: *reſpondentes ſtatuimus, Diaconum, & Abbatem de Portu Veneris, quem indicas cecidiſſe, ad ſacrum Ordinem non debere, vel poſſe ullo modo revocari:* quod eſt nec licite, nec valide.

XIX. Ex facto autem Donatiſtarum cum Caeciliano perſpicue pateſcit vetus mos Eccleſiae irritas declarandi ordinationes lapſorum, & criminoſorum. Nam Optatus Milevitan. lib. 1. contra Parmen. ſcribit: *ab his tribus perſonis* (Lucilla Matrona, Botro, & Caeleſtio Presbyteris) *contra Caecilianum cauſſae conjectae ſunt, ut vitioſa ejus ordinatio diceretur*, facta circiter anno 311. a Felice Aptungitano Epiſcopo; igitur congregati fere LXX. Epiſcopi Carthagine irritam, ac nullam ejuſdem Caeciliani conſecrationem publicarunt, eo quod ordinatus in Epiſcopum Carthaginis a Felice Aptungen. Antiſtite, qui olim in Diocletiani, Maximianique perſecutione ſacros igni codices comburendos tradiderit; ideoque dignitate exci-

derit: unde *a Caeciliano mandatum eſt; ut ſi Felix in ſe, ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet, ipſi tanquam adhuc Diaconum ordinarent Caecilianum*: inquit Optatus n. 19., vel *ſi traditores ſunt, qui me ordinaverunt, ipſi veniant, & ordinent me*: ut eſt apud S. Auguſtinum in Brevic. Collat. 3. cap. 16., qui & lib. de unico Baptiſmo cap. 16. tradit, Donatiſtas illud inclamaſſe, *quod ipſe Felix eſſet manifeſtiſſimus traditor; & ideo Caecilianus Epiſcopus eſſe non poſſet, quod ab illo traditore fuerit ordinatus*: propterea loco ejus ordinaverunt Majorinum; idque cum adhuc eſſent Catholici, etſi tumultuantes Donatiani. Ut quid enim dati ſunt judices, qui cauſſam & Caeciliani, & Felicis cognoſcerent; utrum traditor hic fuerit; & ille a traditoribus ordinatus; niſi mos, & lex extitiſſet in Eccleſia, ne lapſi, & criminoſi Epiſcopi, ac dignitate exuti ordinare valerent? cum Catholici reponere quiviſſent: ſive traditor fuerit Felix, ſive non; Caeciliani ordinandi poteſtatem habebat: ideoque Caeciliani ordinatio irrita, ſeu nulla dici nequit: nunquam autem hoc dixerunt, ſed toti fuerunt in oſtendendo Felicem non fuiſſe proditorem, nec Caecilianum criminoſum, aut a traditoribus ordinatum.

XX. Notus eſt abunde canon x. Nicaeni Concilii: *Quicumque ex iis, qui lapſi ſunt, vel per ignorantiam, vel ſcientibus iis, qui promoverunt, ordinati ſunt; hoc Eccleſiaſtico Canoni non praejudicat: ii enim cogniti deponuntur*: quia non rite, & *valide* ordinati. Quapropter S. Iſidorus Hiſpalen. Epiſcopus Epiſt. ad Helladium Toletanum, illiuſque Provinciae Epiſcopos graviter eos commonefacit de redigendo in ordinem Cordubenſi Antiſtite, qui *in carnale crimen lapſus fuerat*: *ſciat*, adjiciens, *enim ſe amiſiſſe nomen, & officium Sacerdotis, qui meritum perdidit ſanctitatis*: ex qua Epiſtola falſi convincitur, inquit Jo: Morinus de adminiſtratione Sacram. Poenitentiae cap. 15. n. 6.; & Mabillonius lib. 12. Annal. Benedict. n. 27. ſub an. 632., alia ſub ejus nomine conficta ad *Maſonem Epiſcopum*, quae lapſorum Sacerdotum reſtitutionem approbat; & quae refertur c. *Domino ſancto* d. 50., & c. *Hoc ipſum* 33. q. 2., quod tamen non probo: nam aliud eſt, Sacerdotem lapſum poenitentiae addicere; aliud poenitentia functum dignitati reſtituere. S. enim Iſidorus tam Epiſt. ad Helladium, quam

lib.

lib. 2. de Divinis Officiis cap. 5. docet, eum, qui in *Sacerdotio*, vel *Epiſcopatu* peccatum admiſerit, non debere panes offerre Domino, quia lex peccatores a Sacerdotio removet: non tamen negat poenitentia functos, atque purgatos ſuis poſſe ordinibus reſtitui, uti perhibet Epiſt. ad Maſonam, quam referunt etiam Burcardus, & Ivo: quippe *Clericos* poſt lapſum reparari per poenitentiam poſſe, pluribus oſtendit Gratianus d. 50. c. 13. & ſeqq. ex Conciliis, ſanctiſque Patribus, & maxime ex SS. Hieronymo, Auguſtino, & Gregorio M. ante Iſidorum. Quantum autem ad crimen homicidii c. *Clericis* extra de Homicidio Alexander III. tale reſponſum edidit: *Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis ex Concilio Toletano judicium ſanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per ſe truncationes membrorum faciant; aut judicent inferendas. Quod ſi quis tale quid fecerit; honore privetur, & loco.* Concilium vero Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 7. de homicidio voluntario ſtatuit, ut *nullo tempore ad ſacros Ordines promoveri poſſit* patrator.

XXI. Et cum Gloſſa ad c. *Placuit* ejusdem d. 50. notavit, difficilius diſpenſari cum *poenitente*, quam cum *Bigamo*: vel intelligi debet de bigamo *ſimilitudinario*, ac infra ordines majores; vel de eo, qui nondum poenitentiam egit, explevitque; aut juxta jus, moremque priſcum, quo nunquam *poenitentiae* addicti ad ſacros Ordines promovebantur, ſeu inſtaurabantur: praeterquamquod Autor gloſſae non tantae autoritatis eſt; ut in omnibus ſit amplectendus. Caeterum Illiberitani Concilii canon 30. ait: *Subdiaconum eum ordinari non debere, qui in adoleſcentia ſua fuerit moechatus; eo quod poſtmodum per ſubreptionem ad altiorem gradum promoveretur: ſi autem aliqui ſunt in praeteritum ordinati, amoveantur:* quem Rabanus Maurus exſcripſit in Poenitentium lib. 2. cap. 4., & Symmachus PP. Epiſt. 25. Epiſcopis Hiſpaniae inter alia n. 1. & 2. praecipit, ne ad ſacros Ordines *Poenitentes* promoveant; quod legitur & c. *Si ille qui* d. 50., Paſchalis vero II., & Patres in Concilio Guaſtallen. anno 1106. *Schiſmaticos* Epiſcopos, Clericoſque in ſuis honoribus, ac officiis admiſerunt; modo *criminoſi*, aut *ſimoniaci*, aut *invaſores* non eſſent.

§. 6. *De Illiteratis &c.*

XXII. I*Lliteratos* quoque minus idoneos ad ſacros Ordines veterum quamplures judicarunt, & voluerunt; ac in primis Zoſimus Papa Epiſt. 1. ad Iſichium Salonit. Epiſcopum his verbis: *Qui Eccleſiaſticis diſciplinis imbutus per ordinem non fuiſſet, & temporis approbatione Divinis ſtipendiis eruditus; nequaquam ad ſummum Eccleſiae Sacerdotium aſpirare praeſumeret: & non ſolum in eo ambitio ineſſicax haberetur, verum etiam in ordinatores ejus, ut carerent eo ordine, quem ſine ordine contra praecepta Patrum crediderunt praeſumendum*: c. *Qui Eccleſiaſticis* d. 59., eumque ſecuti Hilarius, Gelaſius, Gregorius I. & II. cum Leone Magno; nec non c. *Cum ſit ars*, atque c. *Quamvis multa* de aetate, & qualit. ordinan., uti & Concilium Toletan IV. can. 18. *Spurios*, & *Illegitimos* ſimiliter inhabiles eſſe declaratos ad ſacrorum Ordinum miniſtrationem omnibus conſtare ſcimus; ſed de tempore non item. Autor Operis de re Sacram. tom. 2. id factum ſcribit poſt ſextum ſeculum: ſed ego vetuſtiorem exiſtimo morem; haberique ex Epiſtola Gelaſii I. ad Brunduſinos, ejuſque Conſtituto; quo inter *illicitas ordinationes*, quas ab Epiſcopis fieri prohibet, enumerat & illas *Bigami, Expoenitentis, Notatique*: quid autem eſt *notatum*, niſi infamiae nota inuſtum, uti *Spurius* eſt, & *illegitimus*? De his Concilium Melden. anno 845. can. 64., Lateranenſe III. anno 1179., & Innocentius III. Epiſt. 444. lib. 1., qua praecepit Vpſalenſi in Suetia Epiſcopo, ut binos Epiſcopos hac nota promotos *a Pontificali officio* deponeret; & *electionem tertii irritam, & inanem* decerneret.

XXIII. *Laicos*, ac *Neophytos*, nec non *Curiales*, ſeu Curiae adſtrictos, & qui poſt baptiſmum *militiae nomen* dediſſent, a ſacris Ordinibus prohibitos habemus ex antiquis SS. PP., & primum de *Neophytis* liquet ex Apoſtolo 1. ad Timoth. 3., qui tamen id de Epiſcopis dumtaxat affirmat. De *Laicis* vero extat Caeleſtini I. Epiſt. 2. ad Epiſcopos Vien., & Narbon. Provinciae, quae n. 6. habet: *Abſtineatur ab illicitis ordinationibus: nullus ex Laicis; nullus Digamus; nullus, qui ſit Viduae maritus ordinetur, ſed irreprehenſibilis, & qualem eligit*

Apo-

Apoſtolus, fiat ... & ſi quae factae ſunt ordinationes illicitae, removeantur: & 3. ad Apuliae, Calabriaeque Praeſules: *Audivimus quasdam propriis deſtitutas Rectoribus Civitates Epiſcopos ſibi petere velle de Laicis; tantumque faſtigium tam vile credere, ut hoc his, qui non Deo, ſed ſeculo militaverunt, aeſtiment nos poſſe conferre; non ſolum male de ſuis Clericis, in quorum contemptum hoc faciunt, judicantes; ſed de nobis peſſime, quos credunt hoc poſſe facere, ſentientes*. Quinam autem ſint illi Laici, expoſuit n. 2. inquiens: *qui viventes ſeculo, & omnem Eccleſiaſticum ordinem neſcientes ſaltu praepropero in alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate tranſcendere; & in aliud vitae genus calcata reverentia Eccleſiaſticae diſciplinae tranſire*. Sed & ante eum Siricius PP. Epiſt. 3. ad Orthodoxos, & 4. ad Afros, ut & Innocentius I. Epiſt. 2. ad Victricium n. 2. *ſi quis poſt remiſſionem peccatorum cingulum militiae ſecularis habuerit, ad Clericatum omnino admitti non debet*: qui & Epiſt. 4. ad Felicem Epiſcopum n. 3. ait: *Deſignata ſunt genera* (Laicorum), *de quibus ad Clericatum pervenire non poſſunt; ideſt ſi quis fidelis militaverit; ſi quis fidelis cauſſas egerit ... de Curialibus autem manifeſta ratio eſt &c.* Quos omnes praeivit Tertullianus de Praeſcript. Haeret. cap. 41., ſecutuſque eſt Leo M. Epiſt. 87. ad Mauros, & 88. ad Anaſtaſium.

XXIV. *Extra tempora* deſignata notum eſt ordinari non poſſe; ſed quibusdam in locis ita aliquando etiam inhibitum eſſe legimus, ut *irrita* ordinatio eo patrata modo declarata fuerit; quemadmodum in Toloſano Concilio anno 1056. per tres Archiepiſcopos juſſu Victoris II. PP. celebrato; in quo can. 2. ſtatutum eſt; ut *eadem ordinatio ne fiat niſi temporibus ſecundum Canones ſtatutis; aliter quidem irrita fiat ordinatio*: quam tamen Lupus Differt. Prooem. de Crimine Simoniae cap. 16. irritam putat dictam quantum ad *executionem*, non quantum ad Ordinis naturam, ac eſſentiam; hoc autem eſt *illicitam* quidem fore, ſed non *invalidam*. Verum annon conſtabat ex antiquis Eccleſiae regulis maxime ex Epiſtolis Leonis M., & Gelaſii I., illicitas eſſe, ac inhibitas hujuſmodi ordinationes? ſupervacaneus ergo fuiſſet canon memorati Concilii, niſi aliquid ultra, & praeter morem addidiſſet, nimirum non ſolum illicitam, ſed & *invalidam* fore eam ordinationem.

Quod comprobare videtur Alexander III. c. *Sane ſuper* de Temp. ordinat. Herefordienſi Epiſcopo ſcribens *depoſitionem* irrogari hujuſmodi ordinatis; quae poena non ſemel ordinationem irritam, nullam, ac invalidam denotabat: tametſi Urbanus III. ibidem c. *Cum quidam*, & Pius II. Bul. 7. *Cum ex ſacrorum ſuſpenſionis* tantummodo poenam iisdem inflixerint; ut & alii poſt illos; ſed id jure novo, quo in omnibus hujus capitis Ordinationibus ſaepe variatum eſt, ac *diſpenſatum* a priſcis legibus, ut in *Laicis*, *Neophytis*, *Illegitimis* &c.

XXV. Eſt & canon 9. Nicaenus, qui habet *Si qui citra examinationem promoti ſunt Presbyteri; vel examinati ſua peccata confeſſi ſunt; eiſque confeſſis praeter canonem moti homines manus impoſuerunt; eos canon non admittit*: eſtque fere idem atque can. 9. Neocaeſarienſis; referturque c. *Si quis Presbyter* d. 24. ex c. 24. Martini Bracaren., quod quidem confirmatum fuit anno 374. in Valentina I. Synodo can. 4. Sed utrum id, quia ordinatio ea cenſeatur *irrita*, atque nulla; an vero *depoſitio* ſolum innuatur; incertum. Illud demum addendum, Concilium Carthag. IV. can. 67. ab ordinibus jam dictis excludere *Uſurarios*, *Seditionarios*, & *Vindicatores*; Gennadium vero Maſſilien. *Scoenicos*, & *Hiſtriones*; & alios fortaſſe plures; ſed qui facile ad eos, qui dicti ſunt, revocari poſſunt. *Peregrinos* etiam, & *Incognitos* ordinari prohibet Gelaſius I. Epiſt. ad Brunduſinos data, qua illis Epiſcopum conſtituit; legiturque inter fragmenta Epiſtolarum ejusdem ex Collect. Canonum Card. Deuſdedit: quod ipſum poſtea prohibuit & S. Gregorius I. Epiſt. 25. lib. 2. Joanni Epiſcopo Scyllatino miſſa.

CAPUT V.

De Ordinationibus eorum, qui Intruſi, & Invaſores *appellantur.*

INter eos, qui cunctas pravorum, & illicitas ordinationes probant, & admittunt, ſunt quoque, qui ordinationes eorum, qui *Intruſi*, dignitatumque Eccleſiaſticarum *Invaſores* indigitantur, ratas eſſe volunt, & validas eſſe defendunt; iique plane recentes; nam

Digitized by Google

nam veteres hac de re ne dubitarunt quidem, nedum non diſſeruerunt. Sed iſtos nullo negotio expugnant partim ea, quae paulo ante de *Privatis ordinationibus* dicta ſunt; partim ratio, & multae SS. Patrum, Conciliorum, Romanorumque Pontificum autoritates. Et primum quantum ad rationem attinet: Quicumque intruditur, ſive alterius Principatum, aut Regnum invadit, ac invito vel populo regnare contendit; verus, ac legitimus Princeps, ſeu Rex non eſt, ſed uſurpator, & Tyrannus; propterea unicuique licet ipſum velut hoſtem, & *invaſorem* pellere, nec non & perdere: igitur a ſimili, qui intruditur, vel alterius Eccleſiam invadit, ac invita etiam plebe eam regere, ac gubernare praeſumit; non verus, ac legitimus Sacerdos, ſeu Epiſcopus ille eſt, ſed uſurpator, & raptor; quare licet, debetque ipſe repelli, atque puniri tanquam uſurpator, & hoſtis: & ut unctio, ac *conſecratio* uſurpatoris Regni irrita judicatur, & nulla; ita promotio, ac *conſecratio* uſurpatoris Eccleſiae irrita cenſenda eſt, & nulla. Nec eſt, quod quis confugiat ad vim *characteris* Ordinis in eo, qui confert ordinem, quaſi nequeat non conferre. Nam huic reſponſum eſt jam Cap. III. n. 2., poſtea minus veriſimile videtur, Deum expoſita voluiſſe Sacramenta ſua cuicunque raptori, ac *invaſori*. Tandem *Laica* poteſtas potior eſſet, ac praeſtantior, quam *Eccleſiaſtica;* illa enim poteſt *invaſores* Regni prorſus coercere; iſta non poſſet raptores Eccleſiarum: quoniam non prorſus arcet, qui tantum *exercitium* aufert; ſed qui *poteſtatem* extinguit. Atque id quidem quantum ad rationem; nunc ad autoritates veniendum.

§. 1. *De Novatiano Pſeudopapa.*

II. AC primum de *Novatiano* omnium in Eccleſiam invadentium, Schiſmaticorumque Anteſignano, de quo S. Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum Epiſcopum apud Euſebium lib. 6. Hiſt. cap. 35. ſcribit, eum *Epiſcopos tres homines agreſtes, rudes, ac ſimplices* ex exiguo Italiae angulo abduxiſſe; quos *incluſos hora decima temulentos, & crapula oppreſſos adumbrata quadam, & inani manuum impoſitione Epiſcopatum ſibi tradere per vim coegit; eumque nullo ſibi jure compe-*

petentem per fraudem, atque inſidias vindicat &c. Quis eſt autem, qui rerum Eccleſiaſticarum vel leviter gnarus neſciat, Ebrium ordinare, & conſecrare non poſſe; cum & ratione, & recta intentione deſtituatur; uti & vi coactum, qui contrarium intendere, ac velle poteſt? Igitur Novatianus *valide* ordinatus non fuit; quare nec Epiſcopus verus fuit. Hinc Pacianus Barcinon. Epiſcopus Epiſt. 2. ad Sympronianum dicit, cum *ſine conſecratione legitima Epiſcopum factum, ideoque non factum*. Quo loco habendus eſt & *Fortunatus* ille a Privato haeretico paulopoſt adverſus S. Cyprianum in Carthagin. Cathedram intruſus, de quo idem Cyprianus Epiſt. 55. ad Cornelium Epiſcopum agit, & *Pſeudoepiſcopum* appellat.

III. De Novatiano vero, ejuſque in Eccleſiam Romanam invaſu haec ſcribit S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum: *factus eſt Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti ejus judicio; de Clericorum pene omnium teſtimonio; de plebis, quae tunc affuit, ſuffragio; & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio; cum nemo ante ſe factus eſſet; cum Fabiani locus, ideſt cum locus Petri, & gradus Cathedrae Sacerdotalis vacaret: quo occupato de Dei voluntate, atque omnium noſtrum conſenſione firmato; quiſquis jam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt; nec habeat Eccleſiaſticam ordinationem, qui Eccleſiae non tenet unitatem. Quiſquis ille fuerit, multum de ſe licet jactans, & ſibi plurimum vendicans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt: & cum poſt primum ſecundus eſſe non poſſit; quiſquis poſt unum, qui ſolus eſſe debeat, factus eſt; non jam ſecundus ille, ſed nullus eſt... Niſi ſi Epiſcopus tibi videtur, qui, Epiſcopo in Eccleſia a ſexdecim Coepiſcopis facto, adulter, atque extraneus Epiſcopus fieri a deſertoribus per ambitum nititur: & cum ſit a Chriſto una Eccleſia per totum Mundum in multa membra diviſa; item Epiſcopatus unus Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus; ille poſt Dei traditionem, poſt connexam, & ubique conjunctam Catholicae Eccleſiae unitatem, humanam conatur Eccleſiam facere; & per plurimas Civitates novos Apoſtolos ſuos mittit, ut quaedam recentia inſtitutionis ſuae fundamenta conſtituat. Cumque jampridem per omnes provincias, & per urbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi in aetate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, in perſecutione proſcripti; ille ſuper*

eos

eos creare alios Pſeudoepiſcopos audet; quaſi poſſit aut totum Orbem novi conatus obſtinatione peragere, aut Eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiae ſuae ſeminatione reſcindere, neſciens Schiſmaticos ſemper inter initia ſervere, incrementa vero habere non poſſe; nec augere quod illicite coeperint ... Qui ergo nec unitatem ſpiritus, nec conjunctionem pacis obſervat; & ſe ab Eccleſiae vinculo, atque a Sacerdotali Collegio ſeparat; Epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere, nec honorem, qui Epiſcopatus nec unitatem voluit tenere nec pacem: & in Epiſt. 76. ad Magnum: *Novatianus in Eccleſia non eſt; nec Epiſcopus computari poteſt, qui Evangelica, & Apoſtolica traditione contempta nemini ſuccedens a ſe ipſo ordinatus eſt: habere namque, aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt, qui ordinatus in Eccleſia non eſt*. Quae literae forma ſunt, & exemplum omnium eorum, quae dici poſſunt ad labefactandas illorum ordinationes, qui in Eccleſiaſticas dignitates invadunt, aut intruduntur.

§. 2. *De Gregorio, & Georgio Alex.*

IV. Sardicenſis Synodus anno 347 de Gregorio Ariano in Alexandrinam Gathedram anno 341. contra S. Athanaſium ab Euſebianis intruſo iſta haec pronunciavit, ut apud eundem Athanaſium eſt Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes: *Gregorii autem nomen Alexandriam miſſi ita in damnando recitarunt; ut nec unquam eum Epiſcopum; nec dignum, qui Chriſtianus appellaretur, cenſerent: reſciderunt enim omnes illius in Ordinibus dandis conſtitutiones; interdicentes, ne quiſquam ab eo Ordinatus in Eccleſia vel nomen ſui Ordinis obtineret; idque in odium inauditorum ſcelerum Gregorii*: (utor Nannii verſione, quia meliorem ad manum non habeo.) De altero vero in eandem Alexandr. Eccleſiam anno circiter 351. invaſore Georgio Cappadoce itidem Ariano Lucifer Caralitanus Epiſcopus in Apol. pro Athanaſio lib. 1. ita Conſtantium Aug. alloquitur: *Numquid poteſt Deus eſſe cum inimico Georgio? Numquid ei, quem non ordinaverit, quem non elegerit, poterit eſſe propitius?* Quem autem non elegit, & non ordinat Deus; non eligit, nec ordinat Eccleſia: inquit enim Pacianus proxime memoratus Epiſt. 1. ad Sympron. *quod per Sacerdotes facit Deus,*

Deus, *ipſius poteſtas eſt*: igitur Gregorius, & Georgius ab Euſebianis, vel Arianis in Eccleſiam intruſi, & non ab Eccleſia ordinati minime cenſendi ſunt Epiſcopi.

§. 3. *De Maximo Cynico.*

V. ET de Maximo Cynico, de quo Damaſus Papa Epiſt. ad Acholium, & alios in tertio Bonifacii II. Concilio Romano anno 531. relata ſcripſit: *neſcio quos ex Aegypto venientes in poſtulatione contra regulam Eccleſiaſticae diſciplinae alienum a noſtra profeſſione in Conſtantinopolitana Civitate Cynicum ad Sacerdotium vocare voluiſſe*: nec diſſimilia multum ei reſcripſit Acholius Theſſalonic. Epiſcopus; annon Concilium Conſtantinopolitanum I. anno 381., quod dolo, atque pecunia Conſtantinopolitanam Eccleſiam invaſiſſet anno 379., ita decrevit can. 4. juxta verſionem Herveti: *Placuit etiam de Maximo Cynico, & ejus petulantia, & inſolentia, quae fuit Conſtantinopoli; ut Maximus Epiſcopus nec fuerit, vel ſit; nec qui ab eo ordinati fuerunt, in ullo, quicunque ſit is, gradu Cleri; omnibus, & quae circa ipſum fuerunt; & quae ab illo facta ſunt, infirmitatis*: quae Dionyſius can. 3. vertit: *cum omnia, quae ab eodem perpetrata ſunt, in irritum deducta eſſe videantur?* Eſt igitur irritum idem ac infirmum; infirmum vero idem atque invalidum: quod ſi *invalida* fuit Maximi Cynici ordinatio; igitur & nulla: quid autem his opponent, qui ſecus ſentiunt, atque haec habeant?

VI. Opponunt, reſpondentque, pro nullis habitas eſſe a CP. Concilio ejuſmodi ordinationes quantum ad uſum, & *exercitium* poteſtatis; non quantum ad *characterem*, ſeu, ut hodie loquuntur, *illicitas* quidem illas fuiſſe, ſed non *invalidas*. Verum invalidas jam dixit Concilium, quandoquidem infirmas eſſe voluit: & alio loco dictum eſt, *irritum* eſſe idem, ac nullum, & invalidum: igitur *invalidae* fuerunt Maximi Cynici utpote intruſi ordinationes. Poſtea ſi tam facile eludi poſſent tam perſpicuae autoritates; quis erit, qui non idoneus ſit ſacris Ordinibus? non Foemina, non Hebraeus, non omnino coactus, & inſanus, bigamus &c. rejicientur; cum iisdem plane loquendi modis ſacri Canones repellant iſtos, eorumque or-

ordinationes exſufflent, quibus intruſos, & *invaſores*: praeſertim cum a Concilio CP. *Maximus* declaratus ſit *non Epiſcopus* eſſe, aut fuiſſe; vere autem non Epiſcopus eſt, & etiam dicitur, non qui uſu, ac exercitio caret; ſed qui poteſtate; alioquin ſuſpenſione multatus Antiſtes eſſet, aut diceretur *non Epiſcopus*; quod tamen nemo dicit.

VII. Hic porro non poſſum Doctoris Witaſſis lapſum praeterire, qui q. 4. *de charactere* ſect. 4. obj. 1., ut & ſect. 7. Prob. 1. deputat, Anaſtaſium Bibliothecarium in ſcholio ad VIII. Synodi finem diſcrimen inter *Haereticos*, & *Invaſores* conſtituere; quando quaerit, cur Sedes Apoſtolica a *Photio* damnato ordinatos ſine recuperatione depoſuerit; ab *Ebione* vero ſacratos, & poſt ab Epiſcopis depoſitos inſtaurari decreverit: returque eum loqui de Hebione Apoſtolorum aevo haereſiarcha, cum de Ebone Rhemenſi Antiſtite ſuo tempore dignitate privato verba faciat; conferatque Photium *Maximo* Cynico, & Ebbonem *Acacio* CP., *invaſorem* invaſori, & *depoſitum* depoſito; non haereticum haeretico, ut ille arbitratur. Neque enim Acacius CP. Epiſcopus dignitate motus eſt, ac depoſitus, quia haereticus, ſed uti haereticorum fautor, quemadmodum Natalis Alex., & Pagius oſtendunt; & Ebbo quoque Epiſcopus privatus fuit, quod in Ludovicum Pium Aug. conjuraſſet, non autem ob haereſim: nam *Hebio* haereſiarcha nunquam Epiſcopus fuiſſe legitur, ut de illo loqui quiverit Anaſtaſius; & ſi in Conciliorum Collectionibus mendoſe legitur *Ebio*; tamen in Codice a Baronio adhibito ad ann. 871. n. 14. dicitur *Ebbo Rhemenſis Epiſcopus*, ut & apud Lupum in Notis ad Act. VI. Synodi VIII.

Lapſus eſt etiam, cum adjecit, cauſſam diſcriminis hanc Anaſtaſium afferre; nimirum in *haereſim lapſos* (dicendum *depoſitos*) fuiſſe *veros, ac genuinos* Epiſcopos, exercitiumque Ordinis aliquando habuiſſe; nunquam autem eam facultatem habuiſſe *invaſores*, & intruſos. Nam Anaſtaſius *invaſorem* ſpurio confert, & *depoſitum* legitimo filio, inquiens: *ſi pater meus adulter eſt, & ex adulterio naſcor; profecto ut non legitimus ex hereditate repellor &c.* atqui ſpurius nullo modo, & nunquam legitimus eſt filius, ut patris haereditatem adipiſcatur *valide*; igitur & *invaſor* nullo modo eſt Epiſcopus, ut *valide* digni-

ta-

Digitized by Google

tate potiatur: non autem quia *haereticus* Epiſcopus uſum ordinis aliquando, ac exercitium habuit; *invaſor* vero nequaquam; cum extent in oppoſitum exempla de haereticis Antiſtitibus, qui nunquam ad dignitatis gradum reſtitui potuerunt praeſertim duces, ac Haereſiarchae.

§. 4. *De Arſacio, & Attico CP.*

VIII. Anno 404. cum S. Johannes Chryſoſtomus calumniis improborum oppreſſus ſede ſua Conſtantinopolitana fuiſſet in exilium pulſus, eique ſubrogatus, ſeu potius intruſus *Arſacius*; S. Innocentius I. Epiſt. 29. ad Clerum, populumque Conſtantinopolitanum, quam recitat & Sozomenus lib. 8 cap. 27., & Nicephorus Calliſti lib. 13. cap. 32., ita ſcribit: *in locum viventium Epiſcoporum alii ſubrogantur . . . nunquam ſane Patres noſtros talia auſos fuiſſe; ſed potius vetuiſſe cognovimus; ne cui in locum viventis per conſecrationem alium ſubſtituendi ſit poteſtas. Minime enim conſecratio reproba honorem adimere Epiſcopo poteſt: quandoquidem neque Epiſcopus ille eſſe poteſt, qui inique ſubſtituitur; quoniam haec contra Canonum obſervationem ſunt*. Propterquod recte a Baronio ad an. 405. n. 15. & 20. *Arſacius* intruſus dicitur *Pſeudoepiſcopus*; *Atticus* vero quanquam & ipſe ante interitum S. Joannis intruſus fuit; poſtea tamen communi omnium conſenſu receptus ſancte vixit; factumque de eo id, quod Cap. VI. n. 16. adnotabitur.

§. 5. *De Leonis Magni autoritate.*

IX. Extat & celebris illa Magni Leonis ſententia Epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonen. Epiſcopum n. 1. *Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec a Clericis ſunt electi; nec a Plebibus expetiti; nec a Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati: unde cum ſaepe quaeſtio de male accepto honore naſcatur; quis ambigat, nequaquam iſtis eſſe tribuendum, quod non docetur fuiſſe collatum?* quam autoritatem & Adrianus II., & Leo III., & Urbanus II. adduxerunt, cum ordinationes omnino nullas, & invalidas oſtendere voluerunt, ut infra ſuis videbimus locis: adduxit etiam Ni-

co-

colaus II. in decreto ſuo *de electione Rom. Pontificis* anno 1059. Romano in Concilio condito; qua probaret, electionem, promotionemque Rom. Pontificis ſine ea, quam perhibet S. Leo, conditione nullam, & inanem fore; ſubjunxitque: *Quod ſi quis contra hoc noſtrum decretum... electus, aut etiam ordinatus, ſeu inthronizatus fuerit.... a limine ſanctae Dei Eccleſiae ſeparatus abjiciatur ſicut Antichriſtus, invaſor, & deſtructor totius Chriſtianitatis*: & alias ibi: *Auctoritate Apoſtolica decernimus, quod in aliis Conventibus noſtris decrevimus; ut ſi quis pecunia, vel gratia humana, vel populari, ſeu militari tumultu ſine concordi, & canonica electione, ac benedictione Cardinalium Epiſcoporum, ac deinde ſequentium Ordinum religioſorum Clericorum fuerit Apoſtolicae ſedi inthronizatus, non Papa, vel Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur: liceatque Cardinalibus Epiſcopis cum religioſis, & Deum timentibus Clericis, & Laicis invaſorem etiam cum anathemate, & humano auxilio, & ſtudio a Sede Apoſtolica repellere, & quem dignum judicaverint, praeponere*. Quod & habetur c. *Si quis pecunia* d. 79.

X. Quare quod reſpondet Witaſſes Obj. 2., illos quidem non haberi Epiſcopos quantum ad *uſum poteſtatis*, ſed tamen haberi quantum ad ipſam *poteſtatem*, characteremque Epiſcopalem; idque aperte ex eo elici, quod licet abjiciantur, eorum nihilominus ordinationes pro ratis judicari; cum addat idem Leo: *Si quis autem Clerici ab ipſis Pſeudoepiſcopis in Eccleſiis ordinati ſunt, qui ad proprios Epiſcopos pertinebant; & ordinatio eorum judicio Praeſidentium facta eſt; poteſt rata haberi ita, ut in ipſis Eccleſiis perſeverent*: atqui ratae, inquit, haberi non poſſent, ſi nullam ipſi ordinandi poteſtatem habuiſſent; quod & ſenſiſſe Auxilium Francum, & poſt etiam Petrum Damiani memorat: id, inquam, facile refellitur. Nam cum olim *Presbyteris* conceſſum eſſet ordinare Clericos in *Minoribus* Ordinibus; ut & prae caeteris docet Alexander III. c. *Requiſivit* de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui; & nunc quoque eorumdem Ordinum extraordinarii cenſeantur Miniſtri; cur eorum ordinationes ratae cenſeri non poterant, uti egit memoratus Alexander III.? niſi quis putet, intelligendum Leonem, quemadmodum Vermerien. Synodum, quam Cap. IV. n. 12. produxi; & quae juſſit manere

qui-

quidem in Eccleſiis *Presbyteros* male promotos, ſed iterum conſecrari: praeſertim cum S. Leo addiderit: *aliter autem vana habenda eſt creatio, quae nec loco fundata eſt, nec autoritate munita.*

XI. Fruſtraque Queſnellus Autor notarum ad hunc locum in poſtrema Epiſtolarum M. Leonis editione contendit, illos fuiſſe non quidem *legitimos* Epiſcopos, ſed tamen *veros*, eo quod Epiſcopalem ſuſceperant conſecrationem: & quia juxta Eccleſiae regulas minime ordinati fuerant, icirco pro *Pſeudoepiſcopis* habitos fuiſſe. Quandoquidem inquiro; quomodo *verus* eſt Epiſcopus, & non *legitimus?* etſi enim, ubi natura, & lex operantur, non idem ſit verum, & legitimum; tamen ubi lex una ac ſola peragit, idem eſt verum, atque legitimum, ideoque ſacris in ordinationibus, in quibus natura nihil, lex vero cuncta facit; idem eſt verus, & legitimus Epiſcopus, quamquam interdum minus licite, & parum ordinate promotus. Certe quum S. Leo adjecit: *unde cum ſaepe quaeſtio de male accepto honore naſcatur; quis ambigat, nequaquam iſtis eſſe tribuendum, quod non docetur fuiſſe collatum?* annon perſpicue tradit, illis *Pſeudoepiſcopis* dignitatem Epiſcopalem non fuiſſe collatam? id quod *Pſeudoepiſcopi* vocabulum evincit; cum iſtud non *illicite*, ſed *invalide* tantum ordinatis tribuatur: nam ſi falſus eſt Epiſcopus; igitur non vere, ſed falſo, ac invalide promotus.

XII. Idem Leo Magnus Epiſt. 125. al. 75 ad Leonem Auguſtum de *Timotheo Aeluro* in Alexandrinam ſedem, vivente adhuc S. Proterio Antiſtite, intruſo; de eo, qui ante jam damnatus fuerat ut haereticus a Concilio Aegyptiaco, & in exilium pulſus Epiſcopatum invaſit ordinatus a *duobus Epiſcopis tantum*, & ipſis etiam jure damnatis, ac in exilium detruſis *nullo penitus Orthodoxorum Epiſcoporum ex Dioeceſi Aegyptiaca praeſente, ut moris eſt ... mox ordinationes effecit Epiſcoporum ſimul, & Clericorum Epiſcopus ſine impoſitione manus exiſtens*: dixerunt Epiſcopi Aegyptiaci, Clerusque Alexandrinus in Epiſtola, ſeu libello precum ad Leonem Aug. de hac re, ut in 3. par. Concilii Chalcedonen. n. 22., de eo inquam ſcribit Leo Magnus: *manifeſtum quippe eſt, per crudeliſſimam, immaniſſimamque veſaniam omne illic caeleſtium Sacramentorum*

lu-

lumen extinctum; intercepta eſt ſacrificii oblatio; defecit Chriſmatis ſanctificatio; & parricidialibus manibus impiorum omnia ſe ſubtraxere myſteria: quod exſtat & c. *Manifeſtum eſt* 1. q. 1. S. enim Proterium ipſis Paſchalibus feſtis anno 457. necari mandavit. Epiſt. vero 76. ad Anatolium CP. Epiſcopum de eadem re hortatur, *ut omnia haereticorum machinamenta confringat* (Imperator); *neque illis quicquam in Eccleſiis Chriſti licere patiatur; ne in eorum poteſtate ſint Divina myſteria, quibus in domo Dei pro ſcelerum ſuorum magnitudine nec habitandi jus reſidet, nec orandi*: & c. *In Eccleſia* 1. q. 1. ex ejusdem Epiſt. 48. ad ipſum Anatolium dicitur: *In Eccleſia, quae corpus Chriſti eſt, aliter nec rata ſunt Sacerdotia, nec vera ſacrificia; niſi in noſtrae proprietate naturae verus nos Pontifex reconciliet; verus immaculati agni ſanguis emundet*. Quapropter Timothei ordinationes *irritas* fuiſſe declaratas nos docet Felix II. al. III. Papa in Libello ad Zenonem Imp. anno 485. contra Acacium CP. Epiſcopum ex decreto Romani Concilii conſcripto.

§. 6. *De Dioſcoro juniore*.

XIII. Narrat S. Theophanes in Hiſtoria ad ann. 509. Alexandr., qui vulgaris eſt 517., de Dioſcoro juniore Alexandrino Antiſtite Timothei Aeluri nepote, vel conſobrino, qui defuncto Johanne Niceota Epiſcopo Alex. Imp. Anaſtaſii favore Cathedram eam invaſit, iſta haec: *Dioſcoro Epiſcopo creato, Oppidanorum multitudo a reliquo Eccleſiae coetu ſegregavit ſe dicens: non ſedet Epiſcopus, niſi qui, prout ſancti Apoſtolici Canones praeſcribunt, fuerit inſtitutus: Principis enim Magiſtratus eum ad thronum ſubvexerant. Igitur ad S. Marci Dioſcoro profecto, convenientes Clerici iterum induerunt; & ordinationis ritum circa eum iterato perfecerunt; atque ita ad S. Joannis progreſſus ſacram Synaxim peregit*: quod refert & Anaſtaſius Bibliothecarius in Hiſt. fere Theophanem exſcribens. Porro canon, contra quem Dioſcorus fuerat promotus, eſt 29. al. 31. Apoſtolorum, habetque: *Si quis Epiſcopus ſecularibus Principibus uſus per eos Eccleſiam adeptus ſit, deponatur, & ſegregetur; & omnes, qui illi communicant*. Qua in re quam-

vis ab Haereticis id factum dixeris; tamen in facto notabis & morem Eccleſiae ab ipſis vel Haereticis obſervatum iterandarum ordinationum eorum, qui praeter Canones Eccleſiae, & ſine Synodo ſeſe in Eccleſias intrudebant, invadebantque. Sic enim & S. Stephanus Papa I. contra *rebaptizantes* Haereticorum exemplum attulit, cum inquit: *cum ipſi Haeretici proprie alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum*: in ſuo decreto apud S. Cyprianum.

§. 7. *De Macedonio, & Petro Monothel.*

XIV. SAnctus Martinus I. Papa Epiſt. 5. ad Joannem Philadelphiae Epiſcopum de Macedonio in Antiochenam Eccleſiam intruſo, ac Petro Monothelita Eccleſiae Alexandrinae Cathedram occupante ſcribit, commonetque dicens: *ejus vero, qui falſo Epiſcopatus ſibi nomen affinxit, Macedonii dico importunas literarum minas, ſive proteſtationem fortiter deſpuito ut rabidi canis, & temerarii latratum... Hunc enim Epiſcopum Catholica Eccleſia nullo modo novit, non ſolum quod is praeter Canones in externa Regione, ſine conſenſu, & abſque ullo decreto hanc ſibi appellationem uſurpavit; ſed & quod conſentiat Haereticis, qui haereſeos ſuae appendicem ejus electionem per contemptum tumultuarie fecerunt: quemadmodum & Petri, qui ab eis nominatus eſt, & aſſimulatus Epiſcopus Alexandriae, ut per plures, & aſcriptitias perſonas haereſim ſuam munitiorem utique reddant &c.*, & Epiſt. 11. ad Eccleſias Antiochenam, & Alexandrinam: *Macedonium haereticum; quem contra Canones ſibi finxerunt falſum Antiochiae Epiſcopum praedicti haeretici, quemadmodum & Petrum Alexandriae tumultuarie creaverunt. Hos enim ſibi conſentientes nacti... fictam Sacerdotii ipſis impoſuerunt appellationem non ab ullo legitimo ſuffragio, aut Eccleſiaſtica ſucceſſione ad hoc inducti; ſed a prava & haeretica excogitatione*. Plures igitur cauſſae hos falſos, ideoque nullos Epiſcopos extitiſſe demonſtrant.

§. 8.

§. 8. *De Ceadda Eboracen.*

XV. ANno *666.* juſſu Oſwii Northumbrorum Regis Ceadda Eboracenſis Epiſcopus eſt ordinatus a Wine Wintonienſi Antiſtite; nihilominus tamen quia ante eum anno *665*. Wilfridus, cum eſſet in Gallia, & ipſe fuerat Epiſcopus Eboracenſis ordinatus, inſciente quidem Ceadda, ſed ſcientibus Rege, & aliis; ideoque & *indocte*, & *contra Canones* Ceadda factus fuerat Praeſul, inquit Eddius in vita S. Wilfridi cap. 14., triennio poſt a Theodoro Cantuarien. Archiepiſcopo depoſitus eſt, & exauctoratus: mox ejus humilitatem admiratus Theodorus eum ordinavit *nova conſecratione* Epiſcopum Lichfeldien., teſte Beda lib. 4. Hiſt. cap. 2. Falſuſque eſt Radulphus Dicetenſis ad ann. *666.*, cum perhibet, ideo Theodorum denuo conſecraſſe Ceaddam, quod a Wine Epiſcopo *Simoniaco* fuerat conſecratus: nam Wina Simoniae crimen tum patravit, cum eſt ab Epiſcopatu Wintonienſi expulſus: tunc enim *ſecedens ad Regem Merciorum vocabulo Wlfheri emit pretio ab eodem ſedem Lundoniae Civitatis*, ut ait Beda lib. 3. cap. 7., cum autem Ceaddam ordinaverit, dum adhuc Wintonien. eſſet Epiſcopus; igitur antequam ſimonia pollueretur; Et quidem laudatus Beda lib. 3. cap. 28. teſtatur, iccirco a VVina fuiſſe Ceaddam ordinatum, quia *non enim erat tunc ullus excepto illo VVine in tota Britannia canonice ordinatus Epiſcopus*. At ut iterum ordinaretur Ceadda, in cauſſa fuit, non quod ab uno tantum Epiſcopo conſecratus fuiſſet; ſed quod poſt VVilfridi ordinationem eidem Eccleſiae fuerat promotus, ideoque & intruſus. Theodorus enim Cantuarien. Epiſcopus vir valde doctus fuit, teſtante Beda; vocaturque *Philoſophus* ab Agathone PP. Epiſt. ad Impp. pro Synodo VI., extatque adhuc ejus liber *Poeniten.*

§. 9. *De Conſtantino Pſeudopapa.*

XVI. SEd quid clarius haberi poteſt facto Conſtantini an. 767. in Cathedram Romanam intruſi, cum Paullus Pontifex *in aegritudine* poſitus *nondum ſpiritum exhalaret?* De quo Au-

tor libri Pontificalis in Vita Stephani III. al. IV. memoriae prodidit, poſt elapſum annum tandem turpiter ejectum, ac depoſitum fuiſſe; decretumque in Rom. Synodo, de *Epiſcopis, Presbyteris*, & *Diaconis*, quos ille conſecrarat; ut *Epiſcopi* priſtinum in gradum reverterentur; ſi autem populo Civitatis ſuae eſſent accepti, *denuo facto decreto electionis more ſolito* ad Apoſtolicam ſedem ſe conferrent; & *ab eodem SS. Stephano Papa benedictionis ſuſciperent conſecrationem*: pauloque poſt ſubjungit: *hujuſmodi vero promulgatis ſententiis illico Epiſcopi illi, qui ab eodem Conſtantino ordinati ſunt, revertentes juxta ejusdem Concilii ſententiam in priſtino honoris gradu, electi denuo a Clero, & plebe, factoque ſolito decreto ad ſedem Apoſtolicam properantes ab eodem SS. Papa conſecrati ſunt. Ita enim in eodem Concilio ſtatutum eſt, ut omnia, quae idem Conſtantinus in Eccleſiaſticis Sacramentis, ac Divino cultu egit, iterata fuiſſent, praeter ſacrum Baptiſma, & ſanctum Chriſma*. De Presbyteris vero, & Diaconis ſimiliter factum, ut ibi etiam enarratur.

Qua de re & in Act. 3. Concil. Romani a Joanne XII. anno 964. coacti legimus: *Eos vero, quos ipſe Leo Neophytus, & invaſor S. Catholicae, & Apoſtolicae Romanae Eccleſiae in quolibet Eccleſiaſtico Ordine provexit; Apoſtolica, atque Canonica autoritate, & Synodali decreto in priſtinum revocamus gradum, quia ordinator eorum nihil ſibi habuit, nihil illis dedit. Sicut olim noſter praedeceſſor piae memoriae Papa Stephanus ſententiam tulit de iis, qui ordinati fuerant a Conſtantino quodam Neophyto, & invaſore S. Sedis Apoſtolicae; & poſtmodum quosdam eorum ſibi placabiles Presbyteros, aut Diaconos conſecravit &c.* Quod quidem enunciatum: *nihil ſibi habuit; nihil illis dedit*: nonniſi de iis, qui nullam ordinandi poteſtatem habent, efferri ſolitum, alias oſtendetur.

XVII. Quae dicta tam aperta ſunt, ut Auxilius Francus quamquam invitus (non longe poſt enim vixit, & ſcripſit) lib. 2. cap. 4. non potuerit non fateri, in Rom. Concilio Stephani PP. anno 769. pro *irritis* habitas eſſe Conſtantini ordinationes, *iteratasque* fuiſſe; ſed perperam, & perverſe factum exclamat; ſentitque a Conſtantino *ſecundum Canones* illos extitiſſe ordinatos; alioquin fruſtra S. *Leonem* Papam cenſuiſſe, Pſeudoepiſcopos quidem abjici, eorum tamen ordinationes

ra-

ratas haberi; fruſtra *Anaſtaſium* Pontificem Acacii ordinationes recepiſſe; & *Liberii*, *Vigiliique* conſecrationes illibatas permanſiſſe.. Verum non vidit Auxilius, aut utpote propriae cauſſae defenſor videre noluit, Conſtantinum *contra Canones* ordinatum fuiſſe, ideoque non ordinatum; ut ſupra n. 2. vidimus dixiſſe Pacianum Barcinonen. Epiſcopum de Novatiano; ejuſque ordinationes proinde non *ſecundum Canones* dici poſſe factas; utpote *invaſor*, & intruſus qui noſcitur; & intruſorum ordinationes perperam dici ſecundum Canones peractas, viſum eſt jam proxime; oſtenſumque eſt etiam n. 10., quomodo intelligendus eſt S. Leo, de Anaſtaſio vero, nec non Liberio, Vigilioque dicetur poſtea.

XVIII. Multa ſane occurrunt, quae hujus Conſtantini promotionem irritam, nullamque fuiſſe comprobant. Primum quod *Laicus* nondum, vel vix mortuo Pontifice Paullo fuerit in Romanum Antiſtitem electus contra ſtatuta Symmachi PP. c. *Si quis Papa*, & c. *Si transitus* d. 79., & Bonifacii IV. anno 608. in Rom. Concilio 72. Epiſcoporum, 34. Presbyterorum, omniſque reliqui Cleri. Deinde quod *Presbyter* non fuerit, ſed ex *Diacono* ad ſummum Pontificatum aſcenderit; quem Graeci omnes, & Latini plurimi, quibus aſſentitur & VVitaſſe q. 7. art. 4. q. 10., irritum, ac nullum eſſe defendunt: Presbyterum autem eum non fuiſſe evincitur ex Libro Pontificali, ſeu Autore Vitae Stephani III., al. IV., qui de eo perhibet: *alio die* ab electione, qua *Clericus* effectus eſt, *illuceſcente feria ſecunda Subdiaconus, atque Diaconus ab eodem Epiſcopo... contra ſanctorum Canonum inſtituta conſecratus eſt... & adveniente Dominico die... Pontifex ab eodem Georgio conſecratus eſt... antedictus vero Georgius Epiſcopus Praeneſtinus, qui eum Diaconum, & Pontificem conſecravit*. Tandem quod ordinatus fuerit ab Epiſcopo Georgio perquam invito, & maniſeſte coacto, quique *omnino hoc renuebat facere; corruenſque in terram proſtravit ſe pedibus... ſed concitati plurimi ex ipſis malignis, qui eandem impiam electionem fecerant, inſurgentes ſuper eum, atque fortiter comminantes, a quibus ipſe timore correptus orationem illi Clericatus tribuit &c.* Cum igitur ordinatio ea fuerit patrata ex metu gravi cadente in virum conſtantem, ac vi *fortiter* illata; quis non intelligit, fuiſſe eam ſine

 de-

debita *intentione*, ſine qua nulla eſt Miniſtri ſacra ordinatio; immo oppoſitum eum voluiſſe? hinc idem Vitae Stephani PP. ſcriptor *impiam ordinationem* appellat; dum populi Romani publicam coram ipſo Pontifice confeſſionis, ac poenitentiae profeſſionem refert.

XIX. Et tamen nunc omnes non verentur in contrarium iſta contorquere ſenſum. Baronius enim primus ad ann. 769., aliique, ne Stephanus Papa, ejuſque celebre Concilium, cui prae caeteris doctiſſimi ſeptem Archiepiſcopi Galliarum, & Germaniae interfuerunt, Conſtantini ordinationes iteraſſe dicantur; quod ſi patratum fuiſſet, deputant flagitium; comminiſcuntur *conſecrationis* nomine apud Autorem Libri Pontificalis ſignificari benedictionem, ac reconciliationem a Papa Stephano factam, non autem ordinationem ſacram: & tamen idem Baronius ad ann. 767. n. 6. ſcripſerat, Conſtantinum noviſſe ſuam *ordinationem ſacris Canonibus penitus labefactari, ac reddi irritam*; ideſt nullam, & invalidam. Sed falſum eſt, merumque commentum, Autorem illum *benedictionis conſecratione* intelligere ritus illos ſolemnes adhiberi in reconciliatione Schiſmatici, vel haeretici conſuetos: nam praeſtat audire Acta ipſius Concilii, vel ejusdem fragmentum, quod Acherius in Spicil to. 2. & in ſua Conciliorum Collectione vulgavit Labbeus ex Epiſt. 2. Ratherii Veronen. Epiſcopi; habetque Patres ita dixiſſe Act. 3. *Primum omnium decernimus, ut Epiſcopi, quos conſecravit* (Conſtantinus)*; ſi quidem Presbyteri prius fuerunt, aut Diaconi; in eodem priſtino honore revertantur: & poſtmodum facto more ſolito decreto electionis eorum, ad ſedem Apoſtolicam cum plebe, atque decreto ad conſecrandum eveniant; & conſecrationem a noſtro Apoſtolico ſuſcipiant, ac ſi prius fuiſſent minime ordinati... At vero Presbyteri illi, vel Diaconi, quos in hac S. Romana Eccleſia ordinavit, in priſtino Subdiaconatus ordine, vel alio, quo fungebantur officio, revertantur. Cum & poſtmodum in veſtrae ſanctiſſimae almitatis poteſtate ſit, ſive eos ordinandi; ſive ut vobis voluerit, diſponendi:* ubi aperte vocabulo *ordinandi* utitur; & illi *minime ordinati* dicuntur; quo nihil clarius niſi illis, qui lucem videre recuſant.

XX. Enim vero ubinam tale quid habetur, legiturque; ut in *reconciliatione* Epiſcoporum lapſorum debuiſſent illi in

pri-

priſtinum redire locum; inde *denuo facto electionis decreto more ſolito cum Clero, & plebe ad Apoſtolicam Sedem accedere pro conſecratione?* nullibi gentium: hoc namque omnimodam, & manifeſtam indicat ordinationem ſacram, cum dicitur *more* ſolito; ſiquidem certum eſt, ex more, ac uſu loquendi illorum praeſertim temporum, *reconciliationem* Clericorum lapſorum etiam Epiſcoporum ſola *manus impoſitione* fieri ſolitam, ſive ſuis redderentur honoribus, ſive non: Quare ſi in hoc facto denuo fuerunt *electi*, ergo & denuo *ordinati;* non autem reconciliati. Quippe quod ſcriptor Vitae memorati Stephani PP. Romanus erat, & aequalis; utebaturque verbis & Romae, & Apoſtolicae ſedi, curiaeque conſuetis; at ibi nunquam in uſu fuit uſurpare *conſecrationis* nomen pro reconciliatione, ac reſtauratione; ſed pro ſolita, propriaque Cleri ordinatione, & conſecratione; igitur & Autorem illum eo modo intelligendum eſſe pronuncio; maxime cum ea ipſa voce utatur, quando de Conſtantini *ordinatione* ab Epiſcopo Georgio facta verba miſcet: & minus apte egiſſet, ſi duo facta diverſa uno verbo legenti propoſuiſſet; ſi ambiguum illud erat.

XXI. Fraſſen itaque, quod videret Baronii, aliorumque pronunciatum potius contortum eſſe, quam rectum; eo demum ſe contulit, ut aſſeri poſſe dixerit, Stephanum erraſſe *in facto*, cum exiſtimaret, *Conſtantinum* non fuiſſe verum Epiſcopum. At non unius Stephani error fuiſſet, ſed univerſi Concilii, cujus Epiſcopi Galli *in ſacris* erant *Canonibus docti, & probatiſſimi*, inquit praedictus Libri Pontificalis Autor. Poſtea factum illud cum jure conjunctum erat, intruſos, & *invaſores* ordinari non poſſe. Quapropter VVitaſſes Obj. 3. in Baronii ſententiam ivit ob duo; primum quia ſibi veriſimile non fuit, tot eruditos viros, tot Epiſcopos, ſummoſque Pontifices *a traditione* deflexiſſe: ſecundum quia qui a Conſtantino fuerant ex *Laicis* ordinati, *in habito Religioſo* permanere jubeantur: quorſum enim, inquit, iſtiuſmodi ſanctio, ſi meri Laici fuiſſent, nec ullo ordinationis charactere inſigniti? Sed horum utrumque facile confutatur: illud, eo quod Patres Concilii non ſolum a *traditione* non deflexerunt, verum etiam ſummopere eam ſervaverunt, coluerumque; quae docet, intruſos nequaquam ſacris aptos ordinationibus eſſe; ideoque eo-

rum ordinationes irritas eſſe, ac nullas, iterandaſque; & *traditione* quidem *divina*, uti prodit Johannes VIII. Epiſt. 4. ad Valvenſes, quae alias producetur: iſtud vero, quod vetus Eccleſiae mos fuit *Laicos* nonnullos poenitentiae loco in Monaſteria trudi; cum & idem Autor Vitae Stephani III. memoret *Gracilem Tribunum* Alatrinae urbis confectaneum Conſtantini *invaſoris, per quem plurima mala in Campaniae parte perpetrata ſunt, captum quasi eum in Monaſterium deportantes &c.* & *Paſſivum* Totonis Ducis fratrem *in Monaſterium S. Sylveſtri deductum* fuiſſe: ac ne plura, quae afferri poſſent, conſecter; poſt decretum *Nicolai II.* de electione Rom. Pontificis an. 1059. in Romano Concilio conditum legitur hic canon: *Si quis Laicus juramentum violando profanat, quod debet Regi, vel Domino ſuo; ejuſque Regnum doloſe, atque perverſe tractaverit; in Chriſtum Domini manum miſerit: prius ſeculum relinquat; arma deponat; & in Monaſterium eat; & ſerviat ibi cunctis diebus vitae ſuae;* quem Clemens III. Antipapa anno 1085. *Auguſtino* attribuit.

XXII. Illud hic objicienr, Concilium Stephani PP. Conſtantini Pſeudopapae *Chriſma* comprobaſſe: at Epiſcoporum ſolum, vel interdum etiam Presbyterorum eſt *Chriſma*, ſeu Confirmationis Sacramentum conferre: ergo Concilium illud Conſtantinum probavit Epiſcopum, vel etiam Presbyterum; ſi enim Presbyterum eum agnovit, agnovit & Epiſcopum: igitur ordinationes ejus ratae, ac validae fuerunt. Cui reſpondeo, id quidem ab Autore Libri Pontificalis referri, ſeu apud eundem legi; ſed per errorem, cum ſit lacinia, ac interpolatoris additamentum; ut evincitur primum ex ipſius Concilii Actis, cujus fragmentum publicavit Acher. in Spicil. to. 2., & Labbaeus ex Epiſt. 2. Ratherii Veronen. Epiſcopi in Concil. Collect. ibique legimus dixiſſe Patres Act. 3. *Sed & quae alia in ſanctis officiis idem Conſtantinus peregit, praeter tantummodo Baptiſmum, omnia iterentur:* Deinde ex Actis Concilii Sveſſionen. II. ann. 853. celebrati, quae Act. 4. de ordinatis ab Ebbone Rhemenſi Archiepiſcopo poſt ejus exauctorationem ſancitum eſſe perhibent: *ut quicquid in ordinationibus Eccleſiaſticis idem Ebbo poſt damnationem egerat, ſecundum traditionem Apoſtolicae ſedis, ut geſtis Pontificum legitur, praeter*

ſa-

ſacrum Baptiſma, quod in nomine S. Trinitatis perfectum eſt, irritum, & vacuum habeatur. In geſtis autem *Pontificum* ſubde Romanorum non alibi legitur ejuſcemodi ſanctio, quam in Vita Stephani III. al. IV., nimirum, *ut omnia, quae Conſtantinus invaſor in Eccleſiaſticis Sacramentis egit, iterarentur praeter ſacrum Baptiſma, & ſanctum Chriſma*. Cum igitur Sveſſionen. Concilii Patres, qui geſta illius Pontificis paucis ante annis legerant, nonniſi *Baptiſma* commemorent; reliquum eſt, ut *Chriſma* in Libro Pontificali memoratum ſit interpolatoris additamentum.

§. 10. *De Gislardo Nannetenſi*.

XXIII. VEterem Eccleſiae morem, legemque iterandarum eorum ordinationum, qui dignitates Eccleſiaſticas invadunt, utpote nullius valoris, oſtendit factum Actardi Namnetenſis in minori Britannia Epiſcopi, de quo Nicolaus I. Epiſt. ol. 56. nunc 22. Append. 1. ad Salomonem ejusdem Britanniae Regem in cauſſa Epiſcoporum, qui illic dignitate nudati fuerant, ſcripſit: *licet non benefaciat Actardus, quia denuo conſecrat, quos Gislardus in eo gradu dignoſcitur ordinaſſe: tamen Actardus invenitur ante Gislardum Epiſcopatus officium ſuſcepiſſe. Denique SS. Leo Papa Nomenojo ſcribens inter caetera praecipuum virum Actardum appellat... Gislardum vero tanquam praedicti Actardi ſedulum invaſorem denotat... Nam cum anteceſſores mei Praeſules ejectionem eorum Epiſcoporum, qui ab Eccleſiis ſuis expulſi ſunt; nec admiſerint, nec approbaverint; nec ipſos, qui eis ſubrogati ſunt viventibus illis, legitimos Epiſcopos dixerunt*. Quod refert & Baronius ad annum 859. n. 35. & ſeqq.

At, inquit Lupus diſſert. 2. Prooem. de *Simoniae crimine* cap. 16. & 17., ob id graviter Nicolaus culpavit Actardum. Utique eum perſtrinxit Pontifex ſed non ob iteratas Gislardi ordinationes; verum eo quod pendente lite incertum adhuc erat, an intruſus, vel legitimus Epiſcopus eſſet Gislardus; quare ſubjunxit Nicolaus: *ſtude duos Epiſcopos de expulſis, & duos de ſubrogatis... ad Apoſtolicam ſedem B. Petri tranſmittere; ubi digna examinatione praemiſſa, qui legitimi Epiſcopi*

ſint,

Digitized by Google

ſint, appareat; & ſuas Eccleſias irregulariter non amittant. Nomenojus enim Dux Britonum anno 848. quosdam Epiſcopos Simoniaca labe conſperſos, vel traductos jure ſuo privavit, depoſuitque; alios vero illis ſubſtituendos curavit; uti legere eſt Mabillon. ſec. 4 Bened. par. 2., quos inter videtur extitiſſe *Gislardus* vel intruſus, vel ſubrogatus, ut controvertebatur; non autem barbarus, ac *Semichriſtianus*, ut Lupus autumavit. Caeterum tam abeſt, ut Actardus prave ſe geſſerit, quia noverat Gislardum re vera intruſum; ut nedum non multatus, ſed exaltatus etiam inveniatur: nam anno 868. Hadrianus II. literas pro eo exaravit; & anno 871. *Archiepiſcopum Turonen.* conſtituit; cum tamen juxta can. 67. Apoſtolorum iterantes ordinationes ſacras deponi, abjicique deberent.

§. 11. *De Photio Conſtantinopolitano.*

XXIV. Sequitur & longa, & ſalebroſa de Photio CP. controverſia; de quo quoniam vivente S. Ignatio Epiſcopo CP. in illius ſedem invaſerat, & ſua Ignatium ſede pepulerat; Concilium VIII. anno 869. decrevit can. 4., *Photium contra jus, faſque praecipiti temeritate velut atrocem Lupum in gregem Chriſti inſilientem... nunquam antea Epiſcopum fuiſſe, neque nunc ulla ratione eſſe juſto decreto declaramus: nec ab illo creatos in eo Sacerdotii gradu, in quem ab eo promoti ſunt, manere*: juxta Raderi verſionem; additque altera Anaſtaſii Bibliothecarii: *omnibus maxime, quae in ipſo, & ab ipſo ad Sacerdotalis gradus acceptationem, vel damnationem acta ſunt, in irritum ductis.* Et in caſſum reſpondent, dici Photium *non Epiſcopum* juxta communem vulgi intelligentiam, qui *non Epiſcopos* appellare ſolet malos Epiſcopos. Nam Eccleſia non vulgi gloſſemata ſequitur, ſed propria: & ſi a Concilio dictus eſt etiam *non Chriſtianus*, uti & a Nicolao I. Gregorius Syracuſanus ejus ordinator, cum tamen uterque Chriſtianus eſſet; id factum eſt ob *anathema*, quo irretitus erat; ſacra enim communione privati utpote extra fidelium coetum, & quaſi extra Eccleſiam poſiti dicebantur *non Chriſtiani* ab Eccleſiaſticis viris, & ſcriptoribus; & *Chriſtianitatem* auferre erat rebus ſacris interdicere; & *Chriſtianitatem* reddere, eisdem reſtituere; uti

uti legere eſt, praeſertim Hugonem Flaviniacen. in Chron. Virdun. ad annum 1098., hic autem Photius dicitur *nulla ratione Epiſcopus*; quod eſt nullo modo, & *invalide*.

Nec etiam facit ſatis, qui reſpondet, *non Epiſcopum* dici quantum ad uſum, & exercitium; non quantum ad characterem; itidemque quantum ad uſum tantum illius omnia *irrita* declarari: quoniam iſta jam ſupra confutata leguntur; & ſummi Pontifices Nicolaus I., & Adrianus II., aliique dilucide pronunciarunt Photium nullo modo Epiſcopum extitiſſe.

XXV. Nicolaus enim I. Epiſt. 1. ait: *Photii vero conſecrationem non ſolum minime admittendam eſſe decrevimus, verum etiam Legatis noſtris, ne cum illo niſi quaſi cum Laico uſque ad notitiam noſtram communicarent, frequenti, ac omnimoda juſſione praecepimus*: unde Act. 4. Concilii VIII. Apoſtolicae ſedis Legati dixerunt: *per nullam occaſionem rationabilem demonſtrare Photius valet, quod receptus aliquando fuerit a Romana ſede; ſed ſemper inter Laicos eum computabat*; & Nicolaum Papam *nunquam Photium, & ordinationem ejus* recepiſſe. Epiſt. vero 7. idem Nicolaus in Rom. Synodo anno 863. inquit: *Photius, qui ex Schiſmaticorum, & ſe a ſanctae communionis participatione avertentium parte... Epiſcopus ordinatus eſt; & vivente, & ſuperſtite conſacerdote noſtro Ignatio S. Eccleſiae Conſtantinopolitanae Patriarcha ſedem ipſius invaſit; & ſponſam... non per oſtium, quod Chriſtus eſt, ſed aliunde ex adverſo in ovile Dominicum more furis, & latronis ingrediens, ac ſic violentus, rapax, & ſceleratus adulter irrupit; atque cum damnatis, & anathematizatis, atque cum iis, qui ne ſacerdotale officium ante audientiam praeſumerent, a praedeceſſore meo beatae memoriae Benedicto Papa fuerant obligati; quotidie, & indifferenter communicans, & converſans &c.*

Sed & Epiſt. 10. de Gregorio Syracuſano Epiſcopo damnato, atque depoſito, Photiique conſecratore habet n. 6. *Gregorius ergo, qui canonice, ac Synodice depoſitus... quemadmodum poſſet quemquam provehere, vel benedicere ratio nulla docet. Igitur nihil Photius ex Gregorio percepit; niſi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit... ſi inefficax, profecto Photio nihil praeſtans; nimirum qui vulneratum caput per illam manus impoſitionem potius habere dignoſcitur.... &*

ſicut

ſicut etiam expoſuimus; nec damnatus ſanctificare; nec depoſitus erigere, nec ligatus poteſt quemquam per impoſitionem manus provehere: impoſſibile eſt enim horum aliquid fieri: idque demonſtrat ex Nicaenis, Antiochenis, & Carthagin. Canonibus. Quibus dicendi modis uſus eſt & *Joannes VIII.* Epiſt. 223. & 260., cum ordinationem cujusdam Joſeph irritam, ac nullam edixit, iterarique mandavit; uti Cap. VII. n. 5. & 6. videbitur. *Johannes* autem & ſub Nicolao I., & tempore Concilii Rom. anno 863. contra Photium coacti Romanae Eccleſiae *Archidiaconus* erat; unde formulam dicendi accepit, didicitque morem Eccleſiae nullas declarandi, ac iterandi intruſorum, ac *invaſorum*, ſimiliumque pravorum ordinationes.

XXVI. Adrianus etiam II. Epiſt. ad Baſilium Imp. pro Oecumenico Concilio, lapſiſque in ſuis gradibus recipiendis, ac diſpenſandis ſcribentem anno 869. reſpondit, id ſe facturum *temporum neceſſitati conſulendo... Photii dumtaxat ordinationem ab hujus moderamine pietatis interim prorſus excipientes, eamque paſſim & praeter examen nullatenus admittentes. Dicit enim altiſſima Eccleſiae tuba ſanctus videlicet ſedis Apoſtolicae Papa Leo... cum ſaepe quaeſtio de male accepto honore naſcatur; quis ambigat nequaquam iſtis eſſe tribuendum, quod non docetur fuiſſe collatum? Neque enim inter Photium moechum, & Maximum Cynicum a Synodo ſecunda damnatum; vel inter ordinationes hujus, ac illius diſtinctionis aliquid eſſe conjicimus. Atque ideo pari fine conſtringi debere videtur, qui par habuiſſe cum eo principium modis omnibus comprobatur. Sic quidem & juxta quod praefatus magniloquus Pontifex univerſis per Caeſarien. Mauritaniam conſtitutis Epiſcopis ſcribit... nec putandus honor ille legitimus, qui fuerit contra Divinae legis praecepta collatus*: quo loco loquitur Leo M. de *Digamis*, quos vidimus, nequaquam ſacrorum Ordinum dignitatibus idoneos judicari, ſed prorſus ab illis excludi. Et Epiſt. ad Ignatium CP. Epiſcopum Act. 3. Synodi memoratae relata ſcribit: *quos idem Photius in gradu quolibet ordinaſſe putatus eſt, ab Epiſcoporum numero, vel dignitate, quam uſurpative, ac ficte dedit, merito ſequeſtrantes..... quia Photius Maximo, & ordinatio ejus, vel potius execratio iſtius ordinationi pene in cunctis videtur eſſe ſimillima... quia Photius vir forenſis, curialis, neophytus, invaſor, at-*

atque adulter, nec non & anathemate condemnatus exiſtens nihil habuit praeter damnationem, quam ſe ſequentibus propinaverit… ab anathematizato, & damnato per impoſitionem manus non lucrum; ſed vulnus in capite ſuſceperunt. Quae dici ſolent de iis ſolummodo, qui poteſtatem ordinandi non habent.

XXVII. Stephanus vero V. al. VI. Epiſt. ad Baſilium Imp. anno 885. ſcripta dicit: *Peto a te, cuinam ſcriberet Romanorum Eccleſia? Laico ſcilicet Photio? ſi enim haberes Patriarcham, frequentius noſtra Eccleſia illum literis viſitaret. Sed hei mihi, quod iſta glorioſa, & a Deo cuſtodita Civitas Conſtantinopolis Paſtoris ſolatio eſt orbata*: & in alia ad Epiſcopos, & Clericos Orientis inſequenti anno data repetit: *praedictus itaque Photius laicus homo, ſi regiam viam ambulaſſet, & decretis SS. Patrum inhaeſiſſet; ad tantam inſaniam nunquam deveniſſet*. Similiter ejus ſucceſſor Formoſus PP. Epiſt. ad Stylianum Neocaeſarien. Epiſcopum, ut volunt, anno 891. ſcripſit: *Petis miſericordiam; & non ſcribis, quomodo ſit exhibenda; neque cui, ſeculari videlicet, vel Sacerdoti. Si enim ſecularem dixeris, venia dignus is erit tanquam a ſeculari dignitatem adeptus; ſi vero Sacerdotem dicas; non adhibes mentem, quod dignitatem praebere non potuit, qui dignitatem non habebat. Nihil potuit dare Photius praeter damnationem, quam habuit per impoſitionem obliquae manus, & damnationem praebuit. Quomodo dignitatem potuit accipere, qui particeps factus eſt condemnato?… numquid poteſt ficus uvam producere; vel vitis ficus?… Cum iis vero, qui a Photio fuerunt ordinati, miſericorditer nos gerentes… iſtis enim & a nobis, & a reverentia tua in communionem fidelium receptis ut Laicis ſcandalum delebitur*.

Stylianus autem cum aliis ex Oriente ſcripſerat jam antea ad Stephanum V. *Qui Photium ſponte renunciaſſe dignitatem ſcripſerunt; illi ipſi Photium ut Sacerdotem receperunt. Nos autem nullum in Photio agnoſcentes veſtigium Sacerdotii juxta legitimam, & canonicam ſententiam aeternorum, & BB. Pontificum Nicolai, Adriani; ſicut etiam ſancta, & generalis Synodus Conſtantinopoli congregata Legatis Apoſtolicae ſedis, & trium ſedium Orientalium promulgavit; quomodo potuimus in hunc modum damnatum tanquam ſponte abdicatum ſcribere?*

XXVIII. Quae

Digitized by Google

XXVIII. Quae ſenſa, dictaque & multa, & maxime dilucida, magneque autoritatis, video ſudare Witaſſe Obj. 4. jamdudum laborantem, quomodo interpretari valeat; quae quia ita vere non poſſunt, depravari neceſſe eſt. Et primum ait, dictum Photium *Laicum* quantum ad jura, dignitatem, & officium, non quantum ad characterem: quo nihil falſius; nam ſi fateris, eum cum charactere Ordinis *poteſtatem* habere; dignitatem quoque, jura, ac officium habere eum fatearis oportet; quoniam cuncta haec poteſtatem Ordinis neceſſario conſequuntur: non enim quia iſtis *illicite* quis utitur, ideo *valide* non utitur; quod ſi valide, ergo verus eſt Epiſcopus, & nunquam dici poteſt *Laicus*: quemadmodum *Schiſmaticus*, ſuſpenſus, irregularis, communione privatus &c. Epiſcopus *illicite* uſum ſacrorum Ordinum habere dignoſcitur; nec tamen *Laicus* unquam ab Eccleſia dictus invenitur. At Photius, inquit, ejuſque ſectarii *deponuntur*, ſeu deponi jubentur; qui vero *Laici* ſunt, deponi nequeunt; igitur characterem habent, ſuntque ex ordine Cleri. Verumtamen non a legitimo, veroque honore, atque officio deponi dicuntur; ſed ab uſurpato, falſoque; cum id affirmetur & de Laicis, iiſque, qui *invalide* ordinati noſcuntur; ut alio loco ex Conciliis oſtendetur. Tandem cum inſtat, Epiſcopos ſuo de gradu motos olim ad *laicam* fuiſſe communionem redactos, nec tamen *characterem* amiſiſſe. Cedo; ſed & illud aſſevero, amiſiſſe eos *poteſtatem* Ordinis, atque adeo ipſum Ordinem; ob idque *Laicos* effectos, & nuncupatos fuiſſe, ut alias ſuo loco videbitur ex SS. Patribus, & Conciliis; cum *character*, ut Cap. 1. dictum eſt, non praeſtet dignitatem; ſed vel praeſentis, vel futurae, aut praeteritae ſignum exiſtat dignitatis.

XXIX. Et quum Nicolaus I. ſcripſit, Gregorium *nihil* Photio dediſſe, quia *nihil habuit*: non dubitat VVitaſſe aſſerere, inde ſatis patere Photium a Gregorio accepiſſe, quod Gregorius habuit; hic autem utpote in Eccleſia ordinatus *characterem* habuit; ergo characterem dedit. Sed non vidit vir doctus; Gregorium, tametſi characterem habebat, *poteſtatem* tamen, ſine qua Ordo conferri non poteſt, non habuiſſe; quamobrem cum ordinem dare nequiverit, nec characterem dedit: qui vero poteſtatem non habet, nihil habere dicitur; cum

cum *character* non ſit niſi ſignum, & figura, ac velut umbra Ordinis, ut & qui ſignum, ac figuram, umbramque hominis habet, nihil hominis habere dicimus: quemadmodum enim veſtigium hominis non eſt homo, ita veſtigium Ordinis non eſt ordo, quod ſi non ordo, igitur neque *poteſtas* ejus, quam dixi naturam Ordinis eſſe.

Similiter quum reſpondet, Stylianum, & alios *nullum* in Photio agnoviſſe *veſtigium Sacerdotii ſecundum Canones, & Eccleſiae diſciplinam*, quae nullum in intruſis, *& invaſoribus* vel minimum ordinationis jus admittit: non autem *ſecundum divinam inſtitutionem*, quod ad ipſum characterem attinet: ſecum pugnantia dicit, & prorſus falſa; non enim Canones, & Eccleſiae diſciplina divinae inſtitutioni refragantur: & ſi non diffiteris, Eccleſiam nullum in intruſis, & invaſoribus *ordinationis jus* admittere, quod quidem verum; cur igitur in iisdem *poteſtatem* admittis ordinandi, & quidem *valide?* an non Chriſtus Deus Eccleſiae ſuae poteſtatem omnem contulit maxime in Oecumenicis Conciliis, in quibus Canones conduntur; & ubi dicitur: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis?* haec igitur intruſos, & *invaſores* ad Ordines ſacros minime aptos eſſe decrevit. Sed & eandem inſtitutioni Divinae prorſus hac in re conſentanea tradere, docet Johannes VIII. Epiſt. 4. ad Valvenſes de quodam illorum Eccleſiae *Invaſore*, vivente adhuc Arnulpho eorum Epiſcopo, ſcribens: *quod tantum fieri prohibemus, tantumque deteſtantes abominamur; quantum contra canonicae autoritatis cenſuram, & contra Divinae legis traditionem, veterum Patrum exempla tale quid attentari cognoſcimus; ut vivente uno Epiſcopo, ac ſuperſtite conſiſtente, alter vel non petitus, vel qui peti non poteſt, nec etiam debet, ſedem viventis invadat; & hanc vel ſine noſtro conſultu, ut ita dixerim, expetat:* nec diſſimilia protulit Victor III. anno 1087. in Beneventano Concilio contra Guibertum Antipapam.

XXX. Ad illud vero Adriani II., *quos idem Photius in gradu quolibet ordinaſſe putatus eſt, ab Epiſcoporum numero, vel dignitate, quam uſurpative, ac ficte dedit &c.*, reſpondet ille idem, quem dixi, ut ſemper ſolet, a Pontifice dici ordinationem *putativam*, & *fictitiam* quantum ad honorem, & dignitatem, non quantum ad characterem. Verum id quoque ſem-

ſemper cum errore dicitur: nam ſi Photii ordinatio fuit *rata*, & *valida*; igitur non ſolum characterem, ſed etiam honorem contulit, & dignitatem; quia contulit ordinem, & ordinis poteſtatem: non ſtat autem ordo ſacer ſine honore, ac dignitate; quantumvis *illicita* ſit ordinatio. Deinde ſi quum Concilium can. 4. ſanxit, *Eccleſias, quas, ut putatur, tam Photius, quam alii ... dedicarunt ... rurſus dedicari;* ſenſit Photium, & alios poteſtate dedicandarum Eccleſiarum, quae eſt poteſtas Ordinis, caruiſſe; igitur & quum Hadrianus dixit, Photium *putaſſe* quosdam a ſe ordinatos, ſenſit eum ordinandi poteſtate caruiſſe: ſicut & in memorata Epiſtola idem Hadrianus Ignatii *depoſitionem putativam* dixit, quam conſtat nullam, & invalidam fuiſſe; quare ergo & de *ordinatione putativa* non idem dicetur? Tandem cum Nicaetas in Vita Patriarchae Ignatii ſcribat: *Photius in primis hoc agebat, ut ordinationes Patriarchae Ignatii tranſmutaret; atque ab eo damnatos ſedibus reſtitueret. Sed cum Imperatori non probaretur; videte, quid tentavit: conſecratos a S. Ignatio reſecrare conatur: quod cum aeque parum ſuccederet; omneſque indigniſſime ferrent, atque execrarentur; ne ita quidem defecit iniquitas &c.* VVitaſſe reſpondet Inſt. 11. ex hoc illud haberi, *iteratas ordinationes* velut graviſſimum ſcelus apud omnes tunc habitas fuiſſe. Sed longe a ſcopo ſcriptoris aberrat: non enim Imperator, aliique iteratas improbabant ordinationes, ſed ordinationum verarum abolitionem, ſeu inficiationem; cum id eo conaretur Photius, ut, oſtenderet *Ignatium* jure, ac merito depoſitum olim fuiſſe ceu CP. ſedis *invaſorem*, ideoque ejus ordinationes uti nullas iterandas eſſe: quod omnes improbarunt, execratique ſunt; utpote qui eum non ſolum Antiſtitem verum reputabant; ſed etiam ſanctum, miraculiſque clarum venerabantur.

XXXI. Ad haec accedit, idem Concilium VIII. verſionis Anaſtaſii Biblioth. can. 4. habere: *Sed & Eccleſias, quas, ut putatur, tam Photius, quam ii, qui ab ipſo conſecrati ſunt, dedicaverunt; vel ſi commotas menſas ſtabilierunt, rurſus dedicari, & inthronizari, atque ſtabiliri decernimus.* Quibus innuitur, Photium, ejuſque gregales dedicandarum Eccleſiarum poteſtatem non habuiſſe; ideoque Epiſcopos non fuiſſe; cum Ordi-

dinis Epiſcopalis ſit tam ordinatio Cleri, quam dedicatio Eccleſiae. Attamen VVitaſſe Inſt. 13. ac Tournely reſpondent, *Eccleſiarum ordinationem* eſſe juris Eccleſiaſtici, & ad ſolam ſpectare diſciplinam; unde quando contra Canones peracta eſt, iterari poſſe, ac debere: non ita de *ordinatione;* idque accepiſſe videntur vel a Martino Pereſio de Divinis Tradition. par. 3. Conſid. 4., vel a Vaſquezio in 3. par. S. Tho. to. 3. diſp. 236. cap. 10. Quod plane falſum affirmo: cum Hiſpalenſis II. Synodus anno circiter 619. a S. Iſidoro coacta cap. 7. dicat: *In Divinis enim literis praecipiente Domino* (Exo. 40., & Num. 7.) *ſolus Moyſes in tabernaculo Dei erexit Altare; ſolus ipſe unxit; utique quia ſummus Sacerdos Dei erat; ſicut ſcriptum eſt: Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus*: (Pſ. 98.) & Toletanum Concilium VIII. anno 653. factum can. 7. habeat: *Noſſe nos convenit, quod Epiſcopalis eminentiae Divina autoritas non immerito ſacris omnibus eſſe ſumma percenſuit, prae caeteris Sacerdotibus exercenda probibuit... ſcilicet Templorum Dei ſacrationem, Chriſmatis benedictionem, ſacrorum Ordinum inſtitutionem; quae tam divinaliter ordinata perſiſtunt, quam excellentiſſime conferuntur... nequaquam ergo aliquando poterit profanari, quod Divina juſſione, ſimulque Apoſtolicae traditionis autoritate ſacrum noſcitur extitiſſe*: ac Innocentius III. c. *Cum veniſſet* de ſacra unctione ſcribat: *ungitur praeterea ſecundum Eccleſiaſticum morem, cum conſecratur Altare; cum dedicatur Templum; cum benedicitur Calix non ſolum ex mandato legis Divinae, verum etiam exemplo B. Sylveſtri &c.*, nec non Epiſt. 124. lib. 11. Abbati, ac Monaſterio Foſſae novae data: *ſi olim in veteri Teſtamento Altaris conſecratio celebris babebatur; quanto magis nunc in novo debet ſolemnis baberi &c.* Quocirca Gregorius IX. c. *Aqua per Epiſcopum* de Conſecratione reſcripſit, *conſecrationes, & reconciliationes Altarium* ſpectare ad Epiſcopum, atque *Ordinis* Epiſcopalis eſſe; & idcirco Presbyteris committi non poſſe: tribuſque tantum ex cauſis iterari debere earum conſecrationem edocet c. *Eccleſiis* diſt. 68., & diſt. 1. de Conſecrat., uti Cap. VIII. n. 22. videbitur.

XXXII. His noſtris nihilominus objiciunt, poſt obitum Patriarchae Ignatii *Photium*, ejuſque aſſeclas ab eo ſacris Ordinibus admotos, & ordinatos ab Johanne VIII., conſentien-

tibus Alexandrina, Antiochena, Hieroſolymitana, caeteriſque fere omnibus Orientis ſedibus, *citra novam ordinationem* in priſtinas, ſeu invaſas Eccleſias receptos fuiſſe: igitur, inquiunt, antea vere, & valide ordinati illi fuerant. Reſpondetur, ob id ipſum etiam ortum eſſe grave illud, ac diuturnum *Schiſma* non modo inter Graecos, & Latinos, ſed & inter Graecos, & Graecos, interque ipſos Romanae Eccleſiae Antiſtites: mortuo *Johanne VIII.*, nemo Rom. Pontificum *Photii* nomen, ejuſque ordinationes admiſit uſque ad Stephanum VI. al VII., quo ſedente anno 896. Antonius Caulea Patriarcha CP. Leonis Sapientis Aug. juſſu *in unum coegit Orientalia, & Occidentalia, ut vetus Eccleſiae ulcus, ſeu ſchiſma ad cicatricem* deduceret, inquit Nicephorus Philoſophus in Oratione pro morte ejusdem Patr. Antonii habita: & exinde *Stephanum* hunc Photium recepiſſe colligitur ex Epiſt. 2. Johannis IX. PP. ad Stylianum, ut volunt, edita anno circiter 899., & ex eo quod *Chriſtophorus* Papa anno 903. Synodicam Epiſt., ſive fidei profeſſionem de more Conſtantinopolim tranſmiſerit; ut refert vetus Autor Graecus apud Baronium ad ann. 883. n. 35. Et quae in contrarium habet Autor *Breviarii Synodi VIII.*, parvifacienda ſunt, utpote Scriptoris, qui mihi neque Graecus eſt, neque vetuſtus, & parum ſibi conſtans, aut plane interpolatus.

XXXIII. Caeterum Photius, quod eſſet vir doctus, eruditus, eloquens, unaque veterator, plurimis perſuaſerat, Ignatium prave, & contra Canones Eccleſiae promotum, intruſumque fuiſſe; ſparſerat & in vulgus, eum Patriarchatui ſponte ſua nuntium remiſiſſe; ſe vero invitum onus illud ſubire coactum: quapropter nil mirum, ſi univerſo propemodum Orienti, & pluribus in Occidente impoſuit, circumvenitque; ut eum rite promotum, ac valide ordinatum arbitrarentur. Quo facto ſi error communis cum titulo juxta *Moralis* Theologiae placitum *jurisdictionis* poteſtatem tribuit; cur non idem error *Ordinis* poteſtatem praeſtabit? Praeſertim cum Johannes VIII. Epiſt. 199. ad Impp. reſcripſerit, ſe ad Photium, ejuſque ordinationes admittendas adduci *illa poteſtate* fultum, *quam Eccleſia toto Orbe diffuſa credit nobis in ipſo Apoſtolorum Principe a Chriſto Deo noſtro conceſſam, eodem Salvatore B. Petro Apoſtolo prae caeteris ſpecialiter delegante: tibi dabo claves Regni Coelorum, & quae-*

& quaecunque ligaveris ſuper terram &c., idque *neceſſitatis, ac pacis conſulendae cauſa;* ſine qua talium hominum ordinationes irritas eſſe, ac inanes docuit ipſe Papa Johannes paulo ante relatus n. 25. & 29., ut hic omittam ea, quae dicentur Cap. VI. n. 16.

XXXIV. Poſtremo quod affert VVitaſſe de *Stephano* Leonis Imp. fratre a Photio in *Diaconum* ordinato, & in Photii locum anno 886. ex Stephani V. Papae *diſpenſatione* ſubſtituto, negotii nihil nobis faceſſit: deſumtum eſt enim id ex Autore *Additionis* ad Epiſtolam Styliani, & aliorum apud Baronium ad ann. praedictum 886. n. 16., & ex ipſo Baronio n. 15., ſed utrobique cum errore; quandoquidem neque ea in Epiſtola, quae Stephano Papae ſcripta eſt, ulla fit Stephani *Diaconi* mentio; neque Papa Stephanus *diſpenſationem* conceſſit; ſed reſcripſit, mittendos prius utriuſque partis Epiſcopos ad literarum veritatem plenius cognoſcendam, quam quicquam decerneretur: & ſane in aliis literis ſub ann. 889. relatis idem Stylianus, ejuſque ſocii Orientales iterum a Stephano Papa *diſpenſationem* efflagitarunt; & tamen anno 886. Stephanus Imperatoris Leonis frater a Theophane Heracleae Metropolita ordinatus fuerat, teſte Leone Grammatico. Deinde Scholiaſtes Epiſtolae Styliani non ait, *diſpenſationem* pro Stephano Leonis Aug. fratre petitam fuiſſe, qua ad Cathedram Conſtantinopolitanam promoveri poſſet; ſed jam promotum, & Patriarcham fuiſſe ponit eum; quum Leonem Auguſtum referat depoſuiſſe *invaſorem* Photium, fratremque ſuum Stephanum illi ſubſtituiſſe: mox advocato Styliano Neocaeſarien. Epiſcopo, aliiſque multis ſuaſiſſe eis, *ut communicarent cum fratre ſuo, & fieret unum ovile*; ſchiſmaque tolleretur: quod ſi renuerent cum illo communicare utpote a Photio in Diaconum ordinato; ſcriberent *Romam ad Pontificem, ut diſpenſet abſolutionem anathematis iis, qui a Photio fuerant ordinati.* De qua re tamen, de qua, quae dicerem, plura habeo, quae non ſunt hujus loci; ad alium locum, & tempus, ſiquidem erit, reſervanda puto.

Digitized by Google

§. 12. *De Leone VIII.*

XXXV. Supereſt nunc illud Johannis XII., ejuſque Concilii Romani anno 964. contra Leonem VIII., ut aeſtimant, Romanae ſedis *invaſorem;* in quo Act. 3. habetur: *Eos vero, quos ipſe Leo neophytus, & invaſor ſanctae Catholicae, & Apoſtolicae Romanae Eccleſiae in quolibet Eccleſiaſtico Ordine provexit; Apoſtolica, atque canonica autoritate, & Synodali decreto in priſtinum revocamus gradum; quia ordinator eorum nihil ſibi habuit, nihil illis dedit. Sicuti olim noſter praedeceſſor piae memoriae Papa Stephanus ſententiam tulit de iis, qui ordinati fuerant a Conſtantino quodam neophyto, & invaſore S. Sedis Apoſtolicae; & poſtmodum quoſdam eorum ſibi placabiles Presbyteros, aut Diaconos conſecravit &c.* Cui perpetuum illud unicum, ſed falſum, ac deploratum adhibent reſponſum; nihil ſibi Leonem habuiſſe, nihilque aliis dediſſe quantum ad honorem, dignitatem, & legitimum poteſtatis uſum; non autem quantum ad characterem: additque VVitaſſes Obj. 6., qui ſemper aliquid novi prae caeteris excogitaſſe ſe putat; id duci ex illis ejusdem Concilii verbis Act. I. *ſic eos exutos privavit honore, quem dederat eis ipſe invaſor, & neophytus, atque curialis; & revocavit eos in priſtinum gradum*: cum prius Concilium edixiſſet: *priventur honore, quem dederat illis*: ideoque, ſubdit, de *honore*, non de *charactere* intelligenda ſunt iſta. Verum enim ſi Concilium dixit: *priventur honore, quem dederat eis*: quomodo quum poſtea prolatum eſt: *nihil habuit, nihil dedit*: intelligi poteſt de *honore*, quem dediſſe fatetur? Cum igitur Leo honorem verum, quem non habebat, non dederit; ita nec characterem dedit; ſed Pontifex Johannes privavit ab illo ordinatos honore falſo, ac uſurpato, quem ſolum habebat, dederatque ordinator. Nam quid eſt honor, ac dignitas in hac re, niſi *Ordo?* nihil igitur honoris, & dignitatis Leo habuit, & nihil dedit; quia *Ordinem* non habuit, & ſine ordine character non confertur, ut dictum eſt ſupra: nihil autem Ordinis habuiſſe dici nequit, ſemel ac admittis eum *valide* ordinare poſſe: non enim *uſus* Ordinis facit Epiſcopum, ſed Ordinis *poteſtas*. Amplius ſi Johannes XII. Stephani Papae fa-

factum, & exemplum de *Conſtantino invaſore* ſequi ſe profitetur: viſum eſt autem n. 16. & ſeqq. illius ordinationes nullas declaratas fuiſſe, ac iteratas: igitur itidem dicendum erit & de iſtis. Atque id quidem, ut oſtendatur, morem Eccleſiae ſemper fuiſſe ordinationes intruſorum, ac *invaſorum* irritas, nullaſque pronunciandi: nam de facto *Johannis XII.*, ejuſque an Concilio, an Conciliabulo alia quaeſtio eſt alias mihi pertractanda, ac ventilanda.

§. 13. *De aliis intruſis*.

XXXVI. PRaeterea & nullam fuiſſe ordinationem *Guadardi* in Epiſcopum Auſonenſem promoti declaravit Romanum Concilium anno 998. a Gregorio V. celebratum, & a Baluzio publici juris factum Miſcell. to. 7., iccirco quod vivente Frujano Epiſcopo, & ſedem illam invaſerat, & ab Oddone Narbonenſi Metropolitano non ſuo fuerat conſecratus: unde Concilium inquit: *tunc nos caepimus perquirere ſanctos Canones, & recitando invenimus Capitula a S. Nicaeno Concilio conſtituta non debere uſurpari alicui Epiſcopatum Epiſcopo vivente; nec ab alio Metropolitano niſi Dioeceſano ordinari; etiamſi talem Clerus, & plebs eligerent; ſed hujus rei factorem ſecundum ſuam profeſſionem, & Canonicam, & Apoſtolicam autoritatem debere deponi &c.* ſi tamen quid certi continet haec Synodus. Itaque ad certiora deſcendens referam, *Guibertum* Ravennatem Antiſtitem anno 1080. ſedente S. Gregorio VII. Romanam ſedem invaſiſſe; de eoque Victor III. in Beneventi Concilio anno 1087. inter alia dixit: *Apoſtolicae ſedis invaſor effectus eſt contra praecepta Evangelica, contra Prophetarum, Apoſtolorumque decreta, contra Canonum, & Romanorum Pontificum | jura, nullo Cardinalium Epiſcoporum praecedente judicio, nullo Romani Cleri approbante ſuffragio, nullo devoti populi requiſito conſenſu in S. Romana Eccleſia totius nequitiae, ac perditionis caput effectus eſt*. Et erunt ratae, validaeque ordinationes illius, qui contra *praecepta Evangelica*, quod eſt *Divina*, factus eſt, vel voluit fieri ſummus Pontifex? *irritas* certe illas pronunciarunt Concilia Placentinum anno 1095., & Romanum 1099. ſub Urbano II.

XXXVII. In Synodo Quintilinoburg. anno 1085. ab Ottone Oſtienſi Epiſcopo, ac ſedis Apoſtolicae Legato cum pluribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis celebrato legitur: *In eadem Synodo ordinatio Wecilonis Moguntini invaſoris, & Sigefredi Auguſtenſis, & Norberti Curienſis... penitus irritae judicatae ſunt juxta decreta SS. Patrum &c.* non quidem *irritae* dumtaxat quantum ad uſum, & ordinis exercitium, ut reſpondere ſolent; ſed *penitus* quantum ad ipſummet ordinem; ut iterari deberet, ſi quando honoribus illi digni judicarentur. Quare *Daiberti* ordinationem ab ipſo VVecilone factam idem Otto, cum jam Urbanus II. eſſet, veluti nullam iteravit ex c. *Daibertum* 1. q. 7., ut Cap. VIII. fuſius demonſtrabitur. Nullae ſimiliter ſunt dictae ordinationes & *Walonis* S. Arnulphi Abbatis in Meten. Cathedram intruſi, ut habet Chronicon Virdunenſe; & *Petri* Cardinienſis Abbatis ſub Urbano II. Compoſtellanam ſedem invadentis; ut apud Mabillon. eſt lib. 68. Annal. Bened. n. 25. Idem ſane Urbanus II. c. *Alienationes* 12. q. 2. iſta decrevit: *Alienationes omnium per intruſionem, ſeu non canonice electorum ſub Epiſcopi nomine, aut Abbatis, qui ſecundum Eccleſiae ſuae uſum conſecrandus eſt; alienationes dico quocunque modo factas; nec non & ordinationes perſonarum ab eisdem ſine communi conſenſu Clericorum Eccleſiae, ſive per ſimoniam itidem factas, irritas judicamus:* qui eſt etiam canon 22. Concilii Lateranen. I. anno 1123. ſub Calliſto II. celebrati nonnihil tamen interpolatus. Hinc Gloſſa in c. *Factus eſt* 7. q. 1. adnotat, *quod quae ab intruſo fiunt, non tenent.* Certe ſi *alienationes* intruſorum dictae ibi *irritae* fuerunt nullae, & invalidae; cur non & *ordinationes* eorundem?

XXXVIII. Patres Concilii Guaſtallenſis an. 1106. cum Paſchali II. hanc ediderunt ſanctionem c. 1. *Patrum noſtrorum exemplis, & ſcripturis inſtructi, qui diverſis temporibus Novatianos, Donatiſtas, & alios haereticos in ſuis honoribus ſuſceperunt, praefati Regni* (Theutonici) *Epiſcopos in ſchiſmate ordinatos; niſi aut invaſores, aut Simoniaci, aut criminoſi comprobentur; in officio Epiſcopali ſuſcipimus. Idipſum de Clericis cujuſcumque Ordinis conſtituimus, quos vita, ſcientiaque commendat*: tale, tantumque eſt intruſi, *invaſoriſque* crimen, ut etiam cum *Simoniaco* comparetur; quem videbimus ita ab

or-

ordinibus ſacris prohibitum, ut ejus ordinatio nulla ſemper, & invalida fuerit declarata. Omnes porro *Pſeudopapae* reipſa intruſi, & *invaſores* fuerunt, & dicuntur; in quos exſtat decretum Nicolai II. jam n. 9. recitatum; quapropter quaecunque dicta leguntur in Guibertum Raven., Burdinum, Octavianum, Guidonem, alioſque, referrenturque Cap. IX., ad hunc quoque pertinent locum. Nam & Acta Alexandri III. de illis, qui pace inter Pontificem, & Imperatorem anno 1177. compoſita ſunt Eccleſiae reconciliati, haec habent: *abſoluto autem Imperatore, ſequaces quoque ejus intruſi, & Schiſmatici ad ſinum matris Eccleſiae catervatim confluentes ... ſchiſma, haereſim, & factionem Octaviani, & Guidonis Cremenſis, & Joannis de Struma, eorumque ordinationes irritas eſſe pronunciantes ... reconciliati ſunt &c.* iterumque ordinati, ut ſuo loco videbitur.

XXXIX. Illud poſtremo occurrit, quod *Innocentius IV.* anno 1252. iis literis Raymundo de Zottonis Beneventano Electo Trivicano, nec non Capoferreo electo Beneventano datis, quas publici juris fecit Ughellus to. 8. Italiae ſacrae in Trivicanis Epiſc. n. 4., ſcripſit, mandavitque memorato Electo Beneventano, ut Johannem Archipresbyterum Beneventanum in Epiſcopum Frequentinenſem promoveret; ac munus conſecrationis ei impendi procuraret: *contrariis*, inquiens, *non obſtantibus, quod in Eccleſia Frequentina quidam laicali fultus potentia intruſus aſſeritur; & ad mandatum Beneventani Capituli ſede vacante conſecratus poſtmodum, vel potius execratus:* quod eſt non conſecratus; ſicut *excommunicatus* ille eſt, qui ſine communione eſt, & non communicatus; & *exanguis, exanimus, exarmatus, exauctoratus*, ſimileſque dicuntur ii, qui ſine ſanguine ſunt, ſine animo, ſine armis, & ſine auctoramento. Quamobrem ſi intruſus ille fuiſſet vere, & *valide* ordinatus, dici non potuiſſet *execratus* a Pontifice; qui profecto uſus eſt phraſi ſuorum anteceſſorum, univerſaeque Eccleſiae; qua qui prave, invalideque ordinantur, appellare conſuevit *execratos*: unde ſupra n. 13. vidimus junioris *Dioſcori* ſimilem hujus ordinationem iteratam fuiſſe. Et haec ſatis eſſe crediderim ad oſtendendum intruſum, & *invaſorem* ab Eccleſia prorſus arceri, ne ſacris Ordinibus initietur: nunc ad rationes in contrarium.

§. 14. *Objectiones ex autoritatibus*.

XL. Contrariae ſententiae defenſores ut probent, *Intruſorum*, ac *Invaſorum* ordinationes eſſe veras, validaſque, utuntur exemplis, & rationibus; quae quidem aliquid veri praeſeferre videntur, ſed verum eſſe, quod vellent, non evincunt. Et primum illud adducunt *Felicis* contra Liberium Papam in Romanam Sedem intruſi a Conſtantio Imp., idque ex Auxilio Franco lib. 1. cap. 25., ac Petro Damiani Opuſc. 6. cap. 16., qui Liberium tradunt Arianae haereſi tandem ſubſcripſiſſe; tuncque Felicem teſte Baronio uti legitimum Pontificem a Romanis agnitum; Liberiique loco receptum fuiſſe; ordinationes autem utriuſque intemeratas extitiſſe.

Verum Auxilius ab aliquo vel Luciferiano, vel Feliciano ſchiſmatico ſcriptore deceptus eſt; & Petrus Damiani ab Auxilio, quem fere exſcribere ſolet; dum Liberium *haereticum*, & *apoſtatam* appellant; & per ejus tranſgreſſionem nefandiſſima ſcelera eſſe perpetrata; multitudinem Sacerdotum, & Clericorum interfectam, martyrioque coronatam; ſex inſuper annos *apoſtatam* vixiſſe conſcribunt: quae quantum a veritate diſtent, & abhorreant; Catholicorum nemo, qui ſapit, ignorat. Liberius enim etſi coactus Sirmienſem ſubſcripſit Euſebianorum formulam; conſtat tamen eum nunquam a fide Catholica excidiſſe; ideoque neque a Pontificia ſede; quemadmodum teſtatur prae caeteris S. Athanaſius Epiſt. ad Solitarios. Quo factum eſt, ut neque idem Athanaſius, neque Optatus Milevitanus, Hieronymus, Auguſtinus, aliique uſque ad 6. vel 7. Eccleſiae ſeculum *Felicem* intruſum inter Rom. Pontifices admiſerint; neque etiam hodie admittent, qui recte ſapiunt; ut ut regerant Baronius, & Bollandiani, ac ſi qui alii ſunt, qui illos ſe ſequi profiteantur.

At, inquiunt, ordinationes Felicis *irritae* non ſunt judicatae. Oſtendant ordinationes ejus receptas fuiſſe; cum ſcribat Theodoretus lib. 2. cap. 17., neminem *ex habitatoribus in Eccleſia, dum ille intus erat, ingredi* voluiſſe; & cum ſederit abſente Liberio paulo amplius anno: cum igitur nihil literis mandatum legatur de ejus ordinationibus; cumque certo conſtet, eum in-

intruſum fuiſſe, & nunquam legitimum Pontificem; quis ambigat, ejus ordinationes, ſi quas feciſſet, irritas quoque, ac nullas extitiſſe?

XLI. Alterum, quod afferunt, eſt *Anatholii* Conſtantinopolitani Epiſcopi factum itidem ex Auxilio cap. 24., & Petro Damiani cap. 17., qui volunt eum intruſum fuiſſe, ac ordinatum adhuc vivente S. Flaviano Epiſcopo CP. ab Haereticis, & tamen ejus ordinationem ne ab ipſo quidem S. Leone Papa improbatam legi. Quo in facto tamen notare eſt, *electionem* Anatholii factam fuiſſe forſan vivente S. Flaviano, ſed non *ordinationem*; cum S. Flavianus depoſitus fuerit in fine menſis Auguſti anno 449., & in exilium truſus paucis poſt diebus vivere deſierit: Leo vero M. Epiſt. 52. al. 32. ad Theodoſium Aug. data XVI. Kal. Auguſti anno 450. ſuum ad Anatholii *ordinationem* conſenſum ſuſpenderit; id quod etiam ex Autore Breviculi Hiſtoriae Eutychianorum duci videtur: nam & anno 431. depoſito in Synodo Epheſina Neſtorio, nonniſi *elapſo quatuor menſium ſpatio a depoſitione Neſtorii Maximilianus eligitur Epiſcopus*, inquit Socrates lib. 7. cap. 35. Deinde ordinatus fuit Anatholius a Schiſmaticis, haereticiſve latrocinalis Synodi Epheſinae, qui nondum *haeretici* palam declarati fuerant; nec condemnati, ac dignitate privati; ſed id tantum biennio poſt noſcitur factum in Chalcedonen. Concilio anno 451., quamobrem ejus *ordinationem* probarunt omnes etiam Catholici, & ipſe Romanus Pontifex S. Leo; cum ille nihil in fide peccaret, eodem Leone in ſua ad eum Epiſtola teſtimonium perhibente; nec unquam peccaſſet, ut Andreas Cheviller Diſſert. in Synodum Chalcedon. *de formulis fidei* ſubſcribendis oſtendit. Itaque probari certo non poteſt, Anatholium re vera intruſum, ac *invaſorem* fuiſſe; aut contra Canones ordinatum; quandoquidem S. Leo Epiſt. 54. ad Marcianum Aug. de eo ſcribit: *cum ſecundum ſuae conſecrationis auctores ejus initia titubarent*: manebant ergo, ſi titubabant ſolum.

XLII. Huic affine eſt, quod quidam objiciunt; *Maximum* anno 449. in eodem latrocinali Conc. Epheſino per depoſitionem Domni Antiocheni Epiſcopi in illius locum, & ſedem fuiſſe intruſum; & tamen ejus ordinationem Chalcedonenſe Concilium approbaſſe Act. x., ſed Queſnellus in Diſſert.

de

de cauſſa Domni Epiſcopi n. 29. & ſeqq. falſum eſſe oſtendit, Maximum ab Eutychianis ordinatum fuiſſe; cum ab illis quidem electus, & deſignatus fuerit ſucceſſor Domni jam exauctorati, conſecratus tamen ab Anatholio CP. Epiſcopo tametſi contra Canones Nicaenos, Apoſtolicos, & Conſtantinopolitanos; ut autumat Leo Magnus ad Marcianum Aug. anno 452. 11. Kal. Junii ſcribens de hac re: *neque ſibi aeſtimet* (Anatholius) *licuiſſe, quod Antiochenae Eccleſiae ſine ullo exemplo contra ſtatuta Canonum Epiſcopum ordinare praeſumpſit: quod nos amore reparandae fidei, & pacis ſtudio retractare ceſſavimus*. Non igitur *Maximus* vere intruſus fuit, ſed ſubrogatus *Domno;* qui quamquam ab Eutychianis dignitate privatus, jure tamen, ac merito privatus; proptereaquod & Theodorum Mopſveſtenum defendiſſe, & S. Cyrilli capitula impugnaſſe narratur; ideoque etiam in Concilio Chalcedonen. ejus exauctoratio confirmata fuit.

XLIII. Illud demum adducunt de *Vigilio* contra Sylverium PP. intruſo etiam ex Auxilio, Petroque Damiani memoratis, qui produnt eum pro ſummo Pontificatu invadendo Papae Bonifacio inſidias ſtruxiſſe; uti *Simoniacum*, & *invaſorem* a Sylverio anathematis vinculo obligatum Imperiali potentia, falſiſque teſtibus eundem Sylverium aggreſſum eſſe; ejuſdemque Cathedram invaſiſſe; & tamen *ordinationes* ejus in ſua ſtabilitate permanſiſſe. Quae cuncta, praeterquam de ordinationibus, ſunt ex Epiſtola Sylverii ad ipſum Vigilium deprompta, quam recitat Baronius ad ann. 539., quamque nunc omnes eruditi uti ſuppoſititiam, ac merum commentum explodunt. *Simoniacum* porro eum non fuiſſe, ſi quis demonſtrare vellet; uti nec *invaſorem*; non deeſſent, quibus tueretur, momenta: cum omnes pene ſcriptores, qui haec ipſi affixerunt, *trium Capitulorum* fautores extiterint; in eumque veluti trium Capitulorum profligatorem invehi ſtudentes & vera, & falſa congerere non dubitarunt; Autorque libri Pontificalis ex illis ipſis, ſimilibuſque noſcitur hauſiſſe, quae de eo ſcribit. Certe cum *Simoniacis*, & *Invaſoribus* ſedis praeſertim Apoſtolicae mos ſemper fuerit, & lex Eccleſiae Romanae quam maxime refragari, eoſque repellere: quo pacto de hujus intruſione, ac ſimoniae crimine nunquam Romanus Clerus quaeſtionem movit; nihil op-

oppoſuit; nec de Rom. Pontificum albo eum delere cogitavit? Quid eſt, quod huic parcere voluerit; aliis nequaquam? Vigilio igitur vel intruſo, vel ſubrogato, *Sylverius* in exilium actus ſemeſtri tantum expleto mortuus eſt; neſciturque, an interea loci fecerit Vigilius ordinationes: ejus ſane promotio, ac ordinatio omnibus probata fuit utpote ab Epiſcopis facta, qui rebantur eum jure promotum; Sylverium vero non injuria dejectum tanquam, ut jactabant, patriae proditorem; vel ut conjicit Pagius ad ann. 540. n. 5., quia videri poterat Sylverius *contra Canones* evectus, ordinatuſque; cum Autor libri Pontificalis de eo tradat: *hic levatus eſt a tyranno Theodato ſine deliberatione decreti: qui Theodatus corruptus pecuniae dato talem timorem indixit Clero, ut qui non conſentirent in ejus ordinatione, gladio punirentur &c.* Quare & hunc Baronius intruſum pronunciavit; quem paulo poſt Romanus Clerus uti legitimum receperit: id autem quomodo fieri poſſit, dictum eſt jam num. 33.

§. 15. *Objectiones ex rationibus.*

XLIV. Tandem ad rationes deſcendens Witaſſe contendit, *Intruſorum*, & *Invaſorum* ſcelus gravius non eſſe illo *Schiſmaticorum*, & *Haereticorum*: horum autem profitetur ſe probaturum validas eſſe ordinationes: ergo & illas intruſorum. Deinde ſi invalidae ſunt, inquit, ejuſmodi ordinationes; aut id ex jure Divino, vel humano: non ex Divino; cum nihil ſit neque in ſcriptura, neque in traditione, quod ipſum prodat: non etiam ex humano; cum nihil in *Sacramentis* homines poſſint: igitur nullo jure explodi poſſunt ut nullae intruſorum ordinationes.

Quorum ad primum dico, (ut ut ſit, an horum, vel illorum gravius crimen ſit; nam comparate modo haereſis, & ſchiſma; modo intruſio, ac invaſio graviora ſunt) hac in quaeſtione gravius eſſe *Intruſorum*, & *Invaſorum* ſcelus, hinc elici, quod iſtos nunquam legimus dictos eſſe Epiſcopos, ſed ſemper fures, & latrones, adulteros, moechos, ac Pſeudoepiſcopos; quum certo conſtaret, intruſos fuiſſe, ac invaſores: *Haereticos* vero, uti & *Schiſmaticos* non item, quos fere ſemper Epiſco-

ſcoporum titulo nuncupatos, etiamſi horum quoque ordinationes non ſemper ratas haberi, paulo poſt demonſtrabitur: poſtea quod Haereticos, & Schiſmaticos in ſuis honoribus ſuſcipiant Concilia, non autem intruſos, & *Invaſores;* ut liquet ex Concilio Guaſtallen. n. 38. proxime relato; praeter quamplura alia Eccleſiae monumenta, quae iſtud palam oſtendunt.

XLV. Ad alterum autem reſpondeo, & ex *Divino* jure, & ex *humano* praedictorum ordinationes prorſus invalidas eſſe; ut ex hactenus adductis autoritatibus apparet praeſertim Adriani II. Epiſt. ad Baſilium Imp., qua ſcripſit ordinationem Photii *contra divinae legis praecepta* factam, idque Magni Leonis teſtimonio; nec non Joannis VIII. Epiſt. 4. ad Valvenſes, in qua docuit, invadere ſedem viventis Epiſcopi *contra canonicae autoritatis cenſuram, & contra Divinae legis traditionem* fieri; ſeu *contra praecepta Evangelica*, ut habet Concilium Beneventanum Victoris III. Nam homines nihil in *Sacramentis* poſſe, verum eſt quantum ad eorum inſtitutionem, & deſtructionem; falſum autem quantum ad eorundem adminiſtrationem, ac diſtributionem: ſiquidem eſt ſupra jam probatum, in poteſtate Eccleſiae poſitum eſſe, eique a Deo conceſſum, hos, vel illos a ſacris penitus ordinibus arcere; alios vero nequaquam: aliquibus nonnunquam conferre, nonnunquam vero negare, vel auferre. Ut omittam ea, quae legimus c. *Inter corporalia*, c. *Quanto perſonam*, & c. *Licet in tantum* de tranſlatione Epiſcopi; nec non Epiſt. 326. lib. 1. Innocentii III. Faventino Epiſcopo, ut & Concilium Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de Matrimonio clandeſtino; quibus elucet, quantum Eccleſia, & Pontifex Romanus uti Vicarius Chriſti in *Sacramentis* valeat.

Nec finem huic Capiti faciam, quin admoneam, etiam Goffredum Vindocinenſem Abbatem ſub Paſchali II. in Tractatu *de Ordinatione Epiſcoporum, & Inveſtitura Laicorum* docuiſſe, nullam, invalidamque eſſe conſecrationem Epiſcoporum ſine recta electione; ut eſt eorum, qui aut vi occupant, aut intruduntur in Eccleſiarum adminiſtrationem.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Excommunicatorum, & Anathematizatorum ordinationibus.

I. QUod olim primis Eccleſiae ſeculis dicebatur aliquem *abſtinere*, ac de Eccleſia *ejicere*, & *ſegregare*, quarto exeunte ſeculo dici coepit *excommunicare*; voce quidem minus latina, ſed a latinis diligenter ducta, & exemplo quorundam verborum; ut ab *auguro* exauguro; ab *auctoro* exauctoro, ab *armo* exarmo &c., ita a *communico* excommunico factum eſt. Quam vocem eo magis retinere decet, quod & vetuſtiſſimam, uſitatiſſimamque in Eccleſia reperimus; & eam Eccleſiae poenam exprimat, quam non alia tam commode forſan explicare valeat. Illam legimus ab Afris uſurpatam in Concilio Carthagin. ſub Genethlio Epiſcopo anno 390. c. 8., mox a S. Auguſtino pluribus in locis; poſtea ab aliis quam ſaepiſſime. Sunt, qui voce Graeca *anathematizare* magis delectentur, ac utantur, ſed non ſemper apte: quamquam enim qui excommunicatus eſt, anathemate quoque ictus vulgo nunc cenſeatur, ac dici ſoleat; non parum tamen inter ſe diſcriminantur juxta veterem Eccleſiae morem; nam ille ab hominibus, iſte vero etiam a Deo ſegregatus aſſeritur: ſic in Symmachi Papae Romana Synodo v. dicitur: *Si quis haec, quae hodie in hac Synodo prohibita ſunt, infringere praeſumpſerit . . . ſi vero Monachus, aut Laicus fuerit, communione privetur: & ſi non emendaverit vitium, anathemate feriatur*: & S. Gregorius M. Epiſt. 34. lib. 2. Januario Calaritano Epiſcopo ſcribens eum redarguit, quod quendam Iſidorum & *excommunicatum, & anathematizatum* eſſe voluerit. Hinc *anathema nihil aliud eſt, niſi ſeparatio a Deo;* inquit VII. Synodus Oecumenica Act. 7., & Concilium Turonen. II. anno 567. c. 24. habet: *ut non ſolum excommunicatus, ſed etiam anathematizatus moriatur, & caeleſti gladio feriatur*: quemadmodum & Leonis IV. Romanum Concilium an. 853., & clarius Johannes VIII. c. *Engeltrudam* 3. q. 5. cuidam Epiſcopo per literas ſignificat: *Engeltrudam uxorem Buſonis noveris*

Digitized by Google

ris non ſolum excommunicatione, quae a fraterna ſocietate ſeparat; ſed etiam anathemate, quod ab ipſo Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, recidit, crebro percuſſam eſſe: plus igitur eſt anathemate, quam excommunicatione ictum iri.

II. Huc plane ſpectare videtur, quod perhibet Urbanus II. c. *Notandum eſt* 24. q. 3., dum ait: *unde apparet liquido, aliud eſſe excommunicationem; aliud eradicationem: qui enim excommunicatur, ut Apoſtolus ait, ad hoc excommunicatur, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini: diſciplina enim eſt excommunicatio, & non eradicatio*: & Innocentius IV. in Lugdunenſi Concilio anno 1245. inquiens: *Cum excommunicatio ſit medicinalis, non mortalis; diſciplinans, non eradicans; dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat &c.*, eſtque c. *Cum medicinalis* in 6. de ſententia excommunicationis. Paſchalis item II. Epiſt. 12. ad Gebeardum Conſtantienſem, & Odoricum Patavienſem Epiſcopos ſcribit, docetque non quoslibet *excommunicatos* eſſe vitandos; ſed *ſi quis criminoſus juxta Apoſtolum vocatur, hujuſmodi omnino vitandus*; & qui voluntate, ac opere ei junguntur: caeteri non item: quibus quidem nobis indicatur ea, quae modo nuncupatur major, & minor *excommunicatio*; non autem *anathema*; quod etiam his majus eſſe ſupra dicta demonſtrant. Nam & Concilium Meldenſe anno 845. c. 56. decrevit: *Ut nemo Epiſcoporum quemlibet ſine certa, & manifeſta peccati cauſa communione privet Eccleſiaſtica: Anathema autem ſine conſenſu Archiepiſcopi, aut Coepiſcoporum praelata etiam Evangelica admonitione nulli imponat, niſi unde canonica docet auctoritas: quia anathema aeternae eſt mortis damnatio; & nonniſi pro mortali debet imponi crimine; & illi, qui aliter non potuerit corrigi*: quod habetur & c. *Nemo Epiſcoporum* 11. q. 3.

III. Proinde factum eſt, ut varia *excommunicationis*, & *anathematis* ratione ſpectata, varie etiam Autores de excommunicatorum Antiſtitum ordinationibus judicium ferrent; ut mox videbitur. Laurentius enim Abbas S. Vitoni in Belgio, qui floruit ſub Paſchali II., in Apologetica Epiſt. ad Canonicos Virdunen. apud Mabillon. in Append. to. 5. Annal. Benedict. n. 8. patere dicit, *Excommunicatorum, qui extra Eccleſiam ſunt, ſacrificia irrita* eſſe, ac *nullius omnino momenti*: Guliel-

lielmus vero Pariſienſis Epiſcopus de Sacramento Ordinis cap. 7. contrarium ſenſit hac ratione: *quia ergo ſuſpenſio, vel excommunicatio non aufert officium, nec ab illo amovet; ſed ejus executionem inhibet ad tempus, nec tollit ratihabitionem poſtea ipſius Eccleſiae; ideo nec falſos efficit Procuratores hujuſmodi; nec evacuat miniſterium ipſorum*: at Petrus Aureolus Doctor Pariſienſis, & Aquenſis Archiepiſcopus dubius videtur fuiſſe ac in hypotheſi loquutus, dum ſent. 4. d. 25. art. 1. ait: *excommunicatus etſi forte characterem reciperet; tamen gratiam, & rem ultimam Sacramenti non reciperet*; hoc eſt officium, atque miniſterium.

IV. Veteres omnes nihilominus quum *excommunicationis* poena aliquos multarent; vel *anathema* nonnullis infligerent; eos etiam & extra Eccleſiam eſſe, & veluti depoſitos, exauctoratoſque reputabant; ideoque eorum ordinationes irritas judicabant, inanes, atque invalidas: idque quidem ea, quae facile convelli non poterit, ratione. Nam ſi eum Epiſcopum, quem Eccleſia ſua privandum communione judicat, punit, privatque *communibus fidelium bonis*; non privabit eum & jure adminiſtrandorum ordinum, ſive *poteſtate* ordinis? annon inter communia fidelium bona hoc ipſum quoque connumeratur? nullum enim pro communi fidelium bono majus poſſidet Epiſcopus, quam *Ordinem*, quo dignitate pollet, ac operari *valide* poteſt: quandoquidem Epiſcopus non eſt, qui Ordinis exercitium habet; ſed qui poteſtatem; nam exercitium habere, ac uſurpare poteſt quivis etiam non Epiſcopus; ſed poteſtatem habere non poteſt niſi Epiſcopus: quoties igitur non aufertur, aut inhibetur Ordinis poteſtas; nihil magni tollitur ab Epiſcopo; ſi *valide* etiam excommunicatus ordinare poteſt. Hinc idem *extra Eccleſiam* eſſe, *ejici ab Eccleſia*, & *non Chriſtianus* appellatur: quod ſi non Chriſtianus, ſi extra Eccleſiam eſt; quam Chriſtianorum, & quam Eccleſiae poteſtatem habebit? eam, quam habet Apoſtata, & Haereticus, & ſi qui tales: at iſtos nullam ordinandi retinere poteſtatem infra demonſtrabitur; igitur nec *excommunicatus*, aut anathemate plexus: id quod magis exempla, & autoritates comprobabunt.

V. San-

V. Sanctus enim Hilarius Pictavienſis Epiſcopus lib. de Synodis ita effatur: *cogitemus tot Sacerdotes ſanctos etiam quieſcentes: quid de nobis Dominus judicabit, ſi nunc anathematizantur a nobis? quid de nobis erit, qui rem eo deducimus, ut quia Epiſcopi non fuerunt; nos quoque non coeperimus eſſe? ordinati enim ab his ſumus ſucceſſores. Renunciemus Epiſcopatui, quia officium ejus ab anathemate ſumpſerimus*: ubi perſpicue declarat, ſentire ſe, *anathemate* multatos deſinere eſſe Epiſcopos; ideoque irritas, ac nullas eos habere ordinationes: idque etiam ſenſiſſe SS. Romanae Eccleſiae Pontifices Innocentium I., Leonem Magnum, Pelagium, & Magnum Gregorium teſtantur Patres Concilii Quintilinoburgen. in Germania anno 1085. ab Ottone Epiſcopo Oſtienſi, ac S. Sedis Apoſtolicae Legato, qui poſt factus eſt ſummus Pontifex Urbanus II., celebrati; in quo *omnes ordinationes, & conſecrationes excommunicatorum penitus irritae judicatae ſunt juxta decreta SS. Patrum Innocentii, Leonis I., Pelagii, atque ejus ſucceſſoris Gregorii I.*, & quidem irritae ita, ut iterari deberent; ſi ordinatorum aliquis interdum admitteretur in prave obtentis honoribus, ut infra ſuo loco apparebit.

VI. Cum anno 431. *Neſtorius* fuerit in Epheſino Concilio condemnatus, & exauctoratus; ejuſque loco *Maximianus* ordinatus; Johannes Antiochenus Epiſcopus Neſtorio favens omnes Epheſinos Patres communione privaverat *prius, eo quod haereticis ſubſcripſerint Cyrilli Capitulis, eorumque impietatem roborare praeſumpſerint; dumque excommunicationis conculcaverunt terminum, & comminiſtrant condemnatis; & ſecundum SS. Patrum regulas per hoc ipſi quoque depoſiti ſunt; ſuſpenſiones contra nos, ſegregationeſque miſerunt ſimile aliquid facientes; velut ſi quis vinctus, & adhuc ipſis vinculis obnodatus vincientem ſe vincire conetur... quia quicunque a damnatis, atque excommunicatis ordinatus fuerit, ordinationem habet illicitam, & iniquam. Quomodo autem veniet ſpiritus gratia orantibus eis, quibus interdicta eſt Sacerdotis oratio? Hoc & olim docuimus magnificentiam veſtram; & notum facimus in praeſenti, quia nos nec iſtos eſſe ſcimus Epiſcopos; nec illum* (Maximianum CP.), *qui ab iſtis eſt factus. Nam illi quidem tranſgreſſione regulae ſub regulae facti ſunt poena: ille vero ab eis*

ni-

nihil accepit; quia nihil habebant, quod impertirentur illi, qui ſemetipſos ante privaverunt: inquit idem Johannes Antiochenus Epiſt. Praefecto miſſa, quae legitur cap. 38. Synodici adverſus Tragaediam Irenaei. Sic & Gelaſius I. Epiſt. ad Elpidium Epiſcopum c. *Sacroſancta* 1. q. 1. dixit: *quomodo ad Divini myſterii conſecrationem caeleſtis ſpiritus invocatus adveniet; ſi Sacerdos, & qui eum adeſſe deprecatur, criminoſis plenus actionibus reprobetur?* non quidem quocunque crimine; ſed eo, quod *poteſtate* privat.

VII. S. vero Gregorius Magnus Epiſt. 20. lib. 3. Maximo Salonitano ſcribit: *licet caetera cujuſpiam talia ſint vitae merita; ut nihil ſit, quod ex his Sacerdotalibus valeat ordinationibus obviare: tamen ſolius nefas ambitus ſeveriſſima Canonum diſtrictione damnatur... quam rem nos conſecrationem dicere nullo modo poſſumus, quae ab excommunicatis eſt hominibus celebrata*: Sed etiam Nicolaus I. Epiſt. 10. de Gregorio Syracuſano Epiſcopo dignitate nudato, ac omnium communione privato, Photiique CP. ordinatore pronunciavit n. 6. *& ſicut etiam expoſuimus; nec damnatus ſanctificare; nec depoſitus erigere; nec ligatus poteſt quemquam per impoſitionem manus provehere: impoſſibile eſt enim horum aliquid fieri*: idque ex Nicaenis, Antiochenis, & Carthaginienſibus Canonibus demonſtravit; convenitque cum Johanne Antiocheno proxime memorato, qui dixit: *velut ſi quis vinctus; & adhuc ipſis vinculis obnodatus vincientem ſe vincire conetur*: & Joannes Antiochenus cum Innocentio I., Nicolao I., Joanne VIII., & Urbano II., quum ſcripto tradidit: *ille ab eis nihil accepit, quia nihil habebant, quod impertirentur illi*: quod & ſenſerunt Concilia Romanum Joannis XII., & Sveſſion. anno 853. ſub Hincmaro Rhemen. Archiepiſcopo; nec non ſentiendo firmarunt.

VIII Omnium autem loco ſit una Joannis PP. VIII. autoritas, qua dilucide docetur, eorum interdum, qui communione Eccleſiae privantur, ordinationes irritas prorſus eſſe, & nullas, & invalidas ita, ut cum oporteat, ab eo iterandae dicantur. Cum enim Anſpertus Mediolanen. Archiepiſcopus ab ipſo Joanne VIII. pro ſuis criminibus in Rom. Synodo fuerit *ſacra communione privatus; illeque nihilo ſecius contra canonica ſtatuta, & contra Apoſtolicum, Synodicumque judicium agens ante audientiam, & abſolutionem miniſterium ſacrum agere; atque*

adhuc excommunicatus in Vercellenſi Eccleſia quendam Presbyterum nomine *Joſeph Epiſcopum* ordinare praeſumpſiſſet; ab eodem Pontifice tam ille, quam ab eo conſecratus eſt dignitate ſpoliatus, ac depoſitus; ut ejusdem literae produnt 222. & 223. ad Carolum Regem, & Vercellenſes exaratae, quibus Epiſcopum Conſpertum a ſe conſecratum eis mittere, quem ſuſcipiant, ſcribit, imperatque dicens: *ideo & eundem Archiepiſcopum, & hunc ipſum Joſeph invaſorem, ac praeſumptorem non intrantem per oſtium, ſed aliunde quaſi furem ingredientem in ovile Domini cum virtute ſancti Spiritus, & autoritate BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum Principum, noſtroque Apoſtolico judicio una cum Synodali coetu Reverend. Epiſcoporum omni Epiſcopali honore decrevimus eſſe privatos, & alienos ... Nam cum praedictus Anſpertus dudum Mediolanen. Archiepiſcopus eſſet regulariter excommunicatus, aliquam vel minimorum in Eccleſia Dei conſecrationem graduum facere nullo modo potuit: quia quod non habuit, dare profecto nequivit ... Jubemus etiam omnes ſcripturas, vel dationes cujuſcumque tenoris, quas fecit de Plebibus, Caſalibus, & Villis ipſius Eccleſiae Vercellenſis, nullam habere firmitatem; ſed omnia, quae fecit, eſſe judicamus vacua, & inania; quia legitimus ipſe non fuit Epiſcopus: & ideo quippiam dare non potuit: eum vero, qui ex his, quae fecit, aliquid firmum eſſe dixerit; Ananiae, & Saphirae anathemate feriendum eſſe cenſemus.* Actum autem id fuit anno 879. idibus Octobr. in *generali Synodo* ex ejusdem Pontificis Epiſt. 221., ad quam vocavit Archiepiſcopum Ravennat. cum illius Provinciae Epiſcopis, nec non & Provinciae Mediolanen. Antiſtites; quos ibi interfuiſſe colligimus ex Joannis Epiſt. 218. 220. 221., & 222., qua Pontifex Carolo Regi ſcribit, ſe Conſpertum Vercellen. Epiſcopum conſecraſſe *conſentientibus omnibus comprovincialibus Epiſcopis*: Anſpertus porro egerat & contra can. 29. Cod. Afric. ſtatuentem: *ſi excommunicatus Epiſcopus ... ante audientiam communionem praeſumpſerit; ipſe in ſe damnationis judicetur protuliſſe ſententiam*.

IX. Hujus enim Joſeph ordinationem nullam omnino fuiſſe, declarat alia ejusdem Joannis Papae Epiſt. n. 260. ad ipſum Anſpertum Archiepiſcopum opera Caroli Graſſi Imp. priſtinae dignitati reſtitutum data anno 881., qua ſuper dicti Joſeph ad *Aſtenſem* Eccleſiam promotione reſpondet ita „ Conſultationis

„ tuae

„ tuae, qua nos ſuper Joſeph nuper in Vercellenſi Eccleſia ordinati nova electione, vel ordinatione in Eccleſia Aſtenſi conſulere voluiſti, perſpectis ſuggeſtionibus, quibus ſuper hoc noſtrae autoritatis conſultum requiris; canonicum judicavimus, & noſtris tibi decretis convenienter propitia divinitate reſpondemus. Fuerat autem de illo primum, ut ipſe mecum advertis, quoddam irregulariter inſtitutum; ſed nos apud B. Petrum Apoſtolum cum S. Synodo reſidentes ſalubri potiti conſilio & animoſitatem illius correximus, & miſericordiae fomenta gratia ſancti Spiritus revelante protinus adhibuimus: ſcilicet ut eo in priſtinum ordinem reducto, ſi alium Epiſcopatum ei concedere voluiſſes; & Cleri, & populi vota hunc ſibi concorditer in Epiſcopum expeterent, & eligeretur; & ſicut qui nihil ab ordinatore prius acceperit, in Epiſcopum crearetur. Interea accidit, ut Aſtenſis Eccleſiae Rectore proprio obeunte, permiſſu Caroli glorioſi Regis idem Joſeph poſt electionem Cleri, & expetitionem populi in eadem Eccleſia deberet ordinari Epiſcopus: tua fraternitas tam noſtra abſolutione, quam etiam Regis exhortata monitionibus hoc libenter admiſit; & canonice juſſa complere conata eſt. Quod quia nunc ſententiam noſtram tu quoque ſecutus, & Regalem permiſſionem devote, ſicut condecet, es amplexatus; praefatum Joſeph *Presbyterum* ſanctae Eccleſiae Aſtenſi Epiſcopum praefeciſti; & ordinationem illius ratam haberi decernimus; & omnium ora contra hoc quoquo modo muſſitantia Apoſtolica autoritate obſtruimus: quia ſicut de irregulariter quibuslibet habitis nos ad haec corrigenda zelus juſtitiae excitat; ita de bonorum virorum laudabilibus factis gratia Divina laetificat. Nam & ſedes Apoſtolica, juxta quod S. Leo Papa ſcribit, hanc temperantiam ſervat; ut & ſeverius agat cum obduratis; & veniam cupiat praeſtare correctis: & ideo his omiſſis de praelibati Joſeph iterata creatione ſanctitas tua in nullo penitus haeſitet; quia hanc & nos approbatam admittimus; & ab omnibus admittendam eſſe mandamus: quia quod non oſtenditur factum per impoſitionem manus illius, qui tempore ſuae legationis, quod dare viſus eſt, ut ita dixerim, non habuit; ratio non ſinit, ut videatur iteratum: „ Quae autoritas deſumpta eſt ex M. Leonis Epiſt. 92.

 ad

ad Ruſticum Narbonen. Epiſcopum n. 16., uſurpavitque & Innocentius III. c. *Unico* de Clerico per ſaltum promoto, ubi P. Presbyter in Diaconum *ordinari* jubetur. Caeterum Joannes VIII. in hoc facto cernitur ſecutus Stephani PP. III., ejuſque Concilii decretum Cap. v. n. 16. productum.

X. Nil igitur mirum, ſi c. *Excommunicati* 9. q. 1. legimus: *Excommunicati illicite manus imponunt; quia poteſtatem ordinandi non habent: ubi autem illicita eſt manus impoſitio, vulnus infigitur. Unde iterari neceſſe eſt, quod minime probatur eſſe collatum.* Quo loco *illicitum* idem ſignificare ac nullum, & *invalidum*; liquet ex eo quod iterandum eſſe ſancitur. Hac ipſa ratione factum eſt, quod ſupra commemoravi de S. Herembaldo Milite, ac M. Gregorii VII. adverſus Simoniacos, Clericoſque uxoratos defenſore, de quo Arnulphus Mediolanenſis ſcriptor aequalis lib. 4. cap. 3. tradidit: *ad hoc etiam prorumpens, ut Ambroſianae conſecrationis Epiſcopos blaſphemaret aſſerens Apoſtolice excommunicatos, quorum omne reprobat officium. Unde fuit, quod... Chriſma, quod unus illorum* (Epiſcoporum excommunicatorum) *Dominicae coenae myſterio Metropolitanae direxit Eccleſiae; ſicut mos eſt deficiente Pontifice* (Mediolani); *profuſum humi coram omni populo calcibus proculcavit ſuum producens in medium;* ut & Sigebertus Gemblacenſis in Chronico ad ann. 1074. ſcripſit: *Laici Corpus Domini a Sacerdotibus conjugatis conſecratum ſaepe pedibus conculcarunt; & ſanguinem Domini voluntarie effuderunt*: eo quod damnati, Eccleſiaeque communione privati fuerant decretis potiſſimum Nicolai II., Alexandri, Victoriſque pariter II. Undenam hoc, niſi ex veteri traditione, quam in Eccleſia vigere didicerant, *Sacramenta* eorum, qui fidelium communionis ſunt expertes, velut inania, invalida, & nulla exſufflandi? Quod ipſum patravit & Theodoricus Virdun. Epiſcopus Schiſmaticus de *Chriſmate* ab Herimanno Metenſi Antiſtite Catholico confecto anno 1086., ut habet Hugo Flaviniac. in Chronico Virdunenſi: idque propterea quod uterque exiſtimabat, nullam in illis poteſtatem Ordinis ineſſe utpote extra communionem Eccleſiae locatis; ſed ille recte, hic vero perperam.

XI. Gebehardus Saliſburgen. Archiepiſcopus vir doctus, & vitae probitate clarus Epiſt. ad Herimannum, quem dixi, Metenſem Epiſcopum de VViberto Ravennate Antiſtite in Antipa-

papam ab Aretino, & Mutinenſi Epiſcopis jampridem depoſitis, & excommunicatis conſecrato ſcribit: *ergo Mutinenſis, & Aretinus Epiſcopi juxta teſtimonium SS. Papae Innocentii non benedictionem, ſed damnationem, quam habuerunt, ſuo Ravennati imponere potuerunt: nec illum in Romanum Patriarcham, ſed in perditiſſimum haereſiarcham promoverunt*: quam Epiſtolam refertur ab Hugone Flaviniac. in Chronico Virdun. Sed magis aperte in Romano Concilio IV. S. Gregorii VII. anno 1078. Martio menſe celebrato teſte eodem Chronici Virdunen. Autore ſtatutum eſt: *ordinationes illorum, qui ab excommunicatis ſunt ordinati, Sanctorum Patrum ſequentes veſtigia irritas fieri cenſuimus*. Et in magno Quintilinoburg. Concilio anno 1085. coacto ab Ottone Oſtienſi Epiſcopo, qui poſtea fuit Urbanus II., & in Germania Sedis Apoſtolicae Legato cum pluribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque ex Clero viris probatiſſimis an non decretum legimus: *omnes ordinationes, & conſecrationes excommunicatorum penitus irritae judicatae ſunt juxta decreta SS. Patrum Innocentii, Leonis I., Pelagii, atque ejus ſucceſſoris Gregorii I.?* quid eſt autem *penitus irritae*, niſi nullius momenti, nec non invalidae, ut mox videbitur?

XII. Idem Urbanus II. Epiſt. 19. ad Epiſcopum Piſtorien., & Abbatem Valliſumbroſae de quodam ita reſcripſit: *VVezilonem ... & ipſi nos pro eadem cauſſa, quia ab excommunicatis conſecratus eſt, in Synodali Concilio* (Quintilinoburg.) *excommunicavimus, condemnavimus, & ab omni Eccleſiaſtico officio ſine ſpe reſtitutionis aliqua depoſuimus*. Unde c. *Daibertum* 1. q. 1. ejuſdem *Daiberti* Diaconi ordinationem a dicto VVezilone factam Pontifex reſpondit ſe iteraſſe uti nullam, & invalidam; quod inſequenti cap. pluribus examinabitur, & declarabitur. Certe & Bertholdus Presbyter Conſtantienſis illorum temporum ſcriptor in Chronico de eodem VVezilone memoriae prodidit: *qui ipſe jamdudum anathematizatus, & ab anathematizatis electus, nihilominus etiam ab anathematizatis juxta Pelagium Papam non conſecratus, ſed execratus eſt*. Quod autem habet idem Urbanus II. Epiſt. 17. ad Pibonem Tullen. Epiſcopum in Append. n. 4. illis verbis: *Porro de Clericis, qui ab Excommunicatis Epiſcopis ſunt ordinati, necdum quidem ſententiam fiximus; quia generalis mali contagium generalis Synodi eſt cauterio comburendum*: non ever-

tunt quae hucuſque diximus: cum illa non ordinationem eorum, ſed eorum ſuſceptionem in gradibus, ac honoribus reſpiciant: ut & illa ſimillima Paſchalis II. Epiſt. 50. ad Rotardum Moguntinum Epiſcopum: *Porro Epiſcopos, qui ſub excommunicatione in eodem ſchiſmate* (VVibertino, & Henriciano) *manus impoſitionem ſuſceperant; ad Concilii ſententiam deferendos arbitramur: tantum enim tantarum perſonarum malum generali deliberatione aut curandum eſt, aut detruncandum:* praeſertim cum Paſchalis, ut ſupra retuli, Epiſt. 12. docuerit, non quoslibet *excommunicatos* eſſe vitandos, ſed *criminoſos* tantum.

XIII. S. Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, qui ſub Gregorio VII. ſanctitate non minus, quam doctrina reſplenduit, lib. 2. adverſus Guibertum Ravennatem Antipapam Sacramenta etiam *Excommunicatorum* irrita dicenda eſſe, atque nulla omnino tutatus eſt: & Laurentius Abbas S. Vitoni in Belgio, de quo jam Cap. praeſenti n. 3. dixi paullo poſt floruiſſe, annon ſcripto tradidit: *Excommunicatorum Sacramenta* prae caeteris eſſe *irrita, ac nullius omnino momenti?* Poſt iſtos extiterunt Rufinus, & Johannes Faventinus clari legum interpretes, qui apud Autorem Gloſſae ad c. *Quod ordinatio* 9. q. 1. aſſeruerunt, Epiſcopum *communione privatum*, ſi intra Eccleſiam ordinetur, ordinem recipere, ſed non executionem; *ſi autem extra Eccleſiam ordinetur; nihil conferre nec ordinem, nec executionem; cum tales nihil habeant ex c. Si quis confugerit* 1. q. 1., c. *Propter* d. 19. de Maximi Cynici CP. intruſi ordinationibus; & c. *Si quis confugerit* 1. q. 1. de Paullianis; quorum omnium *irritas* ordinationes, *invalidaſque* fuiſſe conſtat; & de quibus jam egi Cap. II. n. 42., ut omittam hoc loco Ruperti Abbatis teſtimonium Cap. VIII. n. 30. adducendum. Ordinari porro *intra Eccleſiam*, & *extra* eam eſt id, quod ex Nicolao I., & Lucio III. dicetur Cap. XII. n. 13. de crimine occulto, & notorio; nimirum de condemnatis, vel toleratis ab Eccleſia.

XIV. Innocentius quidem III. Epiſt. 381. lib. 1. Nidroſien. in Norvegia Archiepiſcopo de quibusdam ſciſcitanti tale reſponſum dedit: *Clerici autem, qui excommunicati, vel ab excommunicatis ſcienter ad Ordines ſunt promoti, debent ab Ordine ſic ſuſcepto deponi:* id quod plerumque dici ſolet de iis, qui nullam, & *invalidam* habuerunt a pravis ordinationem. Sane

c. *Cum*

c. *Cum Clericis* tit. de Ordinatis ab Epiſcopo excommunicato Gregorius IX. declaravit, *Clericos* ab Epiſcopo ſacra Communione privato *ordinatos ignoranter* per ſuos Epiſcopos *diſpenſari* poſſe, ut in ſuſceptis miniſtrarent ordinibus: quo loco Gloſſa notavit, *excommunicatum* Praeſulem ſacros conferre Ordines: explicari tamen poteſt, ac intelligi de Antiſtite excommunicato quidem, ſed tolerato, & nondum ab Eccleſia proſcripto; vel adhuc ignoto; cum dicat Pontifex *ignoranter* ordinatos, qui plane Eccleſiae adhuc Miniſtri cenſentur, & ſunt; cum nondum illis ſit Ordinis adempta poteſtas: non toleratus autem excommunicatus *invalide* confert Eccleſiaſtica beneficia ex c. *Quia diverſitatem* de Conceſſ. Praebend., & c. *Tanta eſt* de exceſſ. Praelat., ubi beneficiorum collationes pronunciantur *irritae*, & *inanes*; quare igitur & Ordines ſacros non conferet *invalide;* quemadmodum & *invalide* quoſcunque jurisdictionis actus exercere dicitur? quod enim reſpondere ſolent, & jam exploſum eſt; & magis deinceps explodetur.

XV. Nullus tamen dubito, quin *Gregorius IX.*, aliique Romani Pontifices ea, qua pollent maxima poteſtate, quiverint rem immutare, & novam ſuis ex cauſis inducere vel diſciplinam, vel legem, moremve novum. Nam quanta interdum oeconomiae praeſertim occaſione fieri contingat, & oporteat; nemo niſi rerum humanarum imperitus ignorat. Quandoquidem & Innocentius III. Epiſt. 23. lib. 11. Patriarchae Conſtantinopolitano Latino de quibusdam Epiſcopis Graecis, qui ad Latinam, Romanamque Eccleſiam converſi renuebant *inungi juxta conſuetudinem Latinorum*, reſcripſit: *quod ſi ii, qui jam conſecrati ſunt, induci nequeunt, ut recipiant unctionem; id in hac novitate ſub diſſimulatione poteris pertranſire: conſecrandos vero nullatenus conſecres niſi more Latino voluerint conſecrari*: & S. Auguſtinus Epiſt. 185. n. 44. Donatiſtis ſciſcitantibus: *ſi ergo oportet, ut nos extra Eccleſiam fuiſſe poeniteat... quomodo apud vos Clerici, vel etiam Epiſcopi permanemus?* reſpondit: *hoc non fieret; quoniam revera, quod fatendum eſt, fieri non deberet; niſi pacis ipſius compenſatione ſanaretur*: nec diverſa retulit lib. de unico Baptiſmo cap. 12. Sed & Concilium Turonenſe I. anno 461. convocatum can. 10. ita pronunciavit: *ordinationes vero illicitas in irritum devocamus, niſi ſatisfactione, quae ad pacem*

 per-

pertinent, *componantur*: igitur hypotheſi ea ſatisfactionis accedente, *ratae*, *validaeque* habebantur ordinationes.

XVI. At enim dicet aliquis: quo pacto, ſi quis non rite, *validæque* fuerit ordinatus, ea, quae ſacri ſunt ordinis, ab eo peracta ſuſcipientur? reſpondet Gloſſa ad c. *Aqua per Epiſcopum* de Conſecrat. Eccleſ., *quod per talem tolerantiam ratam habet* (Eccleſia) *talem reconciliationem; & incipit valere ex nunc, cum prima nulla fuiſſet; & ita de nihilo facit aliquid*: ubi agitur de conſecratione, & reconciliatione *Altarium*, quas Ordinis Epiſcopalis eſſe, ideoque Presbyteris committi non poſſe ſcribit *Gregorius IX.*, & tamen a Presbyteris Bracaren. Provinciae factae *miſericorditer*, inquit, *tolerantur*: ſicut & ad c. *Quanto* de translat. Epiſcopi: & ita etiam *electio*, *quae non valet*, *per ratihabitionem poteſt confirmari* ex eadem Gloſſa in c. *Quod ſicut* de electione: cum ſimus in his, quae ad morem, non ad naturam ſpectant.

Et quidem Johannes VIII. Epiſt. 199. ad Impp. CP. de *Photio* intruſo, ac exauctorato, & a ſe demum reſtituto, vel recepto teſtatus eſt, ſe id egiſſe illi *poteſtati* innixum, *quam Eccleſia toto Orbe diffuſa credit nobis in ipſo Apoſtolorum Principe a Chriſto Deo noſtro conceſſam, eodem Salvatore B. Petro Apoſtolo prae caeteris ſpecialiter delegante: tibi dabo claves Regni Coelorum; & quaecunque ligaveris ſuper terram &c.*, idque *neceſſitatis*, *ac pacis conſulendae cauſſa*. S. etiam Petrus Damiani Opuſc. 5. de *Simoniacis* a ſe Mediolani per ſolam poenitentiam in ſuis ordinibus ſuſceptis haec habet: *illi etiam ipſi*, *quibus miniſtrandi licentia redditur*, *non ex male mercata veteri ordinatione ad amiſſum reparantur officium; ſed ex illa potius B. Apoſtolorum Principis efficaciſſima autoritate, qua in B. Apollinarem repente uſus eſt dicens: ſurge, accipe ſpiritum ſanctum, ſimulque Pontificatum.* Nec enim in his valet illa juris 18. regula: *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*: ob ea, quae ad ipſam Gloſſa notavit.

CA-

CAPUT VII.

De Simoniacorum ordinationibus.

I. Dicendum eſt mihi nunc de *Simoniacis;* quorum etſi plura, variaque recenſeantur genera, variique propterea de iisdem conditi noſcantur canones; ut Lucius III. c. *De Simoniace* tit. de Simonia reſcripſerit: *De Simoniace ordinatis certum tibi non poſſumus dare reſponſum; niſi plenius cognoſcamus, qualiter fuerint ordinati: cum quidam licet ſecundum quandam ſpeciem Simoniae utpote ipſis ignorantibus ſimoniace ordinentur; quia Simoniaci non ſunt, poſſunt in ſuis ordinibus permanere &c.*, & quidam videantur Simoniaci, qui quidem non ſunt; ut c. *Etſi quaeſtiones*, & c. *Sicut tuis* tit. itidem de Simonia ex reſcriptis Alexandri III., & Innocentii III., tamen de iis, qui vere Simoniae crimine laborant, inficiunturque; veteres omnes unanimi conſenſu ſtatuerunt, eos dignitate omni Eccleſiaſtica ſpoliatos, ac exautoratos; eorumque ordinationes ob id inanes, irritas, necnon invalidas fore: ut ut oppoſitum alii cenſeant, & etiam probare conentur; ſed perſpicuae SS. Patrum, & Eccleſiae autoritates, factaque manifeſta eos omnes revincunt.

II. Et primum occurrit canon 28. al. 30. Apoſtolorum: *Si quis Epiſcopus per pecunias hanc ſit dignitatem aſſecutus; vel Presbyter, vel Diaconus; deponatur & ipſe, & qui eum ordinavit, & a communione omnino exſcindatur ut Simon Magus a me Petro*: qui quamquam depoſitionem ſolam cum excommunicatione comminatur: nihilominus tamen hic affertur, & quia ordinationem propter hoc *irritam* eſſe ſenſit Taraſius Patriarcha CP. paulopoſt recitandus; & ut omnes videant, quanti ſint ea, quae animadvertunt contrariae ſententiae vindices; ut VVitaſſe, qui ſect. 3. Prob. 1. inquit: at qui *deponitur*, gradum habeat oportet, e quo dejiciatur: nullum autem habere poteſt niſi propter *charaćterem*: ergo validae ſunt Simoniacorum ordinationes. Utique gradum habet omnis, qui deponitur; ſed non ſemper verum, & legitimum: verum habet, quiſquis vere ordinatur;

tur; falſum vero, & uſurpatum, qui falſo, & invalide ordinationem ſumit: verus per *characterem* acquiritur; falſus autem nequaquam: Nam conſtat *Paullianorum Clericos* nec vere ordinatos, nec baptizatos etiam fuiſſe; & tamen Nicaenum Concilium I. de eis ſanxit can. 19. *ſi vero examinatio eos non eſſe aptos deprehendit, deponi eos oportet*: & Hiſpalenſis Synodus II. ann. 619. can. 5. edixit *abjiciendos e gradibus ſuis* duos Clericos prave, ac *invalide ordinatos*.

III. Similiter Concilium Chalcedonenſe can. 2. ſtatuit de iſtis: *Si quis Epiſcopus propter pecunias ordinationem fecerit; & non venalem gratiam in venditionem deduxerit; & propter pecunias ordinaverit Epiſcopum, vel Chorepiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum .... de propriogradu in periculum veniat: & qui ordinatus eſt, ex ordinatione, vel promotione nihil juvetur; ſed ſit a dignitate, vel officio alienus*: hoc autem eſt, uterque deponatur; & quidem eo modo, quo ad ſuperiorem Apoſtolorum canonem eſt dictum. Quod & firmavit Synodus Conſtantinopolitana a Gennadio Epiſcopo anno 455. celebrata, necnon Gelaſius I. Papa Epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniae n. 24., Gennadius vero Presbyter Maſſilienſis lib. de Dogmat. Eccleſ. cap. 39. al. 72. aſſerit, non ordinandum *Clericum, qui per ambitionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam offert*, eo plane modo, quo nec *Bigamum*, aut non Virginis maritum, aut publicae *poenitentiae* addictum &c., at viſum eſt Cap. III., cum Bigamis diſpenſari non poſſe; eorumque ordinationes ſemper irritas, ac invalidas haberi; uti & illas poenitentiae addictorum, aliorumque quorundam priſcis ſaltem Eccleſiae ſeculis: igitur & *Simoniacorum* ordinationes juxta Gennadium irritae judicantur, & invalidae.

IV. Synodus Aurelianenſis II. anno 533., & V. anno 559. decrevit illa can. 3. & 4., iſta vero can. 10. deponendos eſſe *Simoniacos*, ut memorata Chalcedonenſis. Sed VVitaſſe advertit, abjici quidem illos, ac ab officio removeri; non tamen eas, quas contulerunt, aut ſuſceperunt ordinationes *irritas* ibi declarari: qui tamen refellitur canone 19. Concilii Bracaren. I. al II. anno 563. congregati, quo ſtatuitur, ut *Presbyter*, qui aut *Chriſma* benedicere, aut *Altarium* conſecrare praeſumpſerit, e *ſuo officio deponatur*; nulla benedictionis, aut conſecrationis iterandae mentione facta; cum tamen utraque foret *irrita*, atque nulla: necnon

ca-

canone 10. Concilii Francofordien. anno 794., quo *definitum fuit ... ut Gerbordus, qui ſe Epiſcopum dicebat, & ſuae ordinationis teſtes non habuit; qui tamen Epiſcopalia a Magenardo Metropolitano* (Rothomagenſi) *Epiſcopo conſecutus eſt; qui etiam profeſſus eſt Diaconum, & Presbyterum non ſecundum canonicam ordinationem ordinatum eſſe: ut ab eodem gradu Epiſcopatus, quem ſe habere dicebat, deponeretur a praedicto Metropolitano, ſive a Comprovincialibus Epiſcopis*: at de ordinationibus ejus utrum *irritae*, vel non; & utrum iterandae, nihil eſt definitum; quum nihilominus conſtaret, *Gerbordum* non fuiſſe certum, verumque Epiſcopum: id autem ideo quod cum nullus eſt Epiſcopus; nullae quoque ſint ordinationes ejus oportet. Inſuper Cap. II. a n. 47. ad 57. uſque retuli, plerunque eos Epiſcopos qui prave, invalideque fuerant ordinati; aut prorſus amotos, aut iterum ordinatos extitiſſe; ſed de ipſorum *ordinationibus* ne verbum quidem apud quenquam habetur.

V. Quum etiam Turonenſis Synodus II. anno 567. edixit can. 27. *Cum talis ſit, qui gratiam Dei a Sacerdote aeſtimat pretio comparari; qualis ille, qui vendit; uterque uſque ad Synodum ſegregetur*: Doctor Pariſienſis, quem dixi, inde argumentum ſumpſit probandi, ordinationes ejuſmodi *non irritas* a Synodo habitas fuiſſe: quia, inquit, ſignificat; eos, qui dumtaxat ad Synodum uſque officio interdicuntur; illico poſt Synodum ad ſolitas exercendas functiones eſſe redituros. Sed nil evincit ille; nam clarius rem ediſſerit Vermerienſis Synodus anno 753. habita, cum can. 14. dixit: *ab officio ſuſpendantur interim, quod ad Synodum exinde venerint; & ibidem ſecundum canonicam inſtitutionem accipiant ſententiam*: vel ut c. *Accuſatum* de ſimonia ex Deodato Papa habetur: *accuſatum Simoniacum neceſſe habuimus prohibere, ne Miſſarum ſolemnia celebraret; donec quid eſſet, verius conſtitiſſet*: ſic & c. *Quotiens* ibidem. Quandoquidem igitur duplici plectebatur poena plerumque Simoniacus & *depoſitione*, & *excommunicatione*; ut paulo ante adductus Apoſtolorum can. 28. docet; quarum altera ſemper infligebatur, eratque perpetua *depoſitio*; altera vero *excommunicatio* neque ſemper, neque perpetua, ſed ad tempus erat: Synodus haec de *excommunicatione* ſola loquitur; non de *depoſitione*; quae ad aliam remittebatur Synodum.

VI. Item

VI. Item quum Gregorius Magnus Epiſt. 13. lib. 3. Maximiano Syracuſano Epiſcopo per literas mandavit: *de Presbytero, qui in locum ejus ordinatus eſt ... ſi quidem ſine datione aliqua ad eundem Ordinem pervenerit, ut in Simoniacam haereſim non potuiſſet incidere; in alia quacunque vacante Eccleſia eum volumus cardinari: ſin autem in eo quidpiam, quod avertat Deus, fuerit tale repertum; ipſo etiam Presbyteratus privetur Ordine, quem non cauſa replendae neceſſitatis Eccleſiae, ſed ſola comprobatur ambitione ſuſcepiſſe*: ergo concludit VVitaſſe, judice Gregorio Simoniacus ille Presbyteratum vere ſuſcepiſſet, etiamſi ob crimen eo debuiſſet excidere; quia Gregorius ſcripſit: *etiam Preſbyteratus honore privetur*. Verumtamen ſupra n. 2. oſtenſum eſt, etiam *invalide* ordinatos privari falſo, ac uſurpato gradu, ac ordine. Hinc eſt, quod idem Gregorius Epiſt. 20. lib. 3., & Epiſt. 3. lib. 5. Maximo cuidam ſcribens quia *per Simoniacam haereſim fuerat ordinatus*, Epiſcopum appellare renuit; ſed *Maximo praeſumptori in Salona*, & *Salonitanae Eccleſiae* ſcripſit; videturque rationem dediſſe Epiſt. 7. lib. 5. ad Epiſcopos Epiri, dum inquit: *quia eum, quem quis cum pretio ordinat; provehendo agit, ut haereticus fiat*: haereticus autem Eccleſiae Epiſcopus eſſe negatur. Nam etiam Epiſt. 110. lib. 7. Syagrio Auguſtodun. Epiſcopo iſthaec habet: *quicunque hoc pretii ſtudet donatione mercari; dum non officium, ſed nomen attendit; Sacerdos non eſſe, ſed dici tantummodo inaniter concupiſcit*: eſtque c. *Quicunque* 1. q. 1.

VII. Seculo Eccleſiae VII. complura fuere Concilia, quae veterum Patrum contra Simoniacos decreta confirmarunt, uti Toletanum IV. anno 633. can. 19., Cabillonenſe I. anno 650. can. 16., Toletanum VIII. anno 653. can. 3., Rothomagenſe I. anno 650. can. 7., Trullanum anno 692. can. 22., & *Toletanum XI.* anno 675., in quo quia can. 9. de *Simoniacis* depoſitis, communione privatis, & poenitentiae adjudicatis ſubdit Concilium: *unde ſi digna eos ſatisfactio poenitentiae commendaverit; peracto indictae poenitentiae tempore, non tantum communioni, ſed & loco, & totius Ordinis officiis, a quibus ſeparati fuerant, reſtaurandi ſunt*: arguit VVitaſſe, *characterem* ſic ordinatos ſuſcepiſſe, nec amiſiſſe, qui ordinatione functi erant; ſiquidem ſolis lacrymis, non vero iterata ordinatione locum, & officium recuperaturi perhibentur. Primum Concilii Patres nullum de iteranda, vel non, or-

ordinatione Simoniacorum verbum fecerunt; ſed de honorum amiſſorum recuperatione: deinde ſingulare eſt hujus Concilii Provincialis 17. Epiſcoporum decretum; nam *Bracarenſe* IV. Concilium eodem anno 675. coactum can. 8. Chalcedonenſem de hac re canonem confirmavit; uti & Deodatus, ſeu Deusdedit Papa eodem circiter tempore c. *Tanta eſt* tit. de Simonia; & Leo IV. maxime contraria ſenſit, ut mox videbitur.

VIII. Inſequenti ſeculo Simoniacos, eorumque ordinationes confixit Concilium Vernen. I. in Gallia anno 755. can. 24. nec non VII. Synodus Oecumenica anno 787. can. 6., ſed audire eſt S. Tharaſium Patriarcham CP., qui eidem Synodo praeſedit, Epiſt. ad Hadrianum I. Papam c. *Eos qui* 1. q. 1. verſionis Rom. correctorum Gratiani, ita ſcribentem: *Quod ſi quis eam* (gratiam Spiritus) *auro emiſſe convictus fuerit; hunc ex Sacerdotali Ordine excidiſſe pronunciant: quanquam nomine Sacerdotium ſortitus eſt; ſed in eum falſo nomen iſtud conferri reipſa comprobatur. Nemo enim poteſt Deo, & mammonae ſervire .... Noſti enim, o vir deſideriorum eorum, quae ſpiritus ſunt, longe tolerabiliorem eſſe Macedonii, & eorum, qui ab illo ſunt, ſancti ſpiritus impugnatorum haereſim: nam cum illi ſanctum Spiritum Dei, & Patris creaturam, & ſervum nugentur; hi ſuum ipſorum, quantum putant, ſervum ipſum faciunt. Omnis enim Dominus quicquid habet, cum libuerit, vendit ſive famulum &c. Subjectae igitur ſententiae ex ſanctis collectae alienum omnino a Sacerdotio pronunciant eum, qui quocunque tempore dederit, vel acceperit ſive ante ordinationem, ſive in ordinatione, ſive poſt ordinationem* (χειροτονίαν): *accipere enim eſt quandocunque accipere. Sed & omnes Eccleſiaſticas promotiones, in quibus pecunia intervenit, irritas eſſe jubent.* Tum ſubjicit autoritates Actuum Apoſtolorum c. 8., can. 29. Apoſtolorum, Magni Baſilii, Palladii in Vita Jo. Chryſoſtomi, Concilii Chalcedon. can. 2., Gennadii CP. Epiſcopi, & VI. Synodi, ſeu Trullanae can. 22., idemque ſcribit Epiſt. ad Johannem Presbyterum, quae cum ſuperiori legitur in Actis praedictae Synodi VII. verſionis Anaſtaſii Biblioth., ubi notare eſt, ab hoc Antiſtite ſignificari Simoniacorum ordinationes dictas eſſe irritas ab iis, qui Simoniacos dixerunt *deponendos*: ut diſcant quidam; eas irritas minime aeſtimandas eſſe, quia *irritae* non ſunt appellatae; inter errores haberi.

IX. Plu-

IX. Plura quoque IX. ſeculo Concilia *Simoniacos* exagitarunt, uti Cabillonenſe II., & Turonenſe III. anno 813. can. 43. & 15., Remenſe II. can. 21., & Romanum Eugenii II. ann. 826. can. 2. a Leone IV. anno 853. confirmatum, Moguntinum II. anno 847. can. 12., & III. an. 888. can. 5., nec non Nannetenſe anno 890. can. 11., quorum Cabillonenſe de nonnullis Scotiae Epiſcopis dixit: *quorum ordinationem, quia plerumque in Simoniacam incidit haereſim; & multis erroribus ſubjacet; modis omnibus irritam fieri debere omnes uno conſenſu decrevimus*. Leo autem IV. Pontifex Romanus c. *Requiritis* 1. q. 7. ad Epiſcopos Britones reſpondit: *Requiritis de iis, qui turpiſſimo lucro columbas in Templo Domini vendere non pertimeſcunt; & ſua facta improba temeritate Simonis haereſi conjungunt; utrum poſſint in ordine poenitentiam agere; an tantummodo extra ordinem, & Sacerdotalem fieri gradum. Quod nos quidem convictis, & iis, qui tam deteſtabile nefas, quod jam multis eſt damnatum Conciliis, peregiſſe noſcuntur; nulla poſſumus poenitentia ſubvenire; & tot ſpiritualibus Patribus obviare; ſed in illorum Patrum me ſententia convenire omnibus certum ſit*: hoc eſt illos ab ordinibus omnino deponendos eſſe; neque cum ipſis diſpenſari poſſe. Quo apparet, quod & notavi n. 7., peculiare *Toletani* Concilii XI. decretum extitiſſe, quod poſt biennium poenitentiae lapſis Simoniacis reditum ad honores permittebat; idque tamen a nemine receptum, ſecutumque lego; quantum quidem ad veros Simoniacos attinet.

X. Extat & X. ſeculo Agapeti II. Papae Epiſt. anno 946. vel 947. ſcripta, qua ordinationem a ſe factam quorundam, qui clam, & fraudulenter Simoniace promoveri curaverant, reſcidit; & irritam eſſe, ac nullam declaravit. Cum enim quidam Leo Presbyter, & Monachus; itemque Benedictus Presbyter ſe ſe vitioſe in Termulenſem, & Triventinam Eccleſias jurisdictionis Epiſcopi Beneventani intruſiſſent; & furtim ab Agapito PP. rei ignaro conſecrari feciſſent: inſtante contra Joanne Beneventanae ſedis Antiſtite, Pontifex cuncta revocavit; ſcripſitque *Leoni Presbytero, & Monacho, & Benedicto aeque Presbytero irrationabiliter a nobis conſecratis Epiſcopis; & ipſum ordinem .... veſtientibus ... Cognovimus vos non per oſtium intraſſe, ſed furtive ut fures, & latrones aliunde irrupiſſe, & indebite Epiſcopale*

mi-

miniſterium uſurpaſſe ... ut plebes, quae ſubditae ſunt ſub Dioeceſi, & Jurisdictione Epiſcopatus ipſius Beneventanae Provinciae contra inſtituta Canonum per praemium, & datum elegerunt vos ſibi per Simoniacam haereſim Epiſcopos: ideoque excommunicamus vos ex autoritate B. Petri Apoſtolorum Principis; ut neque in eisdem Plebibus hoc eſt Triventina, & Termulana Eccleſia Epiſcopalem Cathedram ... praeſumatis; nec in ulla alia Eccleſia permiſſum habeatis aliquod Epiſcopale officium peragere &c. Vulgavit hanc Epiſtolam Ughellus to. 8. Italiae ſacrae in Benevent. n. 46. ex Tabulario, vel Bibliotheca illius Metropolis; in qua cum Pontifex intruſis illis, ac Simoniacis conſecratis in Epiſcopos titulum tribuat *Presbyterorum*, liquet eum ordinationem eorundem irritam agnoviſſe, hoc eſt invalidam, & nullam. Poſt haec *Benedictus* PP. VIII. in Rom. Concilio anno 981., vel 983. contra Simoniacos confirmavit veterum PP. ſtatuta, & praecipue can. 30. Apoſtolorum, & can. 6. Chalcedonen.

§. 1. *De S. Leone IX., & Clemente II.*

XI. At ſeculo XI. tot, tamque perſpicua de irritis, invalidiſque *Simoniacorum* ordinationibus, earumque iteratione monumenta leguntur, ut mihi ſemper mirum fuerit, aut ignorari potuiſſe; aut inficiatione, vel ulla interpretatione deludi. Certe horum ordinationem iteravit *S. Leo IX.*, uti teſtatur S. Petrus Damiani Opuſc. 5. de Actibus ſuis apud Mediolanum ad Hildebrandum Archidiaconum inquiens de eo: *pleroſque Simoniacos, & male promotos tanquam noviter ordinavit*: atque id quidem de vere Simoniacis; de iis vero, qui *gratis* ſeu non Simoniace a Simoniacis ordinati fuerant, diu res dubia fuit; de qua idem Petrus Damiani Opuſc. 6. ad Henricum Raven. Epiſcopum cap. 1. ſcribit: *de iis, qui gratis ſunt a Simoniacis conſecrati; quanta jam per triennium in tribus Romanis Conciliis fuerit diſceptatio; quamque perplex, atque confuſa dubietas; & in iis partibus quotidie ventiletur, ſanctitatem veſtram latuiſſe non arbitror: praeſertim cum creſcente fluctuationis ambiguo, eatenus ſit proceſſum, ut nonnullos conſtet Epiſcopos ab illis ordinatos Clericos denuo conſecraſſe*: Quae VVitaſſe Obj. 6. cum his confundit, quae Petrus dicit Opuſc. 5., ibi enim S. Leo *Simoniacos*,

& ma-

& male promotos ordinavit; hic vero agitur de *non Simoniacis* a Simoniacis gratis ordinatis: de illis VVibertus ſcripſit in ejus Vita lib. 2. cap. 3. *Simoniacam enim damnavit haereſim, quae jam nonnullas Mundi partes invaſerat; & in eodem Concilio quoſdam depoſuit Epiſcopos, quos praedicta haereſis naevo ſuae nequitiae maculaverat*: & cap. 4. *apud Sipontum habito Concilio duos depoſuit ab officio Archiepiſcopatus, qui cum mercede ſanctum aſſumpſerant miniſterium vitio elationis unus ambiens praecellere alterum*; ut & S. Gregorius VII. in ſuo I. Romano Concilio anno 1074. cap. 7. dicens: *item B. Leo Papa ejus nominis nonus noſtro tempori pene contiguus in prima ſua Romana Synodo* (an.1049.) *Simoniacam haereſim penitus damnavit*: de iſtis vero diu, & per triennium diſceptatum fuit etiam in Romanis Conciliis; cum de illis neutiquam ambigeretur.

XII. In qua quidem tam implexa quaeſtione de iis, qui a Simoniacis *gratis* ordinati eſſent, jam Clemens II. anno 1047. Romae in Concilio ſtatuerat: *ut quicunque a Simoniaco conſecratus eſſet, in ipſo ordinationis ſuae tempore non ignorans Simoniacum, cui ſe obtulerat promovendum; quadraginta nunc dierum poenitentiam ageret; & ſic in accepti Ordinis officio miniſtraret*: quod tandem aliquando & ipſe S. Leo IX. plurimorum querelis, ac tumultibus victus cedens admiſit; ut eſt apud memoratum Petrum Damiani Opuſ. 6. cap. 35., qui Opuſculo 5. anno 1059. conſcripto fatetur, ſe quoque Mediolani *Simoniacos* per ſolam poenitentiam ſuſcepiſſe; cum omnis ibi Clerus, ipſequemet Archiepiſcopus eſſet Simoniae crimine pollutus; addens tamen: *illi etiam ipſi, quibus miniſtrandi licentia redditur, non ex male mercata veteri ordinatione ad amiſſum reparantur officium; ſed ex illa potius B. Apoſtolorum Principis efficaciſſima autoritate, qua in B. Apollinarem repente uſus eſt dicens: ſurge, accipe Spiritum ſanctum, ſimulque Pontificatum*. Sed id egit in Simoniacis quibuſcumque; quapropter adjecit: *adhuc tamen utrum ſedis Apoſtolicae judicio placeat, ignoramus. Nos enim, ſi quid erravimus, ad Petri magiſterium corrigendi libenter accedimus*: quemadmodum quidem fecit, correxitque ſe; ut paulopoſt videbimus. Videtur tamen agnoviſſe, nullam eſſe Simoniacorum male mercatam ordinationem. Huc ſpectat id, quod Laurentius Virdunen. S. Vitoni Monachus in ſui Coenobii Chronico refert; *Leo-*

nem

nem IX. gradu moviſſe *Hugonem Lingonen.* Epiſcopum in Rhemenſi Concilio anno 1049. ob Simoniacum ingreſſum; & poſtmodum in Rom. Synodo non iterata *ordinatione* per baculum, & annulum dumtaxat priſtino honori reſtituiſſe.

§. 2. *De Nicolao II.*

XIII. HIs ſuccedens Nicolaus II. in Romano Concilio anno 1059. quaeſtioni finem dedit hoc decreto: *Erga Simoniacos nullam miſericordiam in dignitate ſervanda habendam eſſe decernimus; ſed juxta Canonum ſanctiones, & decreta SS. Patrum eos omnino damnandos, ac deponendos eſſe Apoſtolica auctoritate ſancimus. De iis autem, qui non per pecuniam, ſed gratis ſunt a Simoniacis ordinati; quia quaeſtio a longo tempore eſt diutius ventilata, omnem modum dubietatis abſolvimus, ita ut ſuper hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus ... Eos, qui uſque modo gratis ſunt a Simoniacis conſecrati, non tam cenſura juſtitiae, quam intuitu miſericordiae in acceptis ordinibus manere permittimus; niſi alia culpa ex vita eorum contra canones eis exiſtat ... De caetero autem ſi quis hinc impoſterum ab eo, quem Simoniacum eſſe non dubitat, ſe conſecrari permiſerit; & conſecrator, & conſecratus non diſparem damnationis ſententiam ſubeat, ſed uterque depoſitus poenitentiam agat; & privatus a propria dignitate perſiſtat.* Et Epiſt. ad omnes Epiſcopos idem fere, ſed paulo diſtinctius expreſſit his verbis: *ſtatuimus decretum de Simoniacis tripartita haereſi; ideſt de Simoniacis Simoniace ordinantibus, vel ordinatis; & de Simoniacis Simoniace a non Simoniacis; & de Simoniacis non Simoniace a Simoniacis: Simoniaci Simoniace ordinati, vel ordinatores ſecundum Eccleſiaſticos ordines a proprio gradu decidant: Simoniaci quoque Simoniace a non Simoniacis ordinati ſimiliter ab officio male accepto removeantur: Simoniacos autem non Simoniace a Simoniacis ordinatos miſericorditer per manus impoſitionem pro temporis neceſſitate in officio concedimus permanere*: quod refertur & c. *Statuimus* 1. q. 1.

XIV. Memorat hoc decretum Petrus Damiani, & quodammodo explicat Opuſc. 30. ad Florentinos anno 1063 miſſo, dum cap. 1. ſcribit: *conſtitutum eſt in Romano ſanctae memoriae Nicolao Pontifice praeſidente Concilio; ut quicunque per eos* (Simo-

moniacos gratis) *eatenus fuiſſent in cujuslibet Eccleſiaſtici gradus dignitate prometi, in percepti honoris miniſterio permanerent: ex tunc vero; & deinceps quicunque ſe paterentur a Simoniaco provehi, nihil penitus deberent ex ea promotione lucrari; & ſic miniſtrandi jura deponerent, tanquam ſi haec nullatenus percepiſſent.* Fuit autem Petrus praeſens eidem Concilio velut Epiſcopus Oſtienſis; & probe novit Nicolai, totiuſque Concilii mentem, quae fuit, ordinationes talium Simoniacorum *irritas* fore declarandas, & nullas prorſus; cum non dixerit, uſum, & *exercitium* miniſterii deponant; ſed *jura* nempe poteſtatem Ordinis; quinimmo ſubjungit: *hac itaque ratione jam non modo Simoniacos reprobamus; ſed & per eos exhibita Sacramenta contemnimus... ſi ergo ego, & vos de Simoniacis, eorumque reprobandis in poſterum conſecrationibus una ſententia utrique congruimus; cur adhuc invicem litigamus?* illi autem contendebant, *Simoniaci* Epiſcopi benedictiones, & Sacramenta eſſe maledictiones, & ſacrilegia; quamobrem populum prohibebant Sacramenta accipere ab ipſo, vel ordinatis ab eo, tanquam nullius eſſent illa momenti; ex quo fiebat, ut baptizati minime *Chriſmate* ungerentur; & plurimi ſine *Eucharistiae* Sacramento interirent: quos tamen Petrus redarguit, quod indemnatum Epiſcopum adhuc vitandum eſſe ut Simoniacum aſſererent; & ſine Rom. Pontificis, aut ſuae Provinciae Synodi judicio ea attentaverint; anſamque dedit convocandi an. 1063. Romam Concilii ſub Alex. II. de quo mox dicetur.

XV. Aliud ejuſdem Nicolai Papae (ut nihil, quod ad hanc rem attinet, praetermittam) *decretum* legitur in Actis praefati Concilii Romani anno 1059., etſi ad alium annum pertineat; quod habet: *Autoritate Apoſtolica decernimus, quod in aliis Conventibus noſtris decrevimus; ut ſi quis pecunia, vel gratia humana... fuerit Apoſtolicae ſedi inthronizatus; non Papa, vel Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur &c.*, habeturque & c. *Si quis pecunia* d. 79. Sic & Epiſtola 2. ad Gervaſium Rhemen. Archiepiſcopum de quodam Belvacen. Epiſcopo reſcripſit: *Si autem in aperto res eſt, quod pecuniam dederit;... non ob hoc promotus eſt, ut ſit Epiſcopus, ut B. Gregorius dicit; ſed ut ſit Lupus, & S. Eccleſiae invaſor.* Quapropter inter *Decreta Nicolai II.*, quae nuper evulgavit cl. Baluzius to. 7. Miſcellan. p. 67., & ex eo in noviſſima Conciliorum Collectione to. XII., habetur num.

num. 8. *Ut Eccleſiae per pretium a Simoniacis conſecratae denuo conſecrentur*: & num. 9. *Ut Presbyteri, & omnes a tempore Nicolai Papae* (ideſt a tempore decreti ſui) *uſque nunc, & deinceps ſcienter ordinati a Simoniacis ſciant ſe non eſſe ordinatos: & deinceps non fiant*. Quibus apparet, Simoniacis omnem Ordinis poteſtatem ademtam fuiſſe; ideoque eorum ordinationes nullas, & *invalidas* extitiſſe.

§. 3. *De Alex. II. & Gregorio VII.*

XVI POſtea Alexander II. Nicolai ſucceſſor anno 1063. in Romano Concilio centum amplius Epiſcoporum omnia, quae B. Leo IX. & Nicolaus II. de *Simoniacis* decreverant, confirmavit ad verbum: & in Epiſt. 35. ad Lucenſes ſcribit: *Sicut in Chalcedonenſi Concilio definitum eſt, gradus ſui periculo eum ſubjacere decernimus: nec miniſtrare poſſit Eccleſiae, quam pecunia venalem fieri concupivit*: ubi non ait: *nec debeat*; ſed *nec poſſit* miniſtrare; iccirco quod Simoniaco aufertur ab Eccleſia jus, & poteſtas *valide* ordinandi.

Et ut omittam Concilia Lugdunenſe anno 1055., Toloſanum anno 1056., Viennenſe, & Turonenſe anno 1060., S. Greg. VII. & ipſe Synodali decreto anno 1074. ſanxit: *ut Clerici aliquem ſacrorum ordinum gradum, & officium per pretium adepti nullatenus deinceps in Eccleſia miniſtrent*: ex eius Epiſt. ad Ottonem Conſtantien. Epiſcopum, & ex ejus Apologetici Scriptore cap. 5. Sed clarius in ſuo V. Romano Concilio anno 1078. menſe Novembri celebrato, in quo edixit: *Ordinationes, quae interveniente pretio, vel precibus, vel obſequio alicujus perſonae ea intentione impenſo... fiunt,... infirmas, & irritas eſſe judicamus*: aut *falſas*, ut habetur c. *Ordinationes* 1. q. 1., rationemque reddidit inquiens: *quoniam qui taliter ordinantur, non per oſtium ideſt per Chriſtum intrant; ſed ut ipſa veritas teſtatur, fures ſunt, & latrones*: fures autem, & latrones nullo modo jus ad res, quas furantur, acquirunt nec *licite*, nec *valide*: igitur nec Simoniaci. Sic & Epiſt. 11. lib. 1. ad Beatricem, & Mathildem Comit. de Gothifredo Mediolanen. Eccleſiae *pervaſore* ſcripſit: *Noſtis... quam aperte Longobardorum Epiſcopi Simoniacam haereſim defendere, ac fovere praeſumpſerint; Gotifredum Simoniacum, & ob*

hoc excommunicatum, atque damnatum ſub ſpecie benedictionis maledixerint; & ſub umbra ordinationis execratum conſtituerint: Si quidem &c. *Pervenit* 1. q. 3. cenſuit, *ut inter maximos haereticos, & inter Antichriſtos non minimus habeatur* Simoniacus.

XVII. Quae hucuſque ſunt expoſita, dilucide confirmat *Gerundenſis* Synodus in Hiſpania an. 1078. ab Amato Olorenſi Epiſcopo, Gregoriique VII. Legato coacta, & in noviſſima Concil. Collectione publicata; in qua Patres *ſtatuerunt, ut ſi quae Eccleſiae per pecuniam eſſent conſecratae, vel a Simoniaco; a legitimo canonice conſecreutur Epiſcopo; Si qui etiam Clerici pecuniam praebendo, vel a Simoniaco ſunt ordinati; eodem modo a Catholico ordinentur Epiſcopo. Non enim in his fit reiteratio, ſed ipſa conſecratio; quoniam nihil praeceſſerat, quod ratum haberi queat.* Quid clarius dici poteſt? quid obſcuritatis in his verbis, ut interpretari quis audeat? *Amatus* autem iſte, qui Baluzio, & Mabillonio Monachus Caſinenſis fuiſſe videtur, & vir doctus in primis; poſtea creatus Archiepiſcopus Burdigalenſis eſt; praefuitque pluribus Conciliis Biſuldinenſi, Burdigalenſi, Britannico, Santonenſi, Meldenſi, Exoldunen. &c. uſque ad annum 1101.; quo vivere deſiit. Quum igitur Legatus eſſet Sedis Apoſtolicae, & S. Gregorii VII., quis ſibi perſuaſerit, aliud eum egiſſe, ac diſciplinam diverſam exercuiſse ab ea, quae traderetur ab Romana Eccleſia, ejuſque Pontifice Gregorio? Hic enim ſecundum Gratianum, vel Alexander II. juxta Anſelmum; aut uterque, ut verius exputo, c. *Eccleſia* 1. q. 4. ita cenſuit. *Eccleſia, quae pactione conſecrata fuerit, potius execrata, quam conſecrata dici debet.* Porro notent velim, memoratam ſynodum non ſolum *Simoniacorum* ordinationes improbare, iterandaſque eas imperare; verum etiam *non Simoniacorum* a Simoniacis tamen ordinatorum: quod multum conducit ad Nicolai II. & Alexandri II. decretorum, eorumque Conciliorum intelligentiam, & firmitatem.

§. 4. *De Urbano II.*

XVIII. QUare inaniter contendunt de c. *Daibertum* 1. q. 7., an verum ſit, vel ſuppoſititium, & fruſtra quidam pro ejus in-

interpretatione laborant; cum nulla ratione aut illud denegari; aut iſtud fieri niſi contorte queat. Scribit enim Urban. II. Petro Piſtor. Epiſcopo, & Ruſtico Valliſumbr. Abbati. *Daibertum a VVezilone licet Simoniaco non ſimoniace ejuſdem confeſſione reperimus in Diaconum ordinatum; & S. Innocentii Papae ſententia conſtat declaratum, quod VVezilon, quem conſtat ab Haereticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus impoſuit. Nos igitur tanti Pontificis autoritate firmati; & Damaſi Papae teſtimonio roborati, qui ait: reiterari oportet, quod male actum eſt: Daibertum ab Haereticis corpore, & ſpiritu digreſſum, atque utilitatibus Eccleſiae pro viribus inſudantem ex integro, Eccleſiae neceſſitate ingruente, Diaconum conſtituimus. Quod non reiterationem exiſtimari cenſemus, ſed tantum integram Diaconii dationem; quoniam ut praediximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit.*

XIX. Ad quae mirum, quantum ſe torqueat Witaſſe ſect. 3. Obj. 8., ut quod verum eſt, verum non eſſe demonſtret; cumque Pontificis verba negare non audeat; ad interpretationem ſe vertit, aitque *Damaſi* ſententiam: *reiterari oportet, quod male actum eſt*: intelligi poſse de Ordinis *executione*, quae reiterari oportet; non de *charactere*; & multa quidem dicit, ſed verba, ſed incaſſum: nam explicare debebat, quomodo iteretur Ordinis executio, ut male facta ordinatio ſanetur. Quoniam aut iteratur ipſa *ordinatio*, (quippe quum hoc loco Ordinis executio ſit ordinatio) & ita nolens autumas eam fuiſse nullam; ſiquidem ordinationes iterari non poſſunt, niſi quae irritae, nullaeque fuerunt: aut non iteratur illa; atque hoc modo fruſtratur Damaſi ſententia. Si dixeris reiterari Ordinis executionem, dum aufertur *ſuſpenſio*, qua quis tenebatur, ne ordinem exequeretur: iſta ne phraſis eſt Eccleſiae, & Rom. Pontificum dicere *reiterari*, dum aufertur ſuſpenſio, & reſtituitur operatio? diſtorta prorſus, ac falſa, & praepoſtera, fraudulentaque interpretatio eſt; maxime cum alias legamus, hanc *Damaſi* ſententiam de ipſius ordinationis repetitione ſemper acceptam fuiſſe; uti ille ipſe accipit, cum agat ea in Epiſtola de iteranda *Chorepiſcoporum* ordinatione, utpote nulla, ac invalida. Quocirca quam difficilem ſibi Provinciam ſumpſiſſet Witaſſes advertens praemiſit, hunc eſſe, ſive Hiſtoria, ſive Theologica doctrina ſpectetur, intricatiſſimum, ac diſſicillimum locum: atque ita quidem

his, qui veritati adverſantur; caeterum nihil hoc facto certius, & nihil clarius, faciliuſque & quantum ad Hiſtoriam, & quantum ad Theologicam doctrinam.

XX. Wezilo namque, ſeu Guezilo [non *Nezelo*, ut apud Gratianum corrupte] Clericus Halberſtaden. Epiſcopi fugitivus anno 1084. teſte Bertholdo Autore aequali, ope Henrici Regis Schiſmatici Moguntinum invaſit Archiepiſcopatum ab *Excommunicatis* ordinatus; quod & fatetur Urbanus II. Epiſtola 19. ad Abbates Piſtorien., & Valliſumbr., annoque 1085. *Sectam* condidit in Quintilinoburg. Concilio cum ſuo Autore damnatam, quam *haereſim* appellatam tradit Urſpergenſis Abbas inquiens: *haereſim VVecilonis, ipſumque haereſiarcham appellarent contra fidem ſcilicet illum dogmatizaſſe culpantes* (Patres Concilii Quintilinoburg.), *quod quamdiu quis ſuis ſpoliatus ſit rebus, divinis non ſubjaceat legibus*: ſeu ut Bertholdus eodem loco refert, ſenſiſſe eum: *Eccleſiaſtico non ſubjacere judicio, nec excommunicari poſſe pro ſuis exceſſibus*: obiit autem anno 1087. in ſchiſmate, cujus acerrimus ſemper extitit propugnator uſque ad obitum teſtimonio Baronii ad ann. 1085. n.3., quod & perhibet Urbanus in dicta Epiſt. 19., quae ſive una ſit, ſive bina, ut verius videtur; nam apud Gratianum data dicitur Piſtorien. Epiſcopo, & Valliſumbr. Abbati; in Concil. vero collectionibus legitur miſſa Abbatibus Piſtorien. & Valliſumbr.; edita eſt anno circiter 1088., aut inſequenti, quo *Daibertus* ad Piſanum Epiſcopatum evectus fuit: idque quidem quantum ad Hiſtoriam. Quantum autem ad Theologicam doctrinam cum Wezilo extiterit *Simoniacus, invaſor, excommunicatus, & haereticus*, necnon ab haereticis, & excommunicatis ordinatus; reſtat, conſequiturque ex his, quae hactenus ſunt dicta; ut *Daiberti* in Diaconum ordinatio ab ipſo Wecillone peracta merito judicata fuerit irrita, nulla, ac invalida; & ideo jure, ac merito iterata fuit, ſeu ab Urbano PP. ut ipſe ait, *ex integro* facta. Ac ne quis apertae veritati repugnet, vitilitigetque, audiat Bonizonem Epiſcopum Sutrinum, qui eo tempore vivebat, in fine libri 1. de Vita Chriſtiana, ſeu Syntagm. Decretorum Eccleſ. ſcribentem; *Scio autem noſtris temporibus quoſdam promotos, qui voluntarie coinquinati ſunt temporibus coinquinationis; & quod pejus eſt; reordinatos, & reordinaſſe. Quod licet non approbem, Canonibus tamen interdicentibus omnino vi-*

vituperare non audeo: quia audio hoc Romanae Eccleſiae factum eſſe auctoritate.

XXI. Quod confirmatur ex alia eiuſdem *Urbani* Epiſtola paulo poſt ad Eccleſiam Metenſem ſcripta, quam refert Martene in Ampliſs. Collect. to 1. pag. 529., & to. 6. Annal. Benedict. in Add. & Corrig. pag. 571. Cum enim anno 1090. Metenſis Eccleſiae Epiſcopus Herimanus diem obiiſſet ſuum; Burchardus Treviren. Eccleſiae Praepoſitus eſt a Catholicis illi ſucceſſor datus; de qua electione certior factus ab Electoribus Urbanus reſcripſit in hunc modum: *At illud modo requirendum, utrum per manus Trevirenſis illius dicti Archiepiſcopi Simoniaci fuerit in Diaconum ordinatus. Quicquid enim ab eo extraordinarie, indigneque ſuſcepit; nos Spiritus Sancti judicio irritum eſſe cenſemus; & ut eoſdem Ordines ab aliquo ſortiatur Epiſcopo Catholico praeſenti autoritate praecipimus: Talis enim ordinator, cum nihil habuerit, dare non potuit*: Quibus aperte docet, quid ſit *irritum* in hac diſputatione: & quid *nihil habere*, & *nihil dare* in ordinatione ſacra. Epiſt. etiam 17. Append. ad Vibonem Tullen. Epiſcopum poſtquam n. 1. dixit, *Simoniacum* depoſitioni ſubjacere, ſubdidit n. 5. *In Eccleſiis vero, quae ab hujuſmodi Simoniacis execratae ſunt, non aliter quam in locis orandum videtur; donec ſubverſis Altaribus benedictione, & unctione Catholici Antiſtitis conſecrentur*: idque eſt, quod prodit S. Petrus Damiani Opuſc. 6. cap. 29. ſenſiſſe Simoniacorum hoſtes hiſce verbis: *quae tunc videbatur Eccleſia ab his* (Simoniacis) *ſcilicet conſecrata, domus ſimplex erat; quod videbatur Altare, purus lapis erat; Sacerdotes, & qui reliquis cernebantur ordinibus conſtituti, prorſus Laici erant cunctis ſpiritualis Sacramenti viribus alieni: quod corpus, & ſanguis Domini credebatur, ſimpliciter panis erat, & vinum, terrena ſubſtantia nulla S. Spiritus benedictione perfuſa &c.*

XXII. At inquiunt, ordinationes *non ſimoniace* a Simoniacis tamen perpetratae juxta illius temporis diſciplinam tolerabantur ex decretis Clementis II., Leonis IX., & Nicolai II., adde & Alexandri II., hujuſmodi autem fuit *Daiberti* ordinatio: igitur veriſimile non videtur, eam ab Urbano II. fuiſse reſciſſam. Verum enim vero non adverterunt iſti, decretum *Nicolai II.* anno 1059. in Concilio Romae editum, quod incipit: *Erga Simoniacos &c.*, & in quo Pontifex definivit: *eos, qui uſque modo gratis ſunt*

 a Si-

a Simoniacis conſecrati ... intuitu miſericordiae in acceptis ordinibus manere permittimus: paulo poſt adiicere: *de caetero autem ſi quis in poſterum ab eo, quem Simoniacum eſſe non dubitat, ſe conſecrari permiſerit ... depoſitus, & privatus a propria dignitate perſiſtat*: quod & Alexander II. confirmavit, & S. Gregorius VII. Epiſt. 39. lib. 6. Rainaldo Comenſi Epiſcopo reſcripſit: *quid de his, qui a Simoniacis neſcienter, & ſine pretio ordinati ſunt, Apoſtolicae Sedis miſericors cenſura decernat; hoc obſervare te volumus: eos, qui ante tempus Nicolai Papae ſine venalitate a Simoniacis ad aliquem gradum promoti ſunt; ſi tamen vita eorum irreprehenſibilis eſſe probatur; per manus impoſitionem confirmatos in ſuis ordinibus permanere, & miniſtrare poſſe*: non item poſt Nicolai tempus. Igitur Daibertus, qui eo modo fuit ordinatus longe poſt annum 1059. a VVezilone Simoniaco, ordinationem nullam accepit. Quo loco & Gratianum erraſse video, cum ad c. *ſtatuimus* 1. q. 1. ſubnotavit: *Sed hoc intelligendum eſt de iis, qui ordinantur a Simoniacis, quos ignorabant eſſe Simoniacos*: quod plane falſum; nam etſi Nicolaus in eo decreto *ſtatuimus*, ſive Epiſt. ad omnes Epiſcopos reticuit id, quod rem clarius definiret: tamen in alio proxime memorato *Erga Simoniacos* aperte dicit, ſe loqui de eo, *quem Simoniacum eſſe non dubitat*; idque confirmarunt plures alii Pontifices; quos inter *Urbanus II.* fuit, ut mox apparebit.

XXIII. Quapropter ad rem ſuam non erat ſtatutum illud *Urbani II.*, quod ibi Gratianus adducit ex Placentino Concilio anno 1095. habito, can. 3. & 4. *Si qui a Simoniacis non ſimoniace ordinati ſunt; ſi quidem probare potuerint, ſe cum ordinarentur, neſciſſe eos Simoniacos eſſe; & ſi tunc pro Catholicis habebantur in Eccleſia, talium ordinationes miſericorditer ſuſtinemus. ..... Qui vero ſcienter ſe a Simoniacis conſecrari, immo execrari permiſerint; eorum conſecrationem omnino irritam eſſe decernimus*: Cum jam can. 1. & 2. dictum fuiſſet: *Ea, quae a SS. Patribus de Simoniacis ſtatuta ſunt, nos quoque & judicio Sancti Spiritus, & Apoſtolica autoritate firmamus. Quicquid ergo vel in ſacris Ordinibus, vel in Eccleſiaſticis rebus vel data, vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt; nos irritum eſſe, & nullas unquam vires habere cenſemus*: idque ad verbum in alio ejus Rom. Concilio anno 1099. eſt confirmatum, ubi perſpicue tradit, *irritum* eſſe, quod *nullas vires* habet; ac idem atque *invalidum*. Cum

Cum autem inſtant, & objiciunt; nonnullas nihilominus pro temporis, Eccleſiaeque neceſſitate *Simoniacorum* ordinationes fuiſſe toleratas; atqui tolerari non potuiſſe, ſi charactere deſtituebantur; ergo Simoniacos Characterem Ordinis conferre poſſe. Reſpondeo: aut erant cogniti Simoniaci, aut non; ſi cogniti ab eis promoti non *ex male mercata ordinatione, ſed ex Beati Petri Apoſtolorum Principis efficaciſſima autoritate* habebant, quo operarentur, ut ait S. Petrus Damiani ſupra relatus n. 12., & Gloſſa infra cap. VI. n. 16. adducenda: ſi vero occulti; error communis cum titulo juriſdictionem, ac poteſtatem tribuit, ut etiam innui Cap. v. n. 33.

5. §. *De Paſchali II., Calliſto &c.*

XXIV. AD haec accedit, *Paſchalem II.* anno 1112. in Lateranenſi Concilio profiteri, ſe in expoſitione ſuae fidei inter alia amplecti *praecipue decreta Domini Papae Gregorii, & beatae memoriae Papae Urbani: quae ipſi laudaverunt, laudo; quae ipſi tenuerunt, teneo; quae confirmaverunt, confirmo; quae damnaverunt, damno; quae repulerunt, repello; quae interdixerunt, interdico; quae prohibuerunt, prohibeo in omnibus, & per omnia, & in his ſemper perſeverabo*: quod habet & Epiſt. 24. ad Guidonem Viennen. Archiepiſcopum: illi autem ordinationes Simoniacorum irritas, nullas, & invalidas eſſe pronunciarunt ita, ut iterari deberent in iis, qui ad ordines idonei judicarentur: igitur & hoc ipſum ſenſit Paſchalis II., qui & c. *patet* 1. *q.* 7. haec aſſerit: *Patet Simoniacos veluti primos, ac praecipuos haereticos ab omnibus fidelibus reſpuendos; & ſi commoniti non reſipuerint, ab exteris Poteſtatibus opprimendos. Omnia enim crimina ad comparationem Simoniacae haereſis quaſi pro nihilo reputantur.*

Poſtea Concilium Lateran. I. Oecumenicum anno 1123. a *Calliſto II.* convocatum can. 1. ſtatuit: *SS. Patrum exempla ſequentes ... ordinari quemquam per pecuniam in Eccleſia Dei ... prohibemus. Si quis vero in Eccleſia Ordinationem, vel promotionem taliter acquiſierit, acquiſita prorſus careat dignitate*: & can. 22. *Alienationes, & ordinationes per ſimoniam* factas *irritas* eſſe, ac judicari dixit: quod & ante idem Calliſtus ſtatuerat in Toloſana Synodo anno 1119. can. 1. Et tamen *VVitaſſe* Prob. 1. ſect. 3. nullus

du-

dubitat aſſeverare conſtantem, ac perpetuam Eccleſiae traditionem eſse, *Simoniacorum* ſemper *validas* ordinationes fuiſſe habitas; & cum infinitos de his ordinationibus *Canones* ediderit; eas quidem ſemper improbaſſe; nunquam tamen *pro nullis, & irritis* haberi imperaſse. Quae qua veritate ſint dicta; judicent, qui haec noſtra legerint.

XXV. Horum Succeſſor *Innocentius II.* primum in Rhemenſi Concilio anno 1131. deinde in Lateranen. II. Oecumenico anno 1139. can. 1. & ipſe conſtituit, ut *ſi quis ſimoniace ordinatus fuerit; ab officio omnino cadat, quod illicite uſurpavit*: ad quae continuo Witaſse notat, ordinationem dici *illicitam*, non vero *invalidam*: ſed & continuo refellitur; cum ſupra oſtenſum ſit, *illicitum* antiquis plerumque idem eſſe atque *invalidum*. Et quum Concilium can. 2. ſanxit: *Ut ſi quis praebendam, aut honorem, vel promotionem aliquam Eccleſiaſticam ... per pecuniam acquiſivit; honore male acquiſito careat &c.* an non ille omnimode careret *honore* non tantum illicite, ſed & invalide acquiſito? igitur & ita alter ab *officio*. Praeterea *Alexander III.* c. *Ex diligenti* de Simonia reſpondet per literas: *unde quoniam hujuſmodi obligatio illicita, & contra tuae ſalutis, nec non & ſuae profectum exiſtit*, [ideſt de *homagio* cuidam pro beneficio Eccleſiaſtico praeſtando] *praeſertim cum haec taliter praeſtita divinis, & humanis legibus contraire noſcantur*: liquetque *illicitam* vocare obligationem, quae prorſus *invalida* erat, & nulla; cum Divinae legi contraria eſſet. Caeterum idem c. *De hoc autem*, & c. *Inuſitatum* ſcripſit, *Simoniacum* perpetuo deponendum, ſi crimen ſit manifeſtum; alias ei, qui fuit accuſatus, indiceretur purgatio ex lege. Tandem *Innocentius III.* c. *Per tuas* itidem de Simonia *Urbani II.* decretum ſupra ex Concilio Placentino allatum confirmavit; cum Priori Cantuarien. reſpondit, B. Monachum Carthuſianum ab Epiſcopo, quem Simoniacum ignorabat, in Subdiaconum ordinatum in eo ordine tute miniſtrare poſſe; non tamen ad majores aſcendere. Et haec ſatis ex SS. Patrum, Rom. Pontificum, univerſaeque Eccleſiae autoritatibus.

6. §.

6. §. de Theologorum, aliorumque ſententia.

XXVI. VEnio nunc ad privatos quoſdam non tamen privatae autoritatis; & primum, (ut omittam *S. Petrum Damiani*, cujus opinionem vidimus n. 14. qui tametſi initio, & coactus cauſſam Simoniacorum tuendam ſuſceperit, illorum ſcilicet, qui *gratis* a Simoniacis ordinati eſsent, Opuſc. 6. cui ob id titulus fuit *Gratiſſimus*; tamen poſt decretum Nicolai II. anno 1059. emiſſum ea dixit, quae leguntur opuſc. 30., prae ceteris inquiens; *anathematizamus itaque, & irrecuperabiliter condemnamus ſimoniacam haereſim primam omnium haereſeon &c.*) *S. Anſelmus* Epiſcopus Lucenſis, qui illi ſuppar fuit, lib. 2. adverſus Guibertum Antipapam anno circiter 1080. ſcriptis tradidit, *Excommunicatorum*, & *Simoniacorum* Sacramenta eſse *irrita*, & invalida. Eccleſia, vel Clerus Eccleſiae *Bambergenſis* Epiſt. 20., quae vulgata extat apud Jacobum Gretzerum de Herimano eorum Epiſcopo ſimoniace intruſo, de quo S. Gregorius VII. Epiſt. 3. lib. 3. ad Henricum Regem ſcribit ſe *ab Epiſcopali eum, atque ſacerdotali officio dejeciſse* anno 1075., iſta haec perhibet: *Pro Herimanni perſona dudum infamiam ſimoniacae haereſeos ſuſtinuimus ab omni Eccleſia, & omnes fere Epiſcopi, & Archiepiſcopi publice omnia Chriſti Sacramenta profanari deplorarunt; & Chriſma, & Corpus Domini, quod ipſe confecerit, velut menſtruatae immunditias exhorruerunt: gradus etiam Eccleſiaſticos, quos ille inſtituiſset, deteſtabili illuſione deumbratos adſerebant*. Hinc facile intelligimus, cur S. *Herembaldus* Mediolanen. Eques, & Martyr *Chriſma* cujuſdam Epiſcopi Simoniaci *profuſum humi coram omni populo calcibus proculcavit*: ut ſupra eſt dictum Cap. VI. n. 10.

XXVII. *Laurentius* etiam *Abbas* S. Vitoni, qui ſub Paſchali II. floruit, in Epiſt. ad Canonicos Virdunen. Apologet. apud Mabillon. to. 5. Annal Benedict n. 80. Append. inter eos, quorum *Sacrificia manifeſtiſſime irrita ſunt, & nullius omnino momenti*, recenſet & *Simoniacos*, quos & dicit extra Eccleſiam eſſe. Magiſter vero ſententiarum *Petrus Lombardus* Epiſcopus Pariſien. lib. 4. d. 25. ita ſuam opinionem expreſſit: *De Simoniacis non eſt ambigendum, quin ſint haeretici; qui tamen ante ſententiam degradationis & ordinant, & conſecrant ... differt tamen inter eos,*

qui

qui ordinantur a ſimoniacis ſcienter; *& eos*, *qui ignoranter* : *qui enim ſcienter a Simoniacis ſe permiſerint conſecrari*...*eorum conſecratio omnino irrita eſt*: *qui vero ordinantur a Simoniacis*, *quos cum ordinantur*, *neſciunt eſſe Simoniacos*, *qui & tunc pro Catholicis habentur*, *eorum ordinatio miſericorditer ſuſtinetur*. Quod ultimum de ordinatorum differentia ſumptum eſt ex Decreto *Urbani II.* ſupra n. 23. deſcripto, traditurque etiam ab *Hugone Victorino* lib. de Sacramentis par. 10. cap. 3.

Denique *Hildebertus* Cenomanen. Epiſcopus eodem tempore florens Epiſt. 14. de quodam, qui ſimoniace Diaconatum ſuſceperat, poſtea Presbyteratus evectus fuerat ad ordinem, interrogatus reſpondit: *fratrem illum*; *quem Diaconum pretio comparaſſe ſignificaſti*; *a Diaconatu*, *& ſupra ſummovendum cognovimus*, *& ſummovemus*; *nullam enim partem*, *nullam ſortem concedit ei Petrus in Ordine*; *quem dum emit*, *non accepit*. Qui omnes cum aliis id, quod eſt de Simoniacis propoſitum; oſtendunt.

6. §. *Objectus*.

XXVIII. REſtat, ut reſpondeam objectis, iiſque, quae Petrus Damiani Opuſc. 6. cui titulus eſt *Gratiſſimus*, ad Henricum Ravennat. Epiſcopum anno 1052. de ordinationibus ab Epiſcopis *Simoniacis* haud *ſimoniace*, ſeu *gratis* ordinatis exaravit; in quo cum horum Simoniacorum cauſſam, licet invitus, diuque reluctans tandem patrocinandam ſuſcepiſſet; & contra multorum mentem eorum ordinationes & ratas, & non iterandas eſſe contendiſſet: plura ob eam rem, quae magis tuendae cauſae, quam veritatis ergo dici ſolent, effutiit, & quae cauſam ipſam minime evicerunt.

1. igitur cap. 4. dicit; ut *Baptiſmum*, ita & ſacerdotalem *ordinationem*, ſeu conſecrationem nulla ſordentium Miniſtrorum labe pollui: quidve cauſae ſit ſe non videre; cur baptizatus ab *Haeretico* non rebaptizetur; & ordinatus a *Simoniaco* denuo conſecretur cap. 5., cum uterque & *Baptiſmus*, & *Ordo* ſit Chriſti Sacramentum. Cui reſpondeo, nullum quidem Eccleſiae Sacramentum a malis pollui Miniſtris poſſe, quantum in ſe eſt; ejus tamen miniſterium ita ab eorum nonnullis temerari poſſe; ut Eccleſia Spiritus S. ductu ſtatuerit, illos ab eo penitus arcere: vidiſſet-

ſetque facile Petrus rationem, cur babtizatus ab Haeretico non iterato baptizetur; ordinatus vero a *Simoniaco* iterum conſecretur; ſi perpendiſſet, non baptizatum baptizare poſſe; non ordinatum vero nequaquam ordinare valere: ut enim notavit Gratianus ad c. *Remiſſionem*, & c. *Si quis haereticae* 1. q. 1., Sacramentorum alia ſunt neceſſitatis, alia vero dignitatis; alia propter ſe, & alia propter alios. Non itaque quia Miniſter malus eſt; ſed quia idoneum non eſse cenſuit Eccleſia, cujus eſt decernere, veluti fidelis Chriſti, divinaeque mentis interpres quae ſemper fuit.

XXIX. II. Cap. etiam 4. inquit: ſi prohibetur rebaptizatio, ne juxta Canones *SS. Trinitatis* nomen, in quo quis baptizatus eſt, fieri nullum videatur; id etiam congruet manifeſtius ordinato a Simoniaco, qui non ſolum in *SS. Trinitatis* nomine conſecrat, ſed & omnem prorſus Catholicae conſecrationis ritum obſervat. Sed huic reſpondetur; quemadmodum *Baptiſmus* etiam in nomine *SS. Trinitatis* collatus repeti debet; cum caetera deficiunt, uti res, & materia apta, nec non intentio certa, atque Miniſter idoneus; ſicut quum quis ſe ipſum baptizaret; ita Simoniaci *conſecrationem* iterari oportere etiam in nomine *SS. Trinitatis* factam, eo quod Simoniacus non eſt juxta Canones Eccleſiae idoneus conſecrationis Miniſter. Deinde *Baptiſmus* neceſſario datur in nomine *SS. Trinitatis*; non item *ordinatio* ſacra.

III. Cap. 20. quando quaerit, ſi *baptizare* queat Simoniacus, cur non & *ordinare* ſimiliter? quia parum differt a primo objectu, parum etiam difficultatis nobis affert, nulloque negotio diluitur: nam ſi etiam Laicus, etiam foemina, Hebraeus, etiam, & Paganus, ſeu Infidelis *baptizare* valet; poteritne & Laicus, & foemina, & Hebraeus, Paganuſve *ordinare*? Non enim Miniſter unius Sacramenti, Miniſter erit omnium neceſsario, & ſemper.

XXX. IV. Cap. 28. ait, Simoniacos dici vendere *Spiritum Sanctum*; quod dici, inquit, non poſſet, niſi Sacramentum ipſi conficerent. ad hoc reſpondit Urbanus II. in Epiſt. 17. ad Lucium Papien. Praepoſitum his verbis: *& ſi bene advertis, Simon Magus, qui ficte ad fidem acceſsit, non Spiritum S. propter Spiritum S., quo ipſe indignus erat; [quoniam, ut ſcriptum eſt, Spiritus Sanctus diſciplinae effugiet fictum] ſed ideo, quantum in ipſo erat, emere voluit, ut ex venditione ſignorum; quae per eundem fiebant, multiplicatam pecuniam, quam obtulerat, lucraretur. Nec*

Apo-

Apoſtolus emptionem Spiritus Sancti, quam bene noverat fieri non poſſe, ſed ambitionem talis quaeſtus, ideſt avaritiam, quod eſt idolorum ſervitus, in eodem Simone exhorruit, & maledictionis jaculo perculit. Non igitur dicuntur Simoniaci vendere Spiritum S., quia reapſe vendant, cum id non poſſit; ſed quia, quantum in ipſis eſt, vendant, ideoque plectuntur, quod putent, aut velint vendere, quod vendi nec debet, nec poteſt.

v. Cap. 29. probat *Simoniacorum* ordinationes eſſe veras, ex eo, quod multi ſint inventi a Simoniacis ordinati, qui *miraculis* exinde coruſcarunt. At primum id ſpectare poteſt varium Simoniacorum genus, de quo dictum eſt ſupra; ſive ad ordinatos gratis, & inſcienter a Simoniacis, qui habentur pro Catholicis, ideoque nondum ab Eccleſia damnatis, ordinandique poteſtate nudatis. Deinde quid ſi etiam ſcienter a Simoniacis, aut ſimoniace ordinati ſunt? an non potuerunt poenitere, & ea patrare, quae ſanctitatis famam illis compararent? tale quid certe memorat liber Pontificalis in Vita S. Sylverii Papae.

vi. Cap. 32. probat etiam ex eo, quod Simoniaci jubeantur ab Eccleſia *deponi*: atqui depoſitio, inquit, Laici non eſt, ſed Clerici, & Sacerdotis: ergo qui Simoniacus eſt, is ab Eccleſia pro Clerico, ac Sacerdote reputatur. Verum nemo eſt, qui neget Simoniacum non eſſe, aut poſse eſſe Clericum, Sacerdotem, & Epiſcopum; ſed ejus ordinationes ſemper eſſe ratas, & *validas* inficiatur. Deinde falſum eſt, *depoſitionem* non eſſe etiam Laici; cum viſum ſit ſupra n. 2. ex Conciliis prave, & invalide ordinatos e falſa dignitate deponi.

XXXI. Poſt haec nobis objiciunt alia, & primum *Magni Baſilii* Epiſtolam 76. ad Epiſcopos ſuae dioeceſis, de quibus rumor ferebat, eorum quoſdam in ordinationibus pecuniam accipere. Sed illi exiſtimabant, minime crimen *Simoniae* patrare, partim quod fieret pietatis cauſa; partim vero, quod non ante, ſed poſt ordinationem pecuniam acciperent: quamobrem eos hortatur Baſilius, ut ſi verum eſt, quaeſtum illum pernicioſum declinarent; alioquin cum ſuis *Altaribus nihil commune* habituros, hoc eſt deponendos, & communione privandos.

II. Illud autem *S. Io: Chryſoſtomi*, quod refert Palladius in ejus Vita, de Epiſcopis ab Antonino Epiſcopo Epheſino ſimoniace ordinatis potius favet, quam officiat; cum illos Chryſoſtomus

Sa-

Sacerdotio carere juſſerit: eapropter & hunc locum, & ſuperiorem Baſilii produxit S. Taraſius Patriarcha CP. in ſua ad Hadrianum Papam I. Epiſtola n. 8. relata, qua demonſtraret ex ſacris Canonibus, ſanctiſque Patribus Simoniacos *deponi*; eorumque ordinationes *irritas* quoque pronunciari.

At, inquit VVitaſſe, non omnes tamen Antonini Simoniaci ordinationes damnatae fuerunt, ſed tantum illae ſex Epiſcoporum. Verum potuit Antoninus non alias habuiſſe ordinationes; potuit feciſſe alias ſed non ſimoniace; vel ſi eo modo; ſine dubio proſcriptae ſunt cum aliis, etſi non memorentur a Palladio, qui ſolum illas Epiſcoporum, uti majoris ordinis, ac dignitatis recitavit; cum caeterae conſequantur alias. Et quum inſtat ſex illos Epiſcopos fuiſſe quidem *depoſitos*, ſed non *iteratas* ordinationes ab ipſis antea factas. Factum id ajo, propterea quod renuit Chryſoſtomus prave ordinatos in honoribus male adeptis inſtaurare; ut omittam ea, quae in hanc rem dixi n. 4. hujus argumenti.

Tandem cum ſubdit; depoſitis Epiſcopis indultum eſſe, ut *intra Altare communicandi* facultatem haberent: illud autem non fuiſſet, ſi *Laici* prorſus habiti fuiſſent: Concedo; non enim uno ordine ſublato, caeteri quoque ſemper auferebantur: memineritque can. 2. Concilii Toletani I. anno 400. coacti, quo de Poenitentibus decernitur: *Si qui autem ante ordinati ſunt Diaconi, inter Subdiaconos habeantur*: & can. 4. *Subdiaconus autem defuncta uxore, ſi aliam duxerit ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Oſtiarios, vel inter Lectores... qui vero tertiam acceperit, abſtentus biennio poſtea inter Laicos reconciliatus per poenitentiam communicet*. Cum igitur illi ſex *Epiſcopi* ab Antonino ordinati jam antea in Clero eſſent, depoſiti in Clero permanſerunt. Poſtea non video, quin quiverit Chryſoſtomus quibuſdam prave ordinatis, ac depoſitis *intra Altare communicandi* poteſtatem facere quibuſdam ex cauſis, de qua re alias.

III. Poſſent obiicere Epiſtolam XVII. *Zachariae* Papae, quam Auſtroberto Viennenſi Archiepiſcopo tranſmiſit, ſcripſitque: *De Epiſcopis vero per pecuniam ordinatis hoc vobis reſcribimus; ut ſi utiles ſint, pro tali facto ſeveriſſime corrigantur: non tamen penitus dejiciantur a ſuo Ordine, doleantque ſe per quod illicite in tanto ordine ab eis commiſſum eſt*: ſed enim primum ea Epiſtola in ſu-

ſuſpicionem confictionis poſtulatur a viro magni criterii Pagio ad ann. 742. n. 13. Deinde etiamſi vera cenſeatur; nihilominus tamen Simoniaci *ante ſententiam degradationis* ſi non licite, *valide* ſaltem ordinant, & conſecrant juxta Magiſtri ſentent. doctrinam in 4. d. 25.

XXXII. IV. Proferunt & *Fulberti Carnoten.* Epiſcopi Epiſtolam anno circiter 1020. ad Leuterium Senonen. Antiſtitem conſcriptam, qua interrogatus ille de quodam Presbytero ab Epiſcopo non *ſuo*, & *ſimoniace* ordinato reſpondit; eum non eſſe iterato ordinandum, ſed juxta can. 9. Concilii Toletani XI. deponendum, ac communione privatum poenitentiae addicendum; mox ſi profecerit, in ſuum honorem reſtaurandum. Qua in re reſpondeo, Fulbertum unum eſse, & ab uno Toletano Concilio deceptum; quod nec ab eo forſan intellectum ſatis ſuſpicari poteſt; quandoquidem antiqui Canones Nicaeni, aliique jam producti *irritam* & *infirmam*, hoc eſt *invalidam* dixerunt ordinationem Epiſcopi, qui alienae Dioeceſis Clericum, & ſimoniace ordinarent: & ad Concilium Toletanum XI. verba feci n. 7. Nam quod Fulbertus ait, *rebaptizationes*, & *reordinationes* fieri Canones vetare; verum eſt de veris, non de falſis, & invalidis.

V. Objiciunt mox illud *Henrici II.* al. *III.* Regis, nimirum allocutionem ejus anno 1046. ad Antiſtites Simoniacos factam, quam refert Glaber lib. 5. cap. 2., & qua cum primum eos ſecundum Canones *deponendos*; exinde miſericordia motus ſuis illos honoribus, ſedibuſque frui permiſit; quaſi vulgaris eſset tunc omnium opinio, *Simoniacorum* ordinationes fuiſſe ratas, ac validas. Verum quid ad nos de Principe Laico, cujus nec eſt iſta multum ſcire, nec aperte jure decernere; quando Rom. Pontifices, & Concilia, id autem eſt Eccleſia, contrarium ſemper ſanxerunt? Porro Henricus iſte filius fuit Henrici *Simoniaci*, ut ipſe teſtatur ibi.

XXXIII. VI. Nam *Clementis II.* ſtatutum, quod adducunt, editum anno 1047., & a *Leone IX.* an. 1049. ſecutum teſte Petro Damiani opuſc. 6. cap. 35. & ſupra n. 12. recitatum: *ut quicumque a Simoniaco conſecratus eſſet &c.*, quo poenitentia ordinatis indicitur, ſed ordo iterari non jubetur: notum eſt, conditum eſſe pro iis, qui non ſimoniace, ſed *gratis*, & ſine pecunia fuerant a *Simoniacis* ordinati; de quibus nondum Eccleſia decreverat.

VII.

At, inquies, *Simoniaci* tamen ordinatio ibi non improbatur. Utique, ſed ſimoniaci nondum ab Eccleſia proſcripti, nec poteſtate ſpoliati; inquit enim Magiſter ſenten. lib. 4. d. 25. *De Simoniacis non eſt ambigendum, quin ſint haeretici; qui tamen ante ſententiam degradationis & ordinant; & conſecrant*: poſtea vero non; praeter id quod n. 23. diſſerui.

VII. Denique *Conſtantienſe* generale *Concilium* opponunt; in quo ſeſſ. 43. *contra ſimoniacam pravitatem* declaratum eſt, *quod ordinati ſimoniace ab executione ſuorum Ordinum ſint eo ipſo ſuſpenſi*: executio itaque, dicunt, officii ſuſpenditur, ſed ordinatio non judicatur *irrita*. Veruntamen notent velim, Caput illud de Simonia valde mutilum eſse, & mancum; nam in Append. dicti Concilii lib. 5. tit. 2. *de Simonia* longe fuſius habetur; ibique etiam *depoſitio* ordinatoribus infligitur, quae eſt vetus Eccleſiae poena pro *Miniſtris* Ordinis; & jus antiquum; pro *ordinatis* vero jus novum forſan placuit Concilio condere ſuis de cauſſis; quod ſecutus eſt Paulus II. c. *Cum deteſtabile* de Simonia Extr. Com., ubi *ordinatoribus* excommunicationem, privationem, aliaſque antiquorum poenas irrogari mandat; *ordinatis* vero tantum officii ſuſpenſionem indicit ob eam, ut puto, cauſsam, quam proxime memoravi. Quinimmo multo ante *ſuſpenſionis* poenam Innocent. III. nonnullis Clericis ab Epiſcopis non ſuis ordinatis inflixit *pro eo maxime, quod quosdam eorum per falſas literas, & Simoniacam pravitatem accepimus fuiſſe promotos: unde ordinatores a poteſtate ſuſpendimus ordinandi, & ordinatis executionem interdiximus ordinum taliter ſuſceptorum*: inquit Pontifex Epiſt. 11. lib. 14. & Epiſt. 218. lib. 15.

CAPUT VIII.

De Haereticorum ordinationibus.

I. Dixi jam de una Haereticorum ſpecie, ſive de *Simoniacis*; dicam nunc de *Haereticis* generatim. Nam ſi quorum unquam ſacrae ordinationes judicatae ſunt irritae, nullae, & *invalidae*, idque olim omnium conſenſu; eae Haereticorum plane fuiſſe noſcuntur cum

in Graeca Eccleſia, tum in Latina; ſi de iis quidem, qui vere, ac proprie Haeretici vocantur, ſermonem habuerunt; quoniam hi re vera extra Eccleſiam eſſe dicuntur, & ſunt; ideoque Eccleſiae Miniſtri eſſe non poſſunt: inquit enim S. Thomas 4. d. 7. q. 3. art. 1. §. ad primum argumentum: *proprii diſpenſatores Sacramentorum ſunt Miniſtri Eccleſiae per Sacramentum Ordinis conſecrati, ut ſint medii inter Deum, & plebem Divina populo tradentes: & ideo ſolis eis competit ex officio Sacramenta miniſtrare; nec per alium conferri poſſunt excepto Baptiſmo propter neceſſitatem*. Dixi, qui vere, & *proprie haeretici* vocantur: quoniam non ſolum *Schiſmatici* perſaepe Haereticorum nomine venire conſueverunt, ut poſtea videbitur; ſed ipſi etiam *Catholici*, & viri valde pii aliquando hanc ignominiam ſunt per errorem perpeſſi; uti obſervavit eruditiſſimus Pagius ad ann. 491. n. 7. & ſeqq. Semel ac igitur quis ab Eccleſia ſe omnino ſegregat; Eccleſia quoque eum pro ſuo nequaquam reputat, habetque Miniſtro; ſed ſi non *characterem*, quem aut non poteſt, aut non vult, cum non expediat, auferre; omnem illi tamen ordinandi, ac miniſtrandi *poteſtatem* abrogat, & aufert.

II. Teſtatur id in primis canon 67. al. 68. Apoſtolorum; cujus verba ſunt: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ſecundam acceperit ordinationem ab aliquo; deponatur & ipſe, & qui ordinavit: niſi oſtendat ſe ordinationem habere ab Haereticis: qui enim a talibus baptizati ſunt, aut ordinati; nec fideles, nec Clerici eſſe poſſunt*. Quo loco non eſt ſermo de Haereticis ordinationis *formam* adulterantibus, uti perverſe judicat VVitaſſe ſect. 7. Obj. 1., ſatis enim eſt notum, quid in hac re ſentirent Orientis Antiſtites, & quid tenerent: nec tantus vir id ignorare poterat: erat igitur animi ingenui, maxime Theologi fateri quod erat; non autem verbis tam apertis vim inferre, & vim veritati contrariam. Nam nec omnes Haeretici formam aut Baptiſmi, aut Ordinationis pervertebant; nec, ſi pervertiſſent, Orientalis canon id tacuiſſet; nec adeo late locutionem laxaſſet: poſtea quae mox dicentur, clarius oppoſitum oſtendent.

III. Firmilianus enim Caeſareae Cappadociae ſummus Antiſtes, religione non minus, quam doctrina *magnus* Epiſtola ad S. Cyprianum; quam nuper oppugnatam, ac nutantem arbitror me ſatis firmaſſe; reſcripſit de hac re in hunc modum: *Sed &*

cae-

caeteri quique Haeretici, ſi ſe ab Eccleſia Dei ſciderint, nihil habere poteſtatis, aut gratiae poſſunt: quando omnis poteſtas, & gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi praeſident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem... Quod totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiae locus eſt, collecti in unum, convenientibus ex Galatia, & Cilicia, & caeteris proximis Regionibus confirmavimus. Quod quidem ſtatuerunt & quotquot opinati ſunt Haereticorum *Baptiſma* nullum eſſe; nam ubi Baptiſma nullum eſt, & nulla ordinatio: id autem Orientales omnes cenſuiſſe teſtis eſt illorum temporum ſcriptor S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus literis ad Sixtum PP. datis apud Euſebium lib. 7. cap. 4., quibus ſignificat hoc ipſum definitum fuiſſe *in maximis Epiſcoporum Conciliis, in Eccleſiis maxima hominum frequentia celebratis Synodis fratrum tum Iconii, tum Synnadis, tum aliis multis in locis convocatis*. Hinc Baronius in notis ad Martyrologium Rom. auctum, & emendatum non dubitavit aſſerere ad 4. non. Auguſti de *S. Stephano* Papa, eum *adverſante Orbe fere toto de Baptiſmate* tutatum eſſe *majorum traditionem*.

IV. Si quidem non Orientales modo, verum etiam Afri univerſi ſub Agrippino Carthaginien. Epiſcopo in eandem de Haereticis ſententiam conſpirarunt; quos ſequutus Afer & ipſe *S. Cyprianus* Epiſt. 52. ad Antonianum de *Novatiano*, quem & Schiſmaticum, & Haereticum appellat, ſcribit: *qui ergo nec unitatem Spiritus, nec conjunctionem pacis obſervat; & ſe ab Eccleſiae vinculo, atque a Sacerdotum Collegio ſeparat; Epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere, nec honorem, qui Epiſcopatus nec unitatem valuit tenere, nec pacem*: & Epiſt. 76. ad Magnum magis ſententiam ſuam expreſſit his paucis: *dicimus omnes Haereticos omnino, & Schiſmaticos nihil habere poteſtatis, ac juris in Eccleſia*: lib. vero de Unitate Eccleſiae iſtahaec nos docet: *hinc haereſes... hi ſunt, qui ſe ultro apud temerarios convenas ſine Divina diſpoſitione praeficiunt; qui ſe Praepoſitos ſine ulla ordinationis lege conſtituunt; qui nemine Epiſcopatum dante Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt*.

V. Sic & S. Optatus Milevitanus Epiſcopus etiam ipſe Africanae Regionis lib. 1. contra Parmen. hoc modo diſſerit: *Vides ergo, frater Parmeniane, Haereticos a domo Dei extorres ſolos habere vana, & falſa Baptiſmata... bene clauſiſti hortum Haereti-*

ticis ... vobis vero Schiſmaticis, quamvis Catholici non ſitis, haec negari non poſſunt: & lib. 5 non diſſimilia loquitur, dum inquit: *Scimus Haereticorum Eccleſias ſingulorum proſtitutas nullis legalibus Sacramentis, & ſine jure honeſti matrimonii eſſe*. Quod ſi Haereticorum vana, & falſa *Baptiſmata* dicit; quanto magis *ordinationes* eorundem. Non me fugit, pleroſque reſpondere, loqui eum de iis Haereticis, qui *formam* Sacramentorum depravant, non de omnibus. Sed neminem moror in re tam putida, futilique: quis eſt enim, qui non animadvertat Optatum Haereticos cum Schiſmaticis conferre, non cum Haereticis; neque de *forma* Sacramentorum eum inquirere, ſed de *Miniſtro?*

VI. Magnus itidem Baſilius Firmiliani, quem paulo ante memoravi, in Cathedra ſucceſſor Epiſt. can. ad Amphilochium n. 1. annon de Haereticis ab Eccleſia omnino ſegregatis ſcripſit: *qui autem abrupti ſunt, Laici effecti nec baptizandi, nec ordinandi habent poteſtatem?* cum & Epiſt ad Nicopolitas clamet: *Neſcio Epiſcopum; nec connumeraverim inter Sacerdotes Chriſti eum, qui a profanis manibus* (Haereticorum) *in deſtructionem fidei ad praelationem provectus eſt: hoc eſt judicium meum*: immo omnium nedum Orientalium, ſed Afrorum etiam, eorum ſcilicet, qui Haereticorum Baptiſma irritum eſſe, ac nullum docuerunt; de quibus alias diſſerui in *Germana S. Cypriani, & Firmiliani de Haereticorum Baptiſmate opinione*. At iſti in ea de Baptiſmo Haereticorum controverſia erraverunt. Utique: ſed in hac cauſſa, quae valde diverſa eſt, recte ſenſiſſe videbimus. Deinde etiam S. Athanaſius lib. de Synodis percontatur de illis *Arianis*, qui Nicaenam Synodum, Nicaenoſque Patres criminabantur: *quid docebunt populos ab ipſis inſtitutos? an Patres ſuos lapſos eſſe? aut quomodo ipſi veri ... aut quo jure ipſi Epiſcopi eſſe poterint; ſi ab Haereticis, quos ipſi criminantur, conſtituti ſunt?*

VII. Quandoquidem etiam Julius I. Papa Epiſtola ad Orientales in S. Athanaſii cauſſa de quodam Piſto Presbytero, quem Secundus Ptolemaidis Epiſcopus Arianus ab Alexandro Alexandr. Antiſtite, Nicaenaque Synodo condemnatus, ac exauctoratus ordinaverat; in hunc reſcripſit modum: *impoſſibile enim eſt, Secundi ordinationem utpote Ariani vim ullam in Catholica Eccleſia habere: id enim vere ad Synodi, & ad Epiſcoporum, qui in Synodo fuere, contumeliam verteret*. Quid autem eſt, nullam

vim

vim habere: niſi irritum, atque *invalidum* eſſe? idque propterea quod Secundus non *characterem* Ordinis, ſed ordinandi *poteſtatem* perdiderat; ſimulatque depoſitus, damnatuſque fuerat ob lapſum in Arii turbolentam haereſim. Hinc in Epiſtola Philippopolitani Euſebianorum Conventus anno 347. contra Synodum Sardicen. Catholicorum coacti haec adverſus *Lucium* Adrianopolis orthodoxum Epiſcopum verba legimus: *Lucius ſacrificium a ſanctis, & integris Sacerdotibus confectum, ſi fas eſt dicere, canibus projiciendum jubebat:* idque etiam egiſſe & *Marcellum* Ancyranum, & *Aſclepam* Gazenſem, & S. *Athanaſium* Alexandr. aut de Euchariſtico pane, aut de *Altari* ſacro ſubverſo, dirutoque narratur: quod quidem etſi calumnia de quibusdam uti de Athanaſio dicenda eſt; tamen de aliis credi poteſt verum fuiſſe; proptereaquod *Euſebianos* uti Arianos, ideoque haereticos habebant; proindeque ſine autoritate ſacrificandi, ordinandi, atque benedicendi.

VIII. Extat & ex Haereticis exemplum in rem noſtram: nam S. Hieronymus in Chronico ad annum 351. de Cyrillo Hieroſolymitano iſta refert: *Cyrillus cum a Maximo* (Epiſcopo Hieroſolym.) *fuiſſet Presbyter ordinatus; & poſt mortem ei ab Acacio Epiſcopo Caeſarienſi, & caeteris Arianis Epiſcopis Epiſcopatus promitteretur; si ordinationem Maximi repudiaſſet; Diaconus in Eccleſia miniſtravit: ob quam impietatem Sacerdotii mercede penſatus in Heraclium, quem moriens Maximus in ſuum locum ſubſtituerat, varia fraude ſolicitans de Epiſcopo in Presbyterum regradavit*. Maximi Catholici, quem Ariani haereticum putabant; aut volebant, ordinatio *irrita* judicata eſt; ut & illa Heraclii itidem Catholici ab ipſis Arianis; qui Catholicos omnes homouſianos *Sabellianos* ob id *haereticos* ubique divulgabant. Certe & Rufinus Hiſt. lib. 1. cap. 23. habet: *Hieroſolymis vero Cyrillus poſt Maximum Sacerdotio, confuſa jam ordinatione, ſuſcepto; aliquando in fide, ſaepius in communione variabat*: uterque autem & Hieronymus, & Rufinus eo tempore vivebat; & uterque Hieroſolymis fuit. Certe Anaſtaſius Sinaita, qui circa ann. 630. ſcribebat, referens celebrem Orthodoxi cum Golianiſta haeretico habitam Alexandriae diſputationem ponit aut id, quod ſumunt haeretici, *non eſſe verum Corpus Chriſti, ſed ſolam figuram, & quaſi Vicarium quoddam; aut propter perver-*

ſam eorum *fidem Spiritum ſanctum in illud non deſcendere:* cap. 23. de Euchariſtiae Sacramento.

§. 1. *De S. Innocentii I. dictis.*

IX. Sanctus Innocentius I. Epiſt. 18. ad Alexandrum Antiochiae Epiſcopum ſolum *Baptiſma* ratum, validumque in haereticis agnoſci tradit, cum ait: *Arianos, caeteraſque ejuſmodi peſtes, quia eorum Laicos converſos ad Dominum ſub imagine poenitentiae ſuſcipimus; non videtur Clericos eorum cum Sacerdotii, aut Miniſterii cujuſpiam ſuſcipi debere dignitate: quoniam quibus ſolum Baptiſma ratum eſſe permittimus, quod utique in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti perficitur; nec Spiritum ſanctum eos habere ex illo Baptiſmate, illiſque myſteriis arbitramur: quoniam cum a Catholica fide eorum Auctores deſciſcerent, perfectionem ſpiritus, quam acceperant, amiſerunt: nec dare ejus plenitudinem poſſunt; quae maxime in ordinationibus operatur; quam per impietatis ſuae perfidiam perdiderunt. Quomodo fieri poteſt, ut eorum profanos Sacerdotes dignos Chriſti honoribus arbitremur, quorum Laicos imperfectos, ut dixi, ad ſanctus Spiritus percipiendam gratiam cum poenitentiae imagine recipiamus?* ideſt per manus impoſitionem.

X. Reſpondet Lupus Diſput. 2. Prooem. de *Simoniac Crimine* cap. 17., Sacramentum eſſe *ratum* in haereſi ſuſceptum non eſſe idem, ac *validum;* ſed eſſe per legitimam Divinorum, vel Eccleſ. Canonum viam reparabile: in haereſi *Baptiſma* ſumptum ſemper per poenitentiam; *Ordines* vero nulla unquam via Canonum antiquam reparaſſe Eccleſiam. Quo plane nihil falſius: annon Synodus Nicaena *Catharos*, quos ipſe dicit haereticos, per ſolam manus impoſitionem admiſit can. 8., & *Paullianos* per novam ordinationem can. 19.? annon S. Auguſtinus pluribus in locis affirmat *Schiſmaticos*, & *Haereticos* modo ſuſcipi, modo non; prout Eccleſiae expedire videtur? Poſtea haec explicatio longe abeſt a mente, & ſenſu Romanorum Pontificum, totiuſque Eccleſiae, quae *ratum* pro vero, firmo, ac valido ſemper intellexit.

XI. Nec appoſitior eſt Fraſſenii, & VVitaſſis reſponſio; *Baptiſma* ſolum haberi *ratum*, quod Haeretici miniſtrant, quantum

tum quidem ad honorem, & jura, ſed non quantum ad characterem: nam qui baptizatus eſt, inquiunt, in haereſi, ſimul atque Eccleſiae reconciliatur, omnibus Baptiſmatis honoribus, juribus, ac commodis gaudet; qui autem in haereſi eſt ordinatus, is juxta ſeveriorem Eccleſiae diſciplinam omnibus Ordinum ſuorum juribus, ac honoribus excidit. Quoniam & iſtud aeque falſum affirmo; primum quia baptizatus ab Haereticis arcetur a ſacris Ordinibus, Eccleſiaeque dignitatibus, ut oſtendi Cap. IV. n. 1., deinde quid de aliis Sacramentis in haereſi ſuſceptis Confirmatione, Euchariſtia, Matrimonio &c.? non erunt haec quoque rata hoc modo, ut *Baptiſma?* & tamen hoc ſolum Haereticis permittitur. Tandem annon octo Epiſcopi *Ariani* a Synodo Nicaena ſunt ſuis in honoribus ſuſcepti teſte S. Hieronymo in Dial. adverſus Lucifer., & *Priſcillianiſtae* a Synodo Toletana I., uti fatetur Innocentius I. Epiſt. 23. ad Toletanam Synodum n. 1., qui & Epiſt. 21. ad Martianum Epiſcopum probat Clericos *Bonoſianos* etiam ab Eccleſia recipi; ut omittam *Catharos*, & *Paullianos* ſupra memoratos; aut *Donatianos* ex Auguſtino; alioſque plures, quos fruſtra factum puto recenſere?

XII. Quocirca verum hujus Pontificis ſenſum non potuit non evulgare S. Petrus Damiani Opuſc. 6. pro Simoniacis cap. 22. dicens: *In quibus decretalibus verbis manifeſte datur intelligi, quia in promotionibus Clericorum non immerito fides ordinantis attenditur, ex qua videlicet pendet, ut ordinatio ipſa ſive rata, ſive irrita judicetur. Quod enim tenet ordinator in fide, accipit ordinatus in munere. Enim vero ſi Arianis recta fides ineſſet; etiamſi eos cujuslibet diverſae pravitatis error involverit; facta apud eos conſecratio non periret*: Cum & ante de Novatianis a Nicaena Synodo in ſuis ordinibus ſuſceptis praemiſiſſet: *Si ergo & hi, qui jam ab his ſunt haereticis ordinati, nequaquam ſuo ſunt honore privandi ob id ſcilicet, quia eorum conſecratores in fide non titubant; quid de Simoniacorum ordinationibus ſentiendum, qui & omnia fere Eccleſiaſticae inſtitutionis jura conſervant?... At contra Ariani, qui adverſus Spiritus ſancti divinitatem manifeſta prorſus impietate confligunt, ad Catholicam veritatem redeuntes in male accepti Ordinis perſiſtere dignitate non poſſunt... Quia igitur virtutem Spiritus ſancti in fide non habent, qua videlicet*

 omnis

omnis Eccleſiaſticae dignitatis ordo perficitur; apud eos facta ordinatio canonicis ſanctionibus irrita judicatur: haec, inquam, Petrus Damiani.

XIII. Fruſtraque VVitaſſes Obj. 7. interpretari laborat, eam a Petro ordinationem *irritam* appellari, quae reſtitutionem ad ordines excludit, velut illa Arianorum; *ratam* vero, quae uſum Ordinum admittere poteſt, ut illa Novatianorum, & Donatiſtarum: cum ipſemet Prob. 1. ex Athanaſio, Hilario, Hieronymo, Baſilio, Damaſo, atque eodem Innocentio Papa I. oſtenderit, etiam *Arianos* ejurata haereſi aliquando ad Ordines ſuos fuiſſe admiſſos; ſicut & *Donatiſtas* aliquando quidem receptos, aliquando vero non, ſcriptum reliquit S. Auguſtinus; rejectos legimus eos a Capuana Synodo generali anno 389., ſuſceptos vero ex can. 67. Cod. Afric., porro Donatiſtae affines erant, & quam ſimillimi Novatianorum teſtimonio S. Epiphanii. Praeterea apud quem alium invenitur inſolens iſte loquendi modus, ut *irrita*, vel *rata* ordinatio dicta ſit, quae reſtitutionem ad Ordines excludit, vel admittit? apud neminem unum niſi confictorem, & veritatis impugnatorem: praeſertim cum Petrus Damiani eam *irritam* ordinationem dicat, quae *periret*: quod autem perit, fit ipſum plane nullum; & cum conferat Arianos cum *Simoniacis*, quorum ordinationes nullas, & invalidas dictitabant ii, contra quos ſcripſit Petrus.

XIV. Idem autem Innocentius I. Epiſt. 22. ad Macedones Epiſcopos n. 3. clarius hanc rem explicuit, dum inquit: *cum nos dicamus ab Haereticis ordinatos vulneratum per illam manus impoſitionem habere caput; ubi vulnus infixum eſt, medicina eſt adhibenda ... atque ubi poenitentiae remedium neceſſarium eſt; illic ordinationis honorem locum habere non poſſe decernimus ... ſed e contrario aſſeritur, eum, qui honorem amiſit, honorem dare non poſſe: nec illum aliquid accepiſſe, quia nihil in dante erat, quod ille poſſet accipere. Acquieſcimus, & verum eſt. Certe, qui quod non habuit, dare non potuit; damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impoſitionem dedit: & qui particeps effectus eſt damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non poſſum*: Quae magis declarantur ab antiquo Autore Epiſtolae 4. al. 5. de *Chorepiſcopis* Damaſo Papae adjudicatae his verbis: *per illicitam manus impoſitionem vulneratum caput illi, qui videbantur ali-*

aliquid accepiſſe, habebant: & ubi vulnus infixum eſt, neceſſe eſt medicinam adhibere, qua infixa ſanetur macula; ideſt reiterari neceſſum eſt, quod legitime actum, aut collatum minime probatur; ſi perfectum eſſe debebit. Nam quomodo honorem poſſit retinere, qui ab illo acceperit, qui poteſtatem dare legitime non habuit, invenire non poſſum: cum ille, qui honorem Pontificalem non habuit, Pontificalia non poſſit jura tribuere. Cum igitur Innocentius de haereticis *Bonoſianis*, qui Paulianiſtae erant, quorum & Baptiſmum, & ordinationem iterari juſſit Nicaena Synodus can. 19., verba faciat; cum Autor Epiſtolae Damaſo affixae de *Chorepiſcopis* agat, quibus nulla ordinandi poteſtas inerat juxta illum: & cum Ratiſponen. Concilium anno 803. ex Leonis III. reſcripto, quod admittit Witaſſe, nec non Sveſſionen. II. anno 853., Urbanus II. aliique plures hanc Innocentii Epiſtolam de Ordinationibus *invalidis* intellexerint; fruſtraneus eſt labor eorum, qui eam pervertere conantur: quanquam de *Ratiſpon.* eo Concilio quid ſtatuendum ſit, poſtea ediſſeram.

XV. Praeſertim cum idem ille Innocentius n. 5. addiderit: *ſed Anyſii* (Theſſalonicen. Epiſcopi) *fratris quondam noſtri, aliorumque Conſacerdotum ſumma deliberatio haec fuit; ut quos Bonoſus* (Sardicen. Epiſcopus haereticus) *ordinaverat; ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre ſcandalum; ordinati reciperentur*: & paulopoſt: *qui nihil a Bonoſo acceperunt, rei ſunt uſurpatae dignitatis, qui conficiendorum Sacramentorum ſibi vendicaverunt autoritatem; atque id ſe putaverunt eſſe, quod de his nulla fuerat regulari ratione conceſſum*. Ea autem deliberatio facta fuerat anno 389. in magna Synodo Capuana, in qua quidem *reordinationes*, & *rebaptizationes* prohibitae fuerunt, ſed verae, & validae, non illae Haereticorum inanes, & falſae maxime Paullianorum in Nicaeno Concilio proſcriptorum. Porro *Bonoſiani* Paullianorum ſectarii erant, & germen, uti docet Vigilius Papa in ſuo pro tribus Capitulis Conſtituto; & Gennadius Maſſilienſis de Scriptor. Eccleſ. in *Audentio* Bonoſianos Photinianorum gregales fuiſſe tradit; Photinianos vero Paullianos eſſe admonet Rufinus in Hiſt. lib. 11. Canones Nicaenos exponens, uti & Concilium Arelatenſe II. can. 16., hinc idem Gennadius de Dogmat. Eccleſ. cap. 52. inter eos haereticos, qui quum ad Eccleſiam accedunt, *baptizantur Eccleſiaſtico baptiſmate*, & Paulia-

lianos, & Bonoſianos recenſuit; ſcribitque etiam S. Gregorius M. Epiſt. 61. lib. 9. ad Epiſcopos Iberniae, *Bonoſianos non baptizare in nomine Trinitatis*. Quod ſi rebaptizandi erant eorum Clerici, cum ad Eccleſiam venirent; quanto magis iterum ordinandi; ſi quando digni ſacris Ordinibus judicabantur; uti de Paullianis ſtatuit Nicaena Synodus can. 19. Quapropter & recte, & jure conſtitutum legimus in Capuana Synodo de Clericis Bonoſianis, ut *ordinati reciperentur*: & in caſſum defatigantur quidam iſta ſecus interpretari.

§. 2. *De Concilio Chalcedon. &c.*

XVI. CHalcedonenſe Concilium omnium Eccleſiae coetuum maximum anno 451. *Dioſcorum* Alexandriae Epiſcopum utpote Eutychetis, ejuſque haereſeos pervicacem patronum non ſolum condemnavit, *Epiſcopali eum dignitate nudavit, & ab omni Sacerdotali opere fecit extorrem* ex Act. 3. ejusdem Concilii; verum etiam ordinationes ejus exſufflavit, irritaſque pronunciavit; quemadmodum teſtatur Eccleſiae Alexandrinae Epiſtola ad Leonem Auguſtum data contra Timotheum Aelurum intruſum apud Baronium ad annum 457. n. 22., in qua legimus, Timotheum inter alia ejus facinora *in Dyptichis* poſuiſſe *ſuum nomen, & Dioſcori ab univerſo Concilio condemnati, cujus nec ordinationes ſuſcepit Concilium*: ubi eſt, quod notetur, in ea non *ordinatos* ab eo, ſed *ordinationes* ejus dici rejectas ab univerſo fuiſſe Concilio.

XVII. In libro etiam 4. *Juris Orientalis* extat Epiſtola Anonymi Patriarchae Conſtantinopolitani, quem ego *S. Gennadium* exiſtimo, qua Martyrio Antiocheno Epiſcopo reſpondens praecipit, ut qui ab *Haereticis* ſunt converſi, cum ad Eccleſiam revertuntur, vel convertuntur, *tanquam egregii Laici ad eum gradum ordinentur, in quo prius apud ſuos erant*: *Martyrius* autem ſedit Antiochiae ab anno 459. ad an. 471., quo temporis intervallo Conſtantinopolis Eccleſiae regimen moderabatur *S. Gennadius* doctrina, ac religione conſpicuus; cujus adverſus Simoniacorum haereſim, eorumque ordinationes Concilium an. 459. celebratum ſuperiori capite commemoravi: apparetque eum probe convenire cum Magno Baſilio, ac can. 68. Apoſtolorum, aliiſ-

aliiſque proxime relatis; & hanc fuiſſe Graecorum omnium veterem, perpetuamque doctrinam; cum quibus Latinos conciniſſe videbimus.

§. 3. *De Felice II. al. III.*

XVIII. Nec enim diverſa docuiſſe videtur *Felix II.* al. *III.* Papa in Libello ad Zenonem Imp. decreto Romani Concilii anno 484. contra Acacium CP. Epiſcopum tranſmiſſo de Petro Moggo in Alexandrinam Cathedram intruſo dicens: *ita deinde illicitas ordinationes ejus, vel etiam Timothei* (Aeluri) *utpote haereticorum irritas fecit; atque eos, quantum extra Eccleſiam fuerint, indicavit* Acacius: idque quidem quantum ad rei naturam; cum in *Tractatu*, quo ea, quae pro Acacii defenſione afferebantur, refellit, nuperrima in Concil. Collectione ſub titulo *Supplementi Acaciani* vulgato ſcribat: *itaque venia dignus fuerat, non honore; & maxime ab Haereticis ordinatus nullam Epiſcopalis dignitatis prorſus habere ſubſtantiam*. Quare Smyrnenſis Epiſcopus Metrophanes in Concilio VIII. Act. 6. non ſatis edoctus apparuit, quando aſſeruit: *Felix, qui Simplicio in Pontificatu Romano ſucceſſit, Petrum Moggum in Synodo damnavit, & Acacium abrogavit: contra ordinatos autem ab utroque nulla expreſſa lata eſt ſententia*. Quod enim una ſedes Apoſtolica, Patriarchaliſque ſtatuebat in Haereticos, eorumque fautores; hoc & caeterae, quando quidem invicem inter ſe communicarent, agebant, firmabantque: cum igitur Acacius primo Petri Moggi, & Timothei Aeluri illicitas ordinationes veluti haereticorum *irritas* edixerit; id etiam egiſſe Felicem Papam affirmemus oportet; etſi in ejus Epiſtolis, Synodoque iſtud non legatur; propterea quod leges Eccleſiaſticae omnibus eſſent exploratae; nec omne, quod factum eſt, id literis mandatum legitur.

§. 4. *De Concilio Aurelian. I.*

XIX. Concilium Aurelianenſe I. anno 511. congregatum can. 10. decrevit *de Haereticis Clericis* (Gothis Arianis) ... *vel de Baſilicis eorundem; ut ſi Clerici ... officium, quo eos Epiſcopus dignos eſſe cenſuerit, cum impoſitae manus benedictione ſuſci-*

ſcipiant: & Eccleſias ſimili, quo noſtrae innovari ſolent, placuit ordine conſecrari. Quo loco ſine dubio innuitur iterata ordinatio; cum dicitur: *officium cum impoſitae manus benedictione ſuſcipiant*: ſicut Eccleſiarum conſecratio iterari jubetur. *Benedictionis* enim nomine ſacram venire *ordinationem* liquet ex Epiſt. 22. Innocentii I. ad Macedoniae Epiſcopos n. 4., qua inquit: *ſed dicitur, vera, ac juſta legitimi Sacerdotis benedictio auferre omne vitium, quod a vitioſo fuerat injectum*: cui reſpondet Pontifex: *ergo ſi ita eſt, applicentur ad ordinationem ſacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei; quia per benedictionem ordinationis crimina, vel vitia putantur auferri. Nullus ſit poenitentiae locus, quia id poteſt praeſtare ordinatio, quod longa ſatisfactio praeſtare conſuevit*. Cui ſimile eſt illud Concilii Neocaeſarien. can 9. *Presbyter ſi praeoccupatus corporali peccato provebatur, & confeſſus fuerit de ſe, quod ante ordinationem deliquerit; oblata non conſecret ... nam peccata reliqua plerique dixerunt per manus impoſitionem poſſe dimitti* juxta Dionyſii verſionem; Iſidorus autem Mercator vertit: *nam caetera peccata cenſuerunt plurimi etiam in ordinatione privari*: id eſt omnino auferri, ac deleri. Item Agathenſe Concilium anno 506. cum can. 16. ſtatuit: *Epiſcopus benedictionem Diaconatus minoribus quam vigintiquinque annorum penitus non committat*: nil aliud autumavit, niſi Diaconorum ordinationem; ut perſpicue oſtendit inſequens canon 17. *Presbyterum vero, vel Epiſcopum ante triginta annos ... nullus Metropolitanorum ordinare praeſumat*: nam & Symmachus Papa Epiſt. 25. ad Hiſpaniae Epiſcopos ait: *etſi ipſe quidem a redemptione liber initiaverit benedictione myſtica Sacerdotem &c.*, & Concilium Epaonenſe anno 517. can. 2. decrevit: *ne ſecundae uxoris, aut renuptae maritus Presbyter, aut Diaconus ordinetur ... ille autem, qui contra fas honorem prohibitae benedictionis ambierit, nihil ſe Clericalis miniſterii praeſumpturum*.

XX. Etiam Leo Magnus Epiſt. 11. al. 81. ad Dioſcorum Alexandr. Epiſcopum n. 1. ſcripſit: *non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur; ſed poſt diem ſabbati ... jejuni a jejunantibus ſacra benedictio conferatur ... ne tantae benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. Ut his, qui conſecrandi ſunt, nunquam benedictiones niſi in die reſurrectionis Dominicae tribuantur ... in die illo celebranda nobis eſſe myſteria* Sa-

Sacerdotalium benedictionum, in quo collata ſunt omnia dona gratiarum: & antiquus Ordo Romanus: *Epiſcopi omni tempore benedicuntur; nunc vero mos eſt, ut nocturno tempore benedicantur*. Sed & Arauſicanum Concilium I. anno 441. can. 23., nec non Arelatenſe II. can. 45., & Aurelianenſe 5. anno 549. can. 4. habent: *Si quis Diaconus* (al. Clericus) *poſt acceptam benedictionem Leviticam cum uxore ſua incontinens invenitur, ab officio ſuo dejiciatur*: quod & affertur ex Hormiſda PP. c. 29. *Si quis Diaconus* d. 50. Similiter Autiſiodoren. Concilium anno 578. can. 20. *Quod ſi Presbyter, quod nefas eſt dicere, aut Diaconus, aut Subdiaconus poſt acceptam benedictionem infantes procreaverit; aut adulterium commiſerit; & Archipresbyter hoc Epiſcopo, aut Archidiacono non innotuerit, ſi ſcit: integro anno non communicet; illi vero, qui hoc commiſerint, deponantur*: & can. 21. *Non liceat Presbytero poſt acceptam benedictionem in uno lecto cum Presbytera ſua dormire; nec in peccato mortali miſceri: nec Diacono, aut Subdiacono*: & Matiſconenſe I. anno 581. can. 11. *Epiſcopi, Presbyteri, vel univerſi honoratiores Clerici cum ſublimi dignitatis apice ſublimantur... quiſquis ille eſt, divino munere benedictione percepta, uxori prius ſuae frater illico efficitur ex conjuge &c.* Toletanum vero VIII. anno 853. can. 9. *Relatum eſt nobis, quosdam Subdiaconos, poſtquam ad ſacrum hujus Ordinis pervenerunt gradum, non ſolum carnis immunditia ſordidari,... ſed etiam, quod dictu nefas eſt, novis uxoribus copulari, aſſerentes hoc ideo ſibi licere, quia benedictionem a Pontifice ſe neſciunt percepiſſe*: jubetque Concilium, eos in poſterum benedici; *ut mos eſt in quibuſdam*, inquit, *Eccleſiis*: ubi benedictionis nomine intelligi ordinationem elicitur ex can. 5. Concilii Carthagin. IV., cum ait: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit patenam de manu Epiſcopi accipiat &c.*, quod habet & Iſidorus lib. 2. Offic. cap. 10., Rabanus Maurus, aliique plures. Tandem inter *Reſponſa* Stephani II. anno 754. edita n. X. legitur *de illo Presbytero, qui dicit ſe neſcire, qui eum benedixit; & tamen aliquantum temporis Miſſas fecit, & baptizavit... pro quo omni modo abjiciendus eſt*: & n. XIII *de illo Presbytero, qui baptizavit; tamen nec... ſcit, ſi Epiſcopus eum benedixit &c.*, ut alia mittam monumenta, quae ſignificant, temporibus illis ſaepe ordinationem *benedictionis* nomine veniſſe.

§. 5.

§. 5. *De S. Joanne I. PP.*

XXI. CErte S. Joannes I. Papa Eccleſias *Arianorum* in Italia iterum conſecrari praecepit eo, quo ipſe peragebat in Oriente, modo; teſtante Gregorio Turonen. Epiſcopo de Mirac., & Gloria Martyrum cap. 40., ejusdemque Pontificis *Epiſtola* ad Epiſcopos Italiae; quam etſi commentitiam plures eruditi viri conſcripſerunt; eam tamen laudavit Paſchalis II. in Epiſt. 50. ad R..ardum Moguntinum Antiſtitem, & S. Thomas 3. p. q. 83. art. 3. ad 3. Cum enim Theodoricus Gothorum in Italia Rex anno 524. coegerit eundem Johannem Papam Conſtantinopolim ad Juſtinum Imp. transfretare; *& pro Arianis, ne baereſi ſua per vim abducerentur, legatione fungi*; uti ſcribit Anonymus Valeſianus, & Theophanes: veriſimile eſt, in Oriente Arianorum Eccleſias juſſu Imp. Juſtini eis ablatas iterum a Catholicis conſecratas fuiſſe; idemque feciſſe & ipſum Pontificem Joannem, dum in Oriente moraretur; ac ad Italiae Epiſcopos literas dediſſe; ut ſi quas invenirent, poſſentque, iterato ſacrarent; & ut ut ſit de ea Epiſtola, certe Anonymus tradit Johannem Theodorico dixiſſe: *hoc tibi ego non promitto me facturum; nec illi* (Juſtino) *dicturus ſum . . . cui audita legatione omnia repromiſit* (Juſtinus) *facturum praeter reconciliatos, qui ſe fidei Catholicae dederant, Arianis reſtitui nullatenus poſſe . . . Revertens igitur Joannes Papa a Juſtino, quem Theodoricus cum dolo ſuſcepit, & offenſa ſua eum eſſe jubet.* At propterquid hoc, niſi quia Theodoricus, quod poſtulaverat de Arianis, non impetravit? & ſi Arianos *reconciliatos* non obtinuit; nec eorundem *Eccleſias* expiatas; tametſi libri Pontificalis Autores refragentur: ſed major eſt mihi Anonymi ſynchroni autoritas.

XXII. Enim vero c. *Eccleſiis* d. 68., & de Conſecrat. d. 1. ex Concilio Nicaeno dicitur: *Eccleſiis ſemel conſecratis Deo non iterum debet conſecratio adhiberi, niſi aut ab igne exuſtae, aut ſanguinis effuſione, aut cujuſcunque ſemine pollutae: quia ſicut infans a qualicunque Sacerdote in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ſemel baptizatus non debet iterum baptizari; ita nec locus Deo dicatus eſt iterum conſecrandus niſi propter eas cauſas, quas ſupra nominavimus; si tamen fidem S. Trinitatis tenuerint,* qui

qui eum conſecraverunt: ad quae ſubdit S. Thomas paulo ante productus: *alioquin qui ſunt extra Ecclesiam conſecrare non poſſunt*: uti ſunt Haeretici, aliique non Catholici. Quamobrem Gregorius Magnus Dial. lib. 3. cap. 30. memorat, ſe in urbe *Ecclesiam S. Agathae* antea *Arianorum in fide Catholica introductis illuc B. Stephani, & S. Marthae reliquiis* dicaſſe; quod habet & Epiſt. 19. lib. 3., ubi eam dicit *ſpeluncam aliquando pravitatis haereticae*: idque fieri quoque de aliis Haereticorum Eccleſiis ſanxerunt Nicolaus II., Urbanus II., Concilium Gerunden., & alii plures; quo declararunt, Haereticos *Ordinis* poteſtate non pollere; & Ordinem nullum habere; nam Cap. v. n. 31. ſatis demonſtravi, *Eccleſiarum* conſecrationes Ordinis Epiſcopalis eſſe, & ad ſolos Antiſtites Eccleſiae pertinere. Quod confirmavit & Concilium Vormatiae anno 868. a tribus Archiepiſcopis Germaniae, 18. Epiſcopis, & 7. Abbatibus celebratum can. 8., quo docuit Epiſcoporum eſſe conſecrationem *Virginum*; unctionem, & benedictionem *Altarium*; *Eccleſiarum* conſecrationes; *Chriſma* conficere, & conferre; *manus imponere* ad dandum Spiritum ſanctum, & *poenitentem* publice in Miſſa reconciliare, ſubdens: *haec omnia illicita eſſe Presbyteris cognoſcuntur; quia Pontificatus apicem non habent; quae tamen omnia Epiſcopis autoritate Canonum conceduntur*: idque antea tradiderat Synodus Hiſpalen. II. cap. 7.

XXIII. His accedit, quod habet Caeſarauguſtanum Concilium II anno 592. can. 1. illis verbis: *Placuit ſanctae, & venerabili Synodo, ut Presbyteri, qui ex haereſi Ariana ad S. Catholicam Ecclesiam converſi ſunt; qui ſanctam & puram fidem, atque caſtiſſimam tenuerint vitam; accepta denuo benedictione Presbyteri, ſancte, & pure miniſtrare debere: caeteri vero, qui hanc ſupraſcriptam vitam adimplere, vel tenere neglexerint, ab officio depoſiti sint in Clero: ita & de Diaconibus, sicut & de Presbyteris conſtitutum eſt*: can. vero 3. *Statuit ſancta Synodus, ut Epiſcopi de Ariana haereſi venientes, si quas Ecclesias ſub nomine Catholicae fidei conſecraverint necdum benedictione percepta; a Catholico Sacerdote conſecrentur denuo*. Quibus apparet liquido *benedictionis* vocabulo ſignificari ordinationem ſacram, non autem reconciliationem, ſeu Ordinis confirmationem; ut opinatur Witaſſe Obj. 6., nam ſi rite, ac vere ordinationem *Epiſcopi*

illi

illi haereſis Arianae obtinuiſſent; rite etiam, ac vere Eccleſias conſecraſſent; nec iſtae a Catholico Antiſtite *denuo* conſecrari debuiſſent. Quod ſi *Epiſcopi* vere non erant illi; nec etiam vere *Presbyteri* fuerant alii; qui dum jubentur *denuo* benedictionem accipere; antea porro non reconciliationem, ſeu Ordinis confirmationem acceperant; igitur ordinationem *denuo* accipere jubentur, quia iſthaec fictitia, ideoque nulla fuerat.

XXIV. Illud quidem verum, Canonem 16. Concilii Toletani III. anno 589. coacti, quo Gothorum Rex Recaredus ſe, ſuoſque ſubditos ex Ariana ad Catholicam fidem traduxit, habere: *Quicunque libellum deteſtabilem duodecimo anno Leovegildi Regis a nobis editum* (hoc eſt anno 581.), *in quo continetur Romanorum ad haereſim Arianam traductio; & in quo gloria Patri per Filium in Spiritu ſancto male a nobis inſtituta continetur; hunc Libellum ſi quis pro vero habuerit, anathema ſit in aeternum:* ſed an eadem in Baptiſmo forma uterentur Ariani Hiſpaniae, non ſatis mihi compertum; id tamen velle videntur, & Joannes Abbas Biclarienſis in Chronico, & Gregorius Turonenſis lib. 4. cap. 8., nam in Oriente ſub Anaſtaſio Imp. eam formam: *baptizetur N. in nomine Patris per Filium in Spiritu ſancto*: ab Deuterio Arianorum Epiſcopo Conſtantinopoli uſurpatam fuiſſe memoriae prodidit Theodorus Lector apud Baronium ad annum 506. n. 14. Quod ſi ita quoque in Hiſpania baptiſmi formam corrupiſſent; nemini dubium eſſet, quin & iterum baptizari, ordinarique debuiſſent eorum Clerici, & Sacerdotes ad Catholicam Eccleſiam accedentes: tamen Gregorius Magnus, qui eo ſeculo vixit, & Romanae Cathedrae praeſedit, Epiſt. 61. lib. 9. ad Epiſcopos Iberiae literis mandavit, *Arianos* in nomine SS. Trinitatis rite ſacrum miniſtrare Baptiſma; ideoque variis in Regionibus ipſos varie ſenſiſſe ſtatuendum eſt, & varie egiſſe.

§. 6. *De S. Martino I.*

XXV. Amplius Concilium Romanum ſub S. Martino I. Papa anno 649. adverſus Monothelitas congregatum nonne can. 20. condemnat, ac anathemate ferit eos, qui *ſecundum ſceleratos Haereticos ordinationes vacuas agunt?* eſt autem vacuum,

cuum, quod inane, invalidum, irritum, & nullum. Et idem Martinus Papa Epiſt. 5. ad Joannem Philadelphiae Epiſcopum de *Macedonio* in Antiochenam Eccleſiam ab Haereticis ordinato, *Petroque* quodam Monothelita Alexandrinae ſedis locum occupante ſcribit: *ejus vero, qui falſo Epiſcopatus ſibi nomen affinxit, Macedonii dico importunas literarum minas, ſive proteſtationem fortiter deſpuito ut rabidi canis, & temerarii latratum... Hunc enim Epiſcopum Catholica Eccleſia nullo modo novit... quod conſentiat Haereticis, qui haereſeos ſuae appendicem ejus electionem per contemptum tumultuarie fecerunt: quemadmodum & Petri, qui ab iis nominatus eſt, & aſſimulatus Epiſcopus Alexandriae; ut per plures, & aſcriptitias perſonas haereſim ſuam munitiorem utique reddant*: Epiſt. vero 11. Eccleſiis Hieroſolym., & Antiochenae data inquit: *Macedonium haereticum, quem contra Canones ſibi finxerunt falſum Antiochiae Epiſcopum praedicti Haeretici; quemadmodum & Petrum Alexandriae tumultuarie creaverunt. Hos enim ſibi conſentientes nacti... fictam Sacerdotii impoſuerunt appellationem non ab ullo legitimo ſuffragio, aut Eccleſiaſtica ſucceſſione ad hoc inducti, ſed a prava, & haeretica excogitatione &c.*, ſimulati autem, falſi, fictique Epiſcopi quae ordinationes erunt? ſimulatae, falſae, fictaeque, ideoque nullae.

§. 7 *De Urbano II.*

XXVI. SUccedat his poſt longa tempora Urbanus II., qui Epiſtola 19. Piſtorienſi, & Vallifumbroſae Abbatibus reſpondens ait: *Scripſiſtis nobis, maximum apud vos ſcandalum emerſiſſe, quod Piſanum Epiſcopum conſecraverimus; quandoquidem a Wecilone haeretico Diaconus fuerat ordinatus: & nos profecto ſcimus VVecilonem fuiſſe haereticum, Moguntinumque Epiſcopatum Simoniaco credimus facinore invaſiſſe &c.*, eum autem vocatum fuiſſe Daibertum, & a ſe Diaconum iterato ob id ordinatum jam ſcripſerat Piſtorienſi Epiſcopo, & Vallifumbroſae Abbati c. *Daibertum* 1. q. 7. idem Urbanus: *Daibertum a VVecilone licet Simoniaco non Simoniace ejusdem confeſſione reperimus in Diaconum ordinatum; & S. Innocentii Papae ſententia conſtat declaratum, quod VVecilon, quem conſtat ab Haereticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus impoſuit. Nos igitur tanti Pontificis autoritate firmati, & Da-*

maſi Papae teſtimonio roborati, qui ait: reiterari oportet, quod male actum eſt &c. De quo & ſuperiori Cap. VII. n. 18. actum eſt.

Et falſus eſt Witaſſe ſect. 3. Obj. 8., cum aſſerit, Wecilonem nulla alia de cauſſa ab Urbano Pontifice *haereticum* appellari, quam quod *Simoniacus* eſſet; omnis enim Simoniacus dicitur etiam haereticus: quandoquidem manifeſtum eſt, eum quandam *haereſim* invexiſſe, quae dicebatur *ſecta VVecilonis* an. 1085. in Quintilinoburg. Concilio condemnata, uti Cap. VII. num. 20. eſt exaratum: ipſe vero ordinatus enunciatur ab *Haereticis*, qui non tantum *Simoniaci* erant, ſed qui etiam novam *haereſim* ſuperinduxerant anno 1081., de qua Baronius agit ad eum annum n. 4., & ob quam ſaepe deinceps leguntur *Haereſiarchae*, & *haeretici* in Conciliis quibusdam proſcripti: ſed & in Lateran. Synodo anno 1102. ſub Paſchali II. haec profeſſionis formula eſt omnibus propoſita: *Anathematizo omnem haereſim, & praecipue eam, quae ſtatum praeſentis Eccleſiae perturbat; quae docet, & adſtruit, anathema contemnendum, & Eccleſiae ligamenta ſpernenda eſſe*: quae fuit procacis, delirantiſque Wecilonis aſſertio.

XXVII. Sed & cuncta illius ſeculi *Schiſmata* non ſine *haereſi* conflata fuiſſe hinc haberi poteſt, in Romano Concilio IV. S. Gregorii VII. anno 1078. convocato Patres dixiſſe: *Thedaldum dictum Archiepiſcopum Mediolanen., & Ravennatem Guibertum inaudita haereſi, & ſuperbia adverſus S. Catholicam Eccleſiam ſe extollentes ab Epiſcopali omnino ſuſpendimus, & Sacerdotali officio ... Hugonem Cardinalem, eo quod aſpirator, & ſocius factus haereſis Cadaoli Parmenſis Epiſcopi; & iterum conſtitutus Legatus Apoſtolicae ſedis Haereticis, & Simoniacis, & ab Apoſtolica ſede damnatis ſe conjunxit; & tertio factus Apoſtata, & Haereſiarcha ſchiſmata, & diviſiones, atque ſciſſuras in Eccleſia Dei tentans eam ſcindere fecit; ab omni Sacerdotali officio privamus &c.* In Conciliis vero Placentino anno 1095., & Romano 1099. ab Urbano II. celebratis can. 8. legi ſtatutum: *Ordinationes, quae a Guiberto haereſiarcha factae ſunt, poſtquam ab Apoſtolicae memoriae Gregorio Papa, & a Romana Eccleſia eſt damnatus; quaeque etiam a Pſeudoepiſcopis per eum poſtea ordinatis factae ſunt, irritas eſſe decernimus*: & can. 9. *Similiter autem & eas, quae a caeteris haereſiarchis nominatim excommunicatis factae ſunt &c.* Fuerunt autem Concilia univerſalia, quorum

rum in Placentino interfuiſſe feruntur 4000. Clericorum; *irritaſque* ibi ordinationes dictas eo modo, quo oſtenſum eſt dixiſſe eundem Urbanum ſuperiori Capite num. 21.

XXVIII. At, inquit Witaſſes Obj. 3. ſect. 6., idem Concilium Placentinum cum Romano can. 10. conſtituit: *Qui vero ab Epiſcopis quondam quidem Catholice Ordinatis, ſed in Schiſmate a Romana Eccleſia ſeparatis conſecrati ſunt; eos nimirum, cum ad Eccleſiae unitatem redierint, ſervatis propriis honoribus miſericorditer ſuſcipi jubemus; si vita, & ſcientia eos commendat*: & canon 11. *Amodo vero quicunque a praedictis Schiſmaticis, ſanctaeque Romanae Eccleſiae adverſariis ſe ordinari permiſerit; nullatenus hac venia dignus habeatur*. Cui reſpondeo Patres Concilii de *ordinatis* in ſuis honoribus ſuſcipiendis verba facere, non de eorum *ordinationibus* admittendis: quod perſpicue ducitur & ex dicto can. 11., & ex inſequenti 12., ubi habetur: *quamvis autem miſericordiae intuitu, magnaque neceſſitate urgente hanc in ſacris Ordinibus diſpenſationem conſtituerimus, nullum tamen praejudicium ſacris Canonibus fieri volumus; ſed obtineant proprium robur: & ceſſante neceſſitate illud quoque ceſſet, quod factum eſt pro neceſſitate*. Numquid diſpenſatio, ſeu relaxatio eſt conſtituta ſuper *ordinationibus* iterandis, vel non? nequaquam; ſed de *ordinatis* in Schiſmate, ut modo reciperentur, modo non. Atqui, ſubdet, nulla iterandarum ordinationum eſt mentio facta: huic reſpondi jam n. 4. praecedentis Capitis. Deinde non quaſcunque Haereticorum ordinationes *irritas* pronunciavit Concilium; ſed factas tantum, *poſtquam* a ſummo Pontifice, & *a Romana Eccleſia* illi fuerant *damnati*, qui eas fecerunt.

XXIX. Sane ille idem Urbanus II. Epiſt. 17. ad Lucium S. Juventii Papien. Praepoſitum, *utrum ſit utendum ordinationibus, & reliquis Sacramentis a criminoſis exhibitis*, ſciſcitantem in hunc reſcripſit modum: *Si ſchiſmate, vel haereſi ab Eccleſia non ſeparantur; eorumdem ordinationes, & reliqua Sacramenta ſancta, & veneranda non negamus ſequentes B. Auguſtinum &c.*, & objicientibus: ſi corpus, & ſanguis Chriſti *proprias virtutis dignitates* habent; *cur ſpernantur, sicubi ab indigno praeſumuntur?* occurrit inquiens: *proprias quidem virtutis dignitates habent, ut praefatus Auguſtinus ait ſuper Joannem contra Donatiſtas; ſed agentibus, vel ſuſcipientibus eadem Sacramenta.... in tan-*

tum obſunt, ut veri Idolatrae ſint; cum talibus & ordinationum, & Sacramentorum confectio, & aliter, quam permiſſum eſt, ſcienter ſuſceptio vehementer a ſacris Canonibus prohibeatur. Haec de malis Catholicis, qui intra Eccleſiam ſunt. Caeterum Schiſmaticorum, & Haereticorum Sacramenta, quoniam extra Eccleſiam ſunt, juxta SS. Patrum traditiones ſcilicet Pelagii, Gregorii, Cypriani, Auguſtini, & Hieronymi formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur: niſi cum ipſi, vel eorum Sacramentis initiati per manus impoſitionem ad Catholicam redierint unitatem. Cumque addiderit, Cornelium, & Stephanum PP., nec non Auguſtinum adverſus S. Cyprianum ſtatuiſſe, *baptiſmum ſive ab Haeretico, ſive Schiſmatico Eccleſiaſtico more celebratum eſſe ratum*: ſubjunxit etiam: *& merito, quia alia in baptiſmo, & alia in reliquis Sacramentis conſideratio eſt; quippe cum & ordine prior, & neceſſarior ſit* Baptiſmus.

XXX. Inſtat autem Witaſſe ſect. 7. Obj. 8., aitque: fatetur Urbanus Sacramenta Haereticorum, & Schiſmaticorum habere *formam*, hoc eſt ſubſtantiam Sacramentorum, ut eruitur ex Epiſt. 77. S. Leonis M., igitur & eorum ordinationes ratae, & validae dicentur. Verum quamvis apud S. Leonem *forma* ſignificet ſubſtantiam; cum ibi de Baptiſmo dumtaxat diſſeruerit; tamen apud Urbanum de quibuſcunque Sacramentis diſputantem ſolum extimam *ſpeciem* notificare plura evincunt: primum quod ſcribat, ea *formam* habere, quam in ipſis admiſerunt Pelagius, Gregorius, Cyprianus, & Hieronymus: iſti vero nullam in Sacramentis iis agnoverunt ſubſtantiam maxime Cyprianus, qui ne eam quidem in illorum Baptiſmo voluit: Deinde quod nullum tunc diſcrimen eſſet inter Sacramenta Haereticorum, Schiſmaticorumque, & Sacramenta malorum Catholicorum: utraque enim obſunt; & utraque virtute, ac effectu carent, ſi prave & miniſtrentur, & ſuſcipiantur: igitur Urbanus per *virtutis dignitates*, quas dicit malorum Catholicorum Sacramentis ineſſe, intellexit Sacramentorum ſubſtantiam, ſeu naturam; per *formam* vero, quam ait Haereticorum Sacramenta habere, ſpeciem externam. Idque confirmat Rupertus Abbas ſcriptor Urbano ſuppar lib. 12. in Matthaeum inquiens: *quislibet Eccleſiae, vel Sacramentorum Chriſti Miniſter, quamdiu in communione univerſitatis manet, quicquid adminiſtrat, ratum eſt: ubi autem a le-*

legitimo judicio denunciatum fuerit praeciſum illud eſſe, vel damnatum; quicquid deinceps operari videtur, ſpeciem quidem pietatis habere poteſt, ſed virtutem ejus habere non poteſt.

XXXI. Approbat inſuper Urbanus *ſolum Baptiſma ratum eſſe* apud Haereticos, & Schiſmaticos non tantum uti fructuoſum, ſalutiferum, & uſurpandum, quemadmodum ſentit Witaſſe; ſed etiam uti verum, & ſolidum, *validumque;* cum non minus ita ſuſcipi queat apud Catholicos, quam apud Haereticos; & non minus *Baptiſma*, quam alia Sacramenta haberi cum fructu poſſint ab Haereticis, ſi tales eſſe iſti ignorarentur: maxime cum agat Pontifex de Baptiſmi ea ratione, de qua fuit Stephanum PP. inter, & Cyprianum controverſia: haec autem fuit de *Baptiſmi* valore, atque ſubſtantia, non de fructu. Quare haec ejus interpretatio non multum abeſt ab ea, quae paulo ante num. 11. eſt & adducta, & confutata: nam ipſemet Urbanus diſcrimen indicavit, quod *prior, & neceſſarior* eſſet; non quod fructuoſus &c.

Amplius notare eſt id, quod *Apologiſta* S. Gregorii VII. apud Venericum Vercellen. Epiſcopum Schiſmaticum, vel Waltramum, vel quicunque eſt, Autorem libri de *Unitate Eccleſiae* in ſua ad omnem Eccleſiam Epiſtola ſcripſit his verbis: *Sciendum, quod VVigbertus* (Antipapa) *arguit Catholicos adſerere illa, quae fiunt extra Eccleſiam, Sacramenta non eſſe; nec aliud quam damnationem cuiquam conferre; adſtruens tam extra, quam intra Catholicam Eccleſiam haec omnia rata, & vera exiſtere: adſumitque in teſtimonium adſertionis ſuae Auguſtini ſententiam in quodam Tractatu in* Evangelium *Joannis contra rebaptizatos edito: quam & nos fideliter amplectentes reſpondemus, hoc Auguſtinum de ſolo, unde agebatur, Baptiſmi dixiſſe Sacramento*: nam probe convenit cum iis, quae Urbanus conſcripſit; Auguſtinum de ſolo *Baptiſmo* interpretandum, & de hoc uno Sacramento hac in cauſſa amplectendum. Verba vero *VVigberti*, ſeu *Clementis* Antipapae habentur in ejus Epiſt. ad Clerum univerſum ab Udalrico in Cod. n. 168. relata hujuſcemodi: *Dicunt attamen Sacramentum Corporis, & Sanguinis D. N. Jeſu Chriſti; Conſecrationes Chriſmatis; imo quaecunque ad Epiſcopale, & Sacerdotale Officium pertinent; ab his, qui ſectae eorum non communicant, celebrata, nulla prorſus eſſe Sacramenta; & nihil aliud ſuſcipientibus*

 niſi

niſi damnationem conferre ... ſic etiam peſſime ſentiunt de reiterandis Eccleſiaſticis Ordinibus; de reconſecrandis Eccleſiis; & pueris reconsignandis &c.

XXXII. Caeterum mentitus eſt Venericus ille, vel Wicbertus; affinxitque ſolis Catholicis id, quod ſentiebant, & perpetrabant Schiſmatici, Haereticique illorum temporum: Hugo enim Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi narrata S. Gregorii VII. morte ſubjungit: *Anno ſequenti perſecutione Henrici* (Imp. Schiſmatici) *Herimannus* (Metenſis Epiſcopus) *Mettim exiit; & ſedem Cathedrae ejus VValo Abbas S. Arnulphi illicite uſurpavit. Actum eſt illic Dei judicio; ut cum ad execrationem ejus Criſma quaereretur; & allatum eſſet Criſma ab Herimanno confectum; Epiſcopus Virdunenſis* (Theodoricus Schiſmaticus) *reprobatum Criſma, quod ſanctum erat, projiceret; & allato ſuo, quod ipſe contra jus, & fas ſacraverat, inde perficeret VValonis ſacrationem; ne benedictionem patris filius impudens mereretur:* id autem iccirco quod Herimannus erat Gregorii VII. fautor; Gregorium vero Schiſmatici vocabant Pſeudomonachum, haereticum, ſimoniacum, & Apoſtolicae ſedis *invaſorem;* propter quod ab ipſis in Conciliabulis Moguntino, & Brixinenſi anno 1080. damnatus fuit, atque exauctoratus, ut narrat Baronius ad eum annum num. 19. & 20., nec non Autor Vitae ejuſdem Gregorii cum Hugone Flaviniac. Quum igitur Schiſmaticus, & haereticus Theodoricus Catholici Epiſcopi, quem *haereticum* rebatur, ſacrum Chriſma projecerit; perſpicuum eſt, etiam Schiſmaticos, haereticoſque ſui temporis aſſeruiſſe, *extra Ecclesiam*, & apud *haereticos Sacramenta non eſſe*: nam idem flagitium in Latinos patratum a *Graecis* legimus in Libello *excommunicationis* Michaelis Cerularii apud Baronium ad an. 1054. n. 25.

§. 8. *De Conciliis XII. ſeculi.*

XXXIII. AD haec adjungi debent ea, quae *Paſchalis II.* effatus eſt in Lateranenſi Concilio anno 1112., ubi ſe confirmare profeſſus eſt, ac ea tenere omnia, quae & *B. Gregorius*, & *Urbanus* ejus anteceſſores decreverant *in omnibus, & per omnia*, ut retuli ſuperiori Cap. VII. n. 24. Et antea ejus Legati in Synodo Northulienſi anno 1106. teſte Urſpergenſi Ab-

Abbate dixerant: *His, qui a Pſeudoepiſcopis* (haereticis Shiſmaticis) *fuerant conſecrati, per Catholicam manus impoſitionem reconciliatio proximo jejunio danda fore promittitur*: quibus apparet, per manus impoſitionem ſignificari ordinationem ſacram; quandoquidem *Pſeudoepiſcopi* non ſunt Epiſcopi; ideoque ordinare non poſſunt; & ſacras ordinationes, non ſimplices reconciliationes, *jejunii* tempore fieri debere didicimus: praeſertim cum ſubdatur ibi: *Chriſma eorundem, quod contra edictum Archiepiſcopi* (Moguntini) *in coena Domini confecerant; adnihilatum eſt*: ut eſt apud Annaliſtam Saxonem Eckardi ad annum 1105., quo integra Acta Concilii recitat: Igitur ſi nullum Chriſma, nulla & Ordinatio. Etiam Paſchalis II. Epiſt. ad G. Epiſcopum Conſtantien. to. 1. Anecd. Martene pag. 336. inquit: *de confecto ab Haereticis Chriſmate, vel Oleo ratio ſuggerit, ut pro Divinae invocationis reverentia inter Eccleſiam debeat concremari*. Sed clarior eſt Concilii Lateranen. Oecumenici I. anno 1123. ſub Calliſto II. celebrati definitio, quae can. 6. eſt hujuſcemodi: *Ordinationes, quae a Burdino haereſiarcha, poſtquam a Romana Eccleſia eſt damnatus; quaeque a Pſeudoepiſcopis per eum poſtea ordinatis factae ſunt, irritas eſſe decernimus*: nec non altera Lateranen. Concilii Oecumenici II. anno 1139. ab Innocentio II. congregati can. 30. *Ad haec ordinationes factas a Petro Leonis* (Pſeudopapa), *& aliis Schiſmaticis, & Haereticis evacuamus, & irritas eſſe cenſemus*: quae & in magno Rhemenſi Concilio anno 1148. ab Eugenio III. coacto eſt confirmata illis can. 17. verbis: *Illud etiam, quod a praedeceſſore noſtro Papa Innocentio ſtatutum eſt, innovantes, ordinationes factas a filio Petri Leonis, & aliis Schiſmaticis, & Haereticis evacuamus, & irritas eſſe cenſemus*: Evacuare autem quid eſt aliud, quam aliquid nullum eſſe declarare?

XXXIV. In Veneto ſimiliter Concilio 1177. ab Alexandro III. convocato, editoque pro pace cum Friderico I. Imp. componenda *intruſi, & Schiſmatici* Antiſtites ad Catholicam Romanam Eccleſiam venientes *abiuraverunt ſchiſma, & haereſim Octaviani, Guidonis Cremenſis, & Joannis de Struma* (Antipaparum); *eorumque ordinationes irritas eſſe pronunciantes... reconciliati ſunt, & unitati Eccleſiae aggregati* ex Actis ejuſdem Alexandri III. Denique in Oecumenico Concilio Lateran. ul-

anno 1179. ſub eodem Alexandro III. can. 2. itidem decernitur: *Quod a praedeceſſore noſtro felicis memoriae Innocentio factum eſt innovantes, ordinationes ab Octaviano, & Guidone Haereſiarchis, nec non & Joanne Strumenſi, qui eos ſecutus eſt, factas; & ab ordinatis ab eis, irritas eſſe cenſemus*: idemque fuerat ſtatutum antea in magno Concilio Turonenſi v. an. 1163. a praedicto Alexandro congregato can. 9. al. 12. Hinc Albertus Staden. Abbas in Chronico prodidit, Antiſtites illos, qui in *Schiſmate* contra dictum Alexandrum ſteterant, Schiſma abdicantes hac uſos eſſe forma praeſcripta: *Ego N. anathematizo, & recuſo omnem haereſim extollentem ſe adverſus S. Romanam Eccleſiam Catholicam, praecipue vero ſchiſma Octaviani, Guidonis, & Joannis; & ordinationes eorum irritas judico, & eis contradico &c.* & tamen poſt tot SS. Patrum, Rom. Pontificum, & Conciliorum tam manifeſta decreta ordinationes *Haereticorum* irritas, & vacuas, inaneſque, quod eſt nullas ſtatuentia non defuerunt, qui aut inficiarentur, aut ea interpretari maluerunt, vel ipſa plane non agnoverunt. Certe Jo: Morinus de ſac. Ordinat. par. 3. Exercit. 5. cap. 8. de hac re ſcripſit: *hactenus tamen nullo Eccleſiae decreto quaeſtio tam perplexa, & obſcura deciſa eſt*: quo modo non deciſa, quam tot Concilia etiam Oecumenica, id autem eſt univerſa Eccleſia toties determinavit, ac definivit? nam *irritum* dicere eſt jam oſtenſum idem eſſe ac prorſus *nullum*, & *invalidum*.

§. 9. *De Theologis, Scriptoribuſq.*

XXXV. Praeter Concilia, & Patres, qui & irritas, & inanes, nullaſve Haereticorum ordinationes pronunciarunt, quique proxime deſcripti leguntur, Scriptores alii, atque Theologi complures eandem condocuerunt ſententiam: ac in primis *S. Anſelmus* Lucenſis Epiſcopus ſanctitate non minus, quam doctrina praeclarus libro adverſus Guibertum Raven. Antipapam anno circiter 1080. ſtrenue tutatus eſt Sacramenta extra Eccleſiam collata eſſe irrita, & nulla: hoc ipſum egit & *Bernardus Conſtantienſis* in Germania Scholarum Rector, & unus e ſtrenuis decretorum S. Gregorii VII. defenſoribus, de quo Bertholdus Presbyter & ipſe Conſtantienſis, & Scriptor aequalis memi-

minit, notatque ad ann. 1091., Sacramenta omnia praeter Baptiſmum extra Eccleſiam adminiſtrata egregie propugnans irrita prorſus eſſe, nec non inania. Nec diverſa ſenſit, & ſcripſit *Apologiſta* S. Gregorii VII., qui teſte Ulrico Hutteno in praefatione ad opus Venerici Vercellen. fuit Monachus Hirgauzienſis, forſan Heimo Willelmi Hirgauzien. Abbatis Vitae Scriptor; aut idem Willelmus, cujus quaedam ſcripta inveniri dicuntur a Mabillonio to. 5. Annal. Benedict., nam ille Autor apud memoratum Venericum, ſeu Autorem Operis de *Unitate Eccleſiae* in Epiſtola ad omnem Eccleſiam ſcripta prodit, *VVigbertum* Antipapam carpſiſſe *Catholicos*, quod *illa, quae fiunt extra Eccleſiam, Sacramenta non eſſe docerent; nec aliud quam damnationem cuiquam conferre* extra Eccleſiam miniſtrantes aſſererent: idque ipſe verum eſſe fatetur: ut jam ſupra n. 31. expoſui: oſtenſumque eſt non ſolum Catholicorum omnium, ſed etiam Schiſmaticorum, & Haereticorum dogma iſtud fuiſſe: & quidni, ſi univerſae Eccleſiae fuiſſe prolata monumenta demonſtrant?

XXXVI. In ſequenti ſeculo floruit *Laurentius Abbas* S. Vitoni Virdunen. in Gallia Belgica vir ſane & pius, & doctus, & ſub Paſchali II. a Schiſmaticis vexatus, qui in *Apologetica* ad Canonicos Virdunenſes Epiſtola a Mabillonio in Append. tom. 5. Annal. Benedict. n. 80. publicata productis SS. Cypriani, Pelagii, & Gregorii PP. autoritatibus adjecit: *tam autem patentia ſunt iſta, ut dilucidari non egeant: manifeſtiſſime namque demonſtrant, quod eorum ſacrificia, qui extra Eccleſiam ſunt, irrita ſunt, & nullius omnino momenti: extra Eccleſiam autem ſunt omnes Haeretici, Schiſmatici, Simoniaci, & quicunque ab Eccleſia per excommunicationis gladium ſunt praeciſi &c* Et Sigebertus Gemblacenſis Monachus in Chronico ad ann. 1074., quanquam improbat ſtatutum Gregorii VII. contra *Sacerdotes uxoratos*, ne *Laici* eorum *Miſſam* audirent; tamen dum ait SS. Patres ſenſiſſe, *Sacramenta, quae in Eccleſia fiunt, Spiritu Sancto latenter operante eorundem Sacramentorum effectum ſeu per bonos, ſeu per malos intra Dei Eccleſiam diſpenſentur;* eſſe & rata, & vera; ſentit & ipſe eadem Sacramenta extra Eccleſiam collata, atque confecta non eſſe vera, & rata; idque ex SS. Patribus. In qua quoque ſententia fuit & *Rupertus Abbas* Tuitienſis vir doctiſſimus, & ipſe eodem tempore vita, & ſcriptis clarus lib. 12. in Matthae-

thaeum, cujus pronunciatum retuli num. 30. At Magiſter Sententiarum *Petrus Lombardus* paulo poſterior horum in 4. ſent. lib. d. 25. ſcribit: *Solet quaeri; ſi Haeretici ab Eccleſia praeciſi, & damnati poſſint tradere ſacros Ordines: & ſi ab eis ordinati redeuntes ad Eccleſiae unitatem debeant reordinari. Hanc quaeſtionem perplexam, ac pene inſolubilem faciunt Doctorum verba, qui plurimum diſſentire videntur*: mox addit, alios ſentire ab Haereticis Ordines ſacros dari poſſe; alios vero negare: ipſe tamen, quod mirum eſt, dubius haeret; nec, in quam propendat partem, oſtendere voluit; forſan ne uni partium detrahere videretur.

XXXVII. Gratianus Monachus novae *Canonum Collectionis* Autor famoſus eodem tempore florens ad c. *Viliſſimus* 1. q. 1. haec adnotavit: *Patet ergo, illud Auguſtini* (*Sacramentum videlicet Chriſti per Haereticos miniſtratum ſuo non carere effectu*), *non de omnibus intelligi generaliter, ſed de Sacramento Baptiſmi*: & ad c. *Si Presbyter* ibidem obſervavit: *Quod autem caetera Sacramenta* (praeter Baptiſmum) *ab Haereticis miniſtrari non poſſint, teſtatur Hieronymus in Haggaeum Prophetam c. 2.*, cui & plures alias illius S. Doctoris autoritates attexuit; ad c. vero *Manus impoſitio* eodem loco addidit: *Cum ergo Innocentius ſolum Baptiſma Haereticis ratum eſſe permittat; cum Gregorius &c., patet, quod Sacramenta Eccleſiaſtica praeter Baptiſma, ut ſupradictum eſt, ab Haereticis miniſtrari non poſſunt*: nec ait: *non debent*; ſed non poſſunt. Attamen ad c. *Quod quidam* 1. q. 1., poſtea quam ex Auguſtini verbis conſtare dixit in *Apoſtatis, Haereticis*, vel *damnatis* vera Chriſti Sacramenta permanere; ſubdidit: *Opponitur autem huic ſententiae Auguſtini &c. ſed ne Auguſtinum in hac ſententia penitus reprobemus; intelligamus aliud eſſe poteſtatem diſtribuendi ſacros Ordines, aliud eſſe executionem illius poteſtatis*: conatuſque eſt interpretari & S. Auguſtini, & aliorum enunciata hoc loco, & alibi etiam, Sacramenta dici *irrita*, & inania non quantum *ad ſe*, ſed quantum *ad effectum*: a quo alii poſtmodum aut acceperunt; aut de hac re dubitare, ac diſceptare non deſtiterunt; de quibus in *Argumentorum* confutatione fuſius dicetur Cap. XII. n. 4.

XXXVIII. Non multo poſt vixit *Theodorus Balſamon* Graecus Patriarcha Antiochenus ſed Schiſmaticus, qui, ut habetur lib. 5. Juris Orient., anno circiter 1180. docuit, veterem *Grae-*

Graecorum, ac perpetuam doctrinam fuiſſe, *Haereticorum* ordinationes nullas omnino judicari; proindeque iteratum iri, ſi quis eorum dignus ſacris honoribus cenſeretur; idque confirmant ea, quae ſuperius ſunt dicta n. 2., & ſeqq. ex pluribus Graecorum SS. Patribus, & Conciliis; eamque doctrinam ſequiores Graeci etiam Schiſmatici ita retinuerunt, ut exempla factorum ſuperſint, & legantur: nam in *Libello Excommunicationis* Michaeli Cerulario CP., & Leoni Acridano Antiſtitibus Schiſmaticis irrogatae ab Humberto Sylvaecandidae Epiſcopo, & Sedis Apoſtolicae, Leoniſque IX. in Oriente Legato compoſito, quem refert Baronius ad ann. 1054. n. 25., legimus Graecum *Latinorum ſacrificium profanis conculcaſſe pedibus* ideo, quod Latinos Graeci reputent haereticos. Sed & *Nilus Cabaſila* Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, qui vivebat anno 1350., in eodem lib. 5. Juris Orient. perhibet, *Azimitas* Sacerdotes, idest Latinos Catholicos, ſi quando in iisdem ordinibus ſint permanſuri, ab ipſis Graecis iterum ordinari; quod & confirmat *Martinus Cruſius* in Turco-Graecia, quum refert *Pachomium* CP. Patriarcham circa ann. 1500. iteraſſe *ordinationes* Arſenii juſſu Alexandri PP. VI. in Monembaſien. Peloponneſii tunc Venetis ſubjecti Antiſtitem ab uno Epiſcopo, biniſque Presbyteris ordinati; eorumque ab eo ordinatorum. Ejusdem ſententiae fuerunt & Iſaac Armenorum quondam Archiepiſcopus in 1. contra eosdem Armenos *Invectiva;* & Conſtantinus Harmenopulus, qui anno 1350. florebat; aliique omnes Graeci, & Orientales, qui Haereticorum *Baptiſma* nullum eſſe dixerunt; & adhuc dicunt.

XXXIX. Sane de *Haereticis* nullum eſt dubium, quin Sacramenta aliarum ſectarum, etiam ea Catholicorum reſpuerent, nullaque eſſe ducerent; ut lucet etiam de *Schiſmaticis* Donatianis ex Optato Milevit. lib 2 cap. 19. & 21. & ſeqq., nec non lib. 7. n. 4., nam de *Arianis* abunde oſtenſum eſt ſupra Cap. II. n. 47. & ſeqq., addique poteſt id, quod S. Baſilius Epiſt. 72. ad Evaiſenos de Semiarianis cum Arianis contendentibus habet: *ſed quod ab Epiſcopis illis, qui Conſtantinopoli convenerant* (an. 359.) *communi decreto ab Epiſcopali functione depoſiti depoſitionem non agnoverunt, Synodum eam appellantes Synodum reproborum: nec paſſi quidem eos vocari Epiſcopos, ne contra ſe latam ſententiam confirmarent. Et cauſſam adjecerunt; ob quam illi non ſint Epi-*

ſco-

ſcopi; quoniam, ut inquiunt, praeſunt haereſi... Erant autem ductores eorum, a quibus iſti depoſiti ſunt, Eudoxius (Antiochenus), *Evippius* (Neocaeſarienſis), *Georgius* (Alexandrinus), *Acacius* (Caeſarienſis), *& reliqui nobis ignoti &c.* & Epiſt. 23. ad ſuos Monachos refert, eosdem *Arianos* Euſtathium Sebaſtenum, Acacium Caeſarienſem, & Georgium Laodicenum quorundam Catholicorum Antiſtitum in Paphlagonia *Altaria* ſubvertiſſe. Sic & Marcellinus, Fauſtinuſque in Libello ad Impp. de Schiſmate Luciferiano ſcribunt, *Turbonem*, vel Turbinem Eutychii Eleutheropolitani in Palaeſtina Epiſcopi Ariani Diaconum in exulantem illic Calaritanum Antiſtitem *Luciferum* ita ſe geſſiſſe, ut ejus Satellites *januam clauſam ſecuribus* effregerint; & in eum clam ibi celebrantem *Divina Sacramenta* everterint.

XL. Rufinus, al. Rodulphus, & Joannes Faventinus, qui initio ſeculi XIII. in utroque jure claruerunt, apud S. Raymundum in Summa lib. 1. cap. 1., nec non Autorem Gloſſae ad c. *Quod ordinatio* 9. q. 1. dicebant; *quod Epiſcopus, qui recipit ultimam manus impoſitionem extra Eccleſiam ideſt ordinem Epiſcopalem, quia poſt illum nullus eſt Ordo, ordinem conferre non poteſt; & qui ordinatur, nihil recipit: ſecus ſi intra Eccleſiam recipiat manus impoſitionem:* id autem eſt, haereticum Antiſtitem vel occultum, vel nondum ab Eccleſia damnatum, & exauctoratum ordinandi poteſtatem retinere, non item haereticum manifeſtum, & ab Eccleſia proſcriptum, & expulſum; quod quidem verum: nam Concilia *irritas* dicunt *ordinationes* dumtaxat *haereticorum poſtquam a Romana Eccleſia* ſunt damnati; ut vidimus ſupra n. 27., & 33. Sane *Gulielmus Pariſienſis* Epiſcopus id expreſſe ſenſit, ſcriptiſque tradidit cum de Sacramento Ordinis cap. 7. hoc modo ait: *Apoſtatae vero, & Haeretici, & manifeſte ab Eccleſia recedentes, & ad Synagogam Satanae hoc eſt ad quamcunque ſectam perfidiae tranſeuntes, nec Sacerdotes Eccleſiae Catholicae... ſe gerentes... nihil agunt ex parte Eccleſiae Catholicae, cujus neque nuncios, neque miniſtros ſe gerunt. S. Thomas*, qui hoc ipſum docere videtur in 4. d. 7., ut dixi ſupra n. 1., tamen d. 25. q. 1. contrarium habere judicatur. At *Jo: Scotus* ibi d. 25. q. 1. art. 2. aperte de haeretico Epiſcopo reſpondet: *Si vero* (Epiſcopus) *ſit praeciſus, & condemnatus ab Eccleſia, non confert Ordines; ſi Epiſcopatus non ſit Ordo, & poſſit ſimpli-*

pliciter conferri; ſicut habent reſpondere illi, qui tenent Epiſcopatum eſſe non Ordinem, ſed quandam dignitatem &c. Sed de his, aliiſque contrariae opinionis dicam Cap. XII. Addamque ſolum, in fine ſeculi XVI. Joannem *Maldonatum* S. J. Theologum inſignem de Sacramentis to. 1. docuiſſe, ſaltem *Confirmationis* Sacramentum ab Haereticis collatum eſſe nullum, & *invalidum;* ideoque iterari poſſe: poſt quem & *Morinus*, & Cabaſſutius, paucique alii ſeculo praeterito de caeteris etiam Sacramentis excepto Baptiſmo eandem inſtaurare ſententiam attentarunt.

§. 10. *Objecta*.

XLI. LAbitur in limine hujus Capitis Doctor Sorbonicus Witaſſe; dum ſect. 7. Prob. 1. ex *primitiva Eccleſia* ducens argumenta, ut probet *characterem* ordinationis in haereſi perſeverare, ac dari; in medium adducit primum *Ebionis ipſis Apoſtolorum temporibus* haeretici exemplum ex Anaſtaſio Bibliothecario: quoniam Cap. V. n. 7. errorem detexi, oſtendique Anaſtaſium non de *Ebione* illo haereſiarcha verba feciſſe; ſed de *Ebbone* Rhemenſi Archiepiſcopo lapſo, & dignitate ſpoliato. Deinde etiamſi de Ebione locutus eſſet Anaſtaſius; tamen non de *ordinationibus* ejus recipiendis, vel non, egit; ſed de *ordinatis* ab eo in ſuis honoribus admittendis; quae eſt alia quaeſtio a praeſenti, de qua diſputatur, & controvertitur.

Secundo profert *canonem* 68. Apoſtolorum, quem conatur in rem ſuam trahere, ac interpretari; ſed quam contorte, ac depravate, quicunque legerit, facile intelliget: cum ſit perſpicue, ac manifeſte contrarius; ut jam ſupra n. 2. demonſtravi.

XLII. Objicient autem S. Baſilium M. Epiſt. 196. Theodoro Epiſcopo Nicopolitano ſcribentem: *quod jam recenter auſus eſt Euſtathius, cui non horrorem incuteret? qui, ſicuti audio; modo verus ſit rumor & non figmentum delationis gratia compoſitum; etiam manum quibusdam denuo imponere praeſumpſit: quod nemo unquam ex haereticis feciſſe videtur:* quem Baſilii locum adduxit contra Photium Nicaetas Paphlago in Vita S. Ignatii Patriarchae CP. inquiens: *& tu audita Magni Baſilii ſententia nihil reformidas; cum de quopiam admirabundus dixit, nullum ex omnibus totius Mundi Haereſiarchis, qui fuere quam plures, auſum*

ſum fuiſſe reſecrare praeter Euſtathium Ancyro Galatam; cujus nefarium ſcelus Synodus Gangrenſis exponit. Ille hic eſt *Euſtathius* Sebaſtenus in Armenia Epiſcopus ſimulate quandoque Catholicus, ſemper tamen qua Arianus, qua Macedonianus: igitur, inquient, ex Baſilio nedum Orthodoxi, ſed ne ipſi quidem Haeretici ordinationes ſacras iterare docebant.

Reſpondetur, Baſilium redarguere *Euſtathium*, eo quod ille diceretur iteraſſe ordinationes quidem, ſed ſuorum, non alienorum, ſeu eorum, qui diverſae erant ſectae, more *Marcionitarum*, qui ſuos etiam pluries baptizabant: ordinationes vero ſuorum repetere, ne Haereticorum quidem mos extitiſſe legitur; ſed plane alienorum conſecrationes rejeciſſe liquet ex his, quae Cap. II. n. 47. & ſeqq. attulimus. Quod nec Baſilium latere potuit; qui & ipſe cum *Haereticorum* baptiſma non ſuſciperet; multo minus eorundem ordinationes admiſiſſe credi poteſt.

XLIII. Tandem mihi objicient, Nicolaum *Sanderum* lib. 2. de Schiſmate Angl. tradere, *Julium III*. Rom. Pontificem copiam feciſſe Reginaldo Polo S. R. E. Cardinali Legato abſolvendi, & addicendi miniſterio Altaris jam ordinatos in Schiſmate Anglicano ob ordines illos *nunquam*, *aut male* collatos, inquit Pontifex; perinde ac ipſe ordinationes eas probaſſet. Verum idem Sanderus adjecit, confirmatos fuiſſe ſolos Epiſcopos *in priori Schiſmate factos*, nimirum tempore Regis Henrici VIII., non Eduardi; ideoque eos plane, qui jam a Catholicis fuerant ordinati; quique propterea nova non indigebant ordinatione. Praeterquamquod ibi ſermo eſt de *ordinatis* inſtaurandis, non de *ordinationibus*, vel non, iterandis: Certe cum Pontifex ordines illos dixerit *nunquam*, *aut male* collatos; quis ambigat debuiſſe dari, quod non conſtabat fuiſſe collatum? Caeteroquin faceſſant, qui digladiantur; an *Anglorum* Antiſtitum *ordinationes* ſint ratae, ac admittendae, vel non ob formam, quam nunc eos adhibere ferunt a Romana diverſam, ut eſt apud Tournely de Ord. q. 2. art. 2., nam aut Haeretici ſunt illi, aut non; haereticos autem eſſe nemo Catholicorum negat; igitur ex his, quae hucuſque ſunt adducta, ordinationes eorum ſunt irritae prorſus, & non admittendae; ſive forma ſit vera, ſive non.

CA-

CAPUT IX.

De Schiſmaticorum Ordinationibus.

I. VEnimus modo ad difficiliorem hujus Diſputationis locum dicturi de *Schiſmaticis*, deque ſacris eorum ordinationibus, quam ſit implexa, & quam ambigua diſquiſitio ob varium Schiſmatis nomen, & naturam; & ob multiplices, diverſaſque quarundam Eccleſiarum de ipſis determinationes. Cum enim plerumque *Schiſma* bifariam fieri contingat; ut modo ſimplex, ac ſolius diſciplinae, vel facti diſſidium exiſtat; modo commixtum, & aliquid fidei, juriſque violati contineat: cumque quamplures tuerentur, Schiſma primo modo neminem ab Eccleſia propellere; ſed tantum Schiſma ſecundo modo: alii vero contra ſentirent, quodcunque Schiſma trudere extra Eccleſiam: proinde factum eſt, ut binae quoque de *Schiſmaticorum* ordinationibus qua Patrum, qua Conciliorum conſtitutiones in Eccleſia prodirent: unae, quae probarent; alterae vero, quae exploderent. Praeterea cum *Schiſma* inveteratum vertatur, aut nominetur *haereſis;* ut dictum eſt in alia de *Haereticorum Baptiſmo* Diſputatione pro S. Cypriano Cap. I. num. xxxii., & S. Hieronymus in cap. 3. Epiſt. ad Titum habeat: *caeterum nullum Schiſma non ſibi aliquam confingit haereſim, ut recte ab Eccleſia receſſiſſe videatur*: haereticique paſſim dicantur & Schiſmatici, ſicut e converſo: factum eſt etiam, ut quicquid de *Schiſmaticorum* ordinationibus legitur conſtitutum; idipſum de illis *Haereticorum* ſtatuendum credatur: quod plane falſum, quantum quidem ad eas in nudo, ſimplicique Schiſmate collatas, ut paulo poſt videbitur. Sed primum de variis antiquorum ſententiis dicendum.

II. Igitur S. Cyprianus omnium primus, qui de hac re literis aliquid aperte tradiderit, Epiſt. 52. ad Antonianum de Novatiano *Schiſmaticorum* Duce praecipuo ſcribit: *qui ergo nec unitatem Spiritus, nec conjunctionem pacis obſervat, & ſe ab Eccleſiae vinculo, atque a Sacerdotum Collegio ſeparat; Epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere, nec honorem, qui Epiſcopatus nec unitatem* va-

Digitized by Google

valuit tenere, nec pacem: nec eſt, quod quis opponat, Cyprianum non tam Schiſmaticum, quam Haereticum Novatianum appellare; nam Epiſt. 76. ad Magnum clarius animi ſui ſenſa explicavit, quum ait: *dicimus, omnes Haereticos omnino, & Schiſmaticos nihil habere poteſtatis, ac juris in Eccleſia*. Quod etiam tenuiſſe Firmilianum Caeſareae Cappadociae Antiſtitem magni nominis virum, teſtificatur S. Baſilius Epiſt. can. 1. ad Amphilochium c. 1. his verbis: *Verum enim vero antiquis viſum eſt, Cypriano dico, & noſtro Firmiliano, eos omnes uni calculo ſubjicere Catharos &c. Schiſmaticos* nimirum, & *Haereticos*, cum ad Eccleſiam converterentur, Eccleſiae Baptiſmo abluere; quare ſi *Baptiſmum* Schiſmaticorum iterabant illi, multo magis *ordinationem*. Idemque Baſilius c. 47. hoc ipſum, quod Cyprianus, & Firmilianus opinabantur, ſe quoque feciſſe profitetur potiſſimum de Novatianis, aliiſque Schiſmaticis ſcribens: *nos autem una, eademque ratione eos omnes rebaptizamus*: & paulopoſt: *eos in Eccleſiam non admittimus niſi in noſtrum baptiſma baptizati fuerint*: igitur nec ad Clerum admittebat, niſi Eccleſiae ordine initiati eſſent. Idque plurimos alios etiam & in Oriente, & in Africa ſenſiſſe, ac perpetraſſe ſuſpicari licet ex his, quae ſuperiori Capite de Haereticis ſunt allata num. 3., & 4.

III. Poſſet aliquis huc afferre Nicaeni Concilii I. canonem 8. de Catharis, quos Patres in ſuis quidem honoribus, ſed *manus impoſitione* ſi quidem *Clericos* ab Eccleſia ſuſcipi juſſerunt: conſtat autem Catharos, ſeu Novatianenſes extitiſſe Schiſmaticos: conſtatque etiam illam manus impoſitionem plures tum Latinos, tum Graecos veteres ſcriptores ſacram *ordinationem* eſſe interpretatos: nihilominus tamen quum plures alii contrarium docuiſſe, & ſolam reconciliationem indicari tradidiſſe ſciantur; & rem per quam ancipitem eſſe judico; & quae propterea non multum cauſſam promovère queat; quando de certa vocis ſignificatione non ſatis nobis conſtat: ideoque praetermittam. Sunt quoque, qui *Meletianorum* Schiſmaticorum factum hac in cauſſa producant, utpote de quibus idem Concilium ſtatuit, ut *ſanctiori ordinatione confirmati* ſuis honoribus fruerentur, ſacriſque muneribus fungerentur ii quidem, qui a Meletio conſecrati fuiſſent. Verum id ad *Depoſitos*, exauctoratoſque amandandum dico; propterea quod *Meletius* non ordinandi poteſtate carebat; vel caruiſſe conſta-

ſtabat; quia *Schiſmaticus*; ſed quia dignitate nudatus, *depoſituſque* ab Alexandrino Antiſtite fuerat in Synodo; propter quod *Schiſma* creavit teſte S. Athanaſio Apol. 2., quamobrem de Meletianis dicetur inſequenti Cap. x. n. vi.

IV. Contra Graecos, Afroſque, quos proxime memoravi, Latinos plures, alioſque Afros poſtmodum ſtetiſſe video; ac in primis *Optatum Milevitanum*, qui lib. 7. contra Parmen. n. 4. de *Chriſmate* verba miſcens ait: *quod a vobis* (Donatiſtis) *unctum eſt, tale ſervamus*: quod ſi Confirmationis Sacramentum a Schiſmaticis confectum, collatumque probavit; igitur & alia quoque eorumdem Sacramenta probaſſe credendum eſt: cum & lib. 5. ſolos Haereticos Sacramenta nulla habere docuerit, dum inquit: *ſcimus Haereticorum Eccleſias ſingulorum proſtitutas nullis legalibus Sacramentis, & ſine jure honeſti matrimonii eſſe*: lib. vero 1. dilucide Schiſmaticos admiſit, & Haereticos exploſit illis verbis: *Vides ergo, frater Parmeniane, Haereticos a domo Dei extorres ſolos habere vana, & falſa Baptiſmata... bene clauſiſti hortum Haereticis... vobis vero Schiſmaticis quamvis Catholici non ſitis, haec negari non poſſunt*: vera nimirum habere *Sacramenta*. Mox *Innocentius I. PP.* Epiſt. 18. ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum edixit *Arianorum* ordinationes utpote haereticorum irritas eſſe, ac nullas; illas vero *Novatianorum* uti Schiſmaticorum ratas haberi, ac admittendas; quemadmodum declaraſſe Petrum Damiani Opuſc. 6. dictum eſt num. 12. capitis viii., etſi utroſque *Haereticorum* nomine vocatos ibi reperire eſt, quod *haereſis* late pateat, ipſumque *Schiſma* contineat. Idipſum ſenſit, ſcripſitque de Donatiſtis apertiſſime *S. Auguſtinus* pluribus in locis, de quo fuſius dicetur cap. xi. n. vii.

V. Cum Orientalibus, Afriſque n. 2. commemoratis cenſuiſſe videtur Pelagius I. Papa c. *Pudenda* 24. q. 1. de Schiſmaticis *trium Capitulorum* in v. Synodo profligatorum ſcribens: *Pudenda, ut ita dicam, rapina in diviſione eſt non conſecratus, ſed execratus Epiſcopus: ſi enim ipſum nomen conſecrationis rationabili, ac vivaci intellectu diſcutimus; is, qui cum univerſali detrectat conſecrari Eccleſia, conſecratus dici, vel eſſe nulla ratione poterit. Conſecrare enim eſt ſimul ſacrare; ſed ab Eccleſiae viſceribus, & ab Apoſtolicis Sedibus ſeparatus execrat ipſe potius, non conſecrat. Jure ergo execratus tantum, non conſecratus poterit*

dici, quem ſimul ſacrare in unitate conjunctis membris non agno-ſcit Eccleſia ... ſi veritate ducente dirigamur; non eſt verum cor-pus Chriſti, quod conficit Schiſmaticus. Et c. *Quali nos* 23. q. 5. ad Narſetem Ducem ſcripſerat: *Thracius ſiquidem, atque Ma-ximilianus nomina tantum Epiſcoporum habentes & Eccleſiaſticam ibi unitatem perturbare dicuntur; & omnes Eccleſiaſticas res ſuis uſibus applicare ... ut ea, quae canonicis ſtatutis a praedictis Pſeu-doepiſcopis compererint commiſſa; vel digna debeant ibi ultione com-peſcere; vel eoſdem ad nos uſque perducere*: Epiſt. vero 3. ad eun-dem Narſetem docet ex Chalcedon. Concilio Schiſmaticum *omnino damnari; nec unquam vel orationem mereri; nec recipe-re eum poſſe honorem* ſubde ſacrum Ordinem: ſed & Epiſt. 4. adje-cit: *& maxime Aquilejenſis Eccleſiae invaſor, qui & in Schiſma-te, & in eo maledictus nec honorem Epiſcopi poterit retinere, nec meritum*: hinc Epiſt. 5. *Paulinum Aquilejenſem Pſeudoepiſcopum* appellat, aitque eum Epiſcopum nullo modo eſſe poſſe, *quia contra canonicam conſuetudinem* factum. Incertum tamen, an Pe-lagius eos habuerit pro Schiſmaticis ſimplicibus, vel mixtis: Synodus enim v. coll. 8. *anathema* vibravit in eos, qui tria Ca-pitula defenderent; exauctoravitque quoslibet, qui contra Con-cilii ſtatutum tradere, docere, vel ſcribere tentaſſent.

VI. Cum ſeculo VII. in Britannia, ac Scotia *Schiſma* de Pa-ſchatis die vigeret, pro eo tollendo Synodus Pharenſis anno 664. coacta eſt, in qua Scoti cauſſa cecidere; ut narratur a Beda lib. 3. cap. 25., qui cap. 26. addit: *finito conflictu, ac ſoluta concione Agilbertus* (Epiſcopus) *domum rediit. Colman* (Lindisfarnen. Epi-ſcopus) *videns ſpretam ſuam doctrinam, ſectamque deſpectam, aſ-ſumptis iis, qui ſe ſequi voluerunt, ideſt qui Paſcha Catholicum, & tonſuram coronae (nam & de hoc quaeſtio non minima erat) recipere nolebant, in Scotiam regreſſus eſt tractaturus cum ſuis, quid de his facere deberet &c.* Poſt quae Theodorus natione quidem Graecus, ſed Roma in Angliam a Vitaliano Papa miſ-ſus, & Cantuarienſis Archiepiſcopus anno 668. ordinatus in ſuis Capitulis prodidit n. 80. *Qui ordinati ſunt a Scotorum, aut Bri-tonum Epiſcopis, qui in Paſcha, & in Tonſura adunati Eccleſiae Catholicae non ſunt; iterum ab Epiſcopo Catholico manus impoſi-tione confirmentur, & aliqua collectione ſimiliter Eccleſiae. Simi-liter quae ab ipſis ſupradictis conſecrantur, aqua exorcizata aſper-*

gan-

gantur, *& aliqua collectione* (ideſt oratione) *confirmentur*: & n. 87. ait: *Licentiam non habemus Britonibus petentibus Chriſma, vel Euchariſtiam dare; niſi ante confeſſi fuerint ſe nobiſcum eſſe in unitate Eccleſiae: cum compertus fuerit non eſſe baptizatus; & baptizetur iterum, & confirmetur*: quae ſuperioris numeri verba repetitionem & ordinationis, & conſecrationis innuere videntur. Certe Cabilonenſe II. Concilium anno 813. can. 43. de nonnullis Scotiae, ſive Hiberniae Epiſcopis, *quorum ordinationem*, non tantum *quia plerunque in Simoniacam incidit haereſim*; verum etiam eo quod *& multis erroribus ſubjacet*; *modis omnibus irritam fieri uno conſenſu decrevit*.

VII. Urbanus II. Pontifex & ſanctimonia vitae, & doctrinae claritate praedicatus a Lucio S. Juventii Papienſis Praepoſito per literas interrogatus, *utrum ſit utendum ordinationibus, & reliquis Sacramentis a criminoſis exhibitis*, reſpondit Epiſt. 17. *ſi Schiſmate, vel haereſi ab Eccleſia non ſeparantur, eorundem ordinationes, & reliqua Sacramenta ſancta, & veneranda non negamus ſequentes S. Auguſtinum &c.... Caeterum Schiſmaticorum, & Haereticorum Sacramenta, quoniam extra Eccleſiam ſunt, juxta SS. Patrum traditiones ſcilicet Pelagii, Gregorii, Cypriani, Auguſtini, Hieronymi formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur*. De quo dictum eſt & praeterito Cap. VIII. n. 29., & ſeqq., oſtenſumque etiam, quaenam in his verbis illius mens fuerit: num. vero 33. viſum eſt, *Paſchalem II.* cuncta confirmaſſe, quae Urbanus II. *in omnibus, & per omnia* dixerat, & decreverat; & num. 36. *Laurentii S Vitoni* Virdunenſis Abbatis eo tempore florentis teſtimonium adductum eſt, quo non tantum *Haereticorum*, ſed etiam *Schiſmaticorum*, quos extra Eccleſiam eſſe ſcribit, *Sacramenta* omnia praeter Baptiſmum *irrita* eſſe, *ac nullius omnino momenti* aſſeverat autoritate SS. Cypriani, Pelagii, & Gregorii Papae. Fateor tamen, non ubique certum, an hi *Schiſmaticos* meros, ſimpliceſque intellexerint; an vero commixtos, haereſique implicatos.

VIII. In Oecumenico Lateran. II. Concilio anno 1139. ab Innocentio II. celebrato can. 30. dicitur: *Ad haec ordinationes factas a Petro Leonis, & aliis Schiſmaticis, & Haereticis evacuamus, & irritas eſſe cenſemus*: quod & confirmatum fuit in generali Concilio *Rhemis* anno 1148. ab Eugenio III. convocato can. 17.

Chronicon vero Mauriniacenſe praedicti Lateranenſis Concilii Acta deſcribens haec Innocentii II. de Petro Leonis *Antipapa* verba producit: *Unde quia inordinatae perſonae inordinata ſunt decreta, quodcunque ille ſtatuerat, deſtruimus; quoſcunque exaltaverat, degradamus; & quotquot ordinaverat, exordinamus, & deponimus. Et quicunque per Girardum Engoliſmenſem* (Epiſcopum) *ad Altaris officium acceſſerunt, Apoſtolica auctoritate interdicimus &c. Gaufridus etiam Carnotenſis Epiſcopus totius Aquitaniae Legatus accepta Domini Papae praeceptione omnem Galliae Regionem ipſius quoque Aquitaniae ſtudioſe circumiens omnia SS. Eccleſiarum Altaria, quae vel Girardus ille ſeditionis Auctor, & obtentor, vel Gilo Tuſculanen. Epiſcopus, aut eorum complices Chriſmalis unctionis benedictione in illius odioſi Schiſmatis tempore conſecraverant, propriis manibus diſſipavit, nec relinquens lapidem ſuper lapidem, quae non deſtrueret, ſolo funditus adaequavit: & ratione dictante alia eorum loco reſtaurare curavit*. Quid enim eſt *exordinare* niſi ordinem penitus auferre? ut ex Sigeberto, & Gulielmo Pariſienſii ſupra cap. II. num. 56. demonſtravi; praeterquamquod vox ipſa ſe prodit: & ſi ibi exſufflatur Schiſmatici *Altarium* conſecratio, cur non & *Clericorum* ordinatio?

IX. Anno 1177. Veneto in Concilio pace tandem inter Alexandrum III., & Fridericum I. inita, firmataque; *intruſi, & Schiſmatici ad ſinum matris Eccleſiae catervatim confluentes abſolvi humiliter poſtulantes refutarunt, & anathematizarunt abjurantes ſuper S. Evangelia omnem haereſim, & praecipue Schiſma, haereſim, & factionem Octaviani, & Guidonis, & Joannis de Struma; eorumque ordinationes irritas eſſe pronuntiantes ... reconciliati ſunt, & unitati Eccleſiae aggregati*: inquiunt Acta Alexandri III., additque Rogerius Houden. in Annal. *in hoc Concilio Joannes Abbas de Struma ... degradatus eſt ... & ab omnibus dejectus, & reprobatus. Similiter omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Abbates Teutonici Regni, qui ab eo, vel ab aliis Antipapis ... ordinati fuerant, degradati ſunt: & Altaria, quae ab ipſis, ſive ab ordinatis ſuis dedicata erant, demolita ſunt*. Haereticorum enim *Altaria* velut inaniter, & nullo modo ſacrata evertere ſemper in more poſitum etiam apud ipſos Haereticos fuiſſe, viſum eſt ſupra n. 7. & 39. Cap. VIII. Etiam in Oecumenico Concilio *Lateran. III.* anno 1179. can. 2. ordinationes Schiſmaticorum *irritae* ſunt decla-

claratae; ut jam eſt dictum & ſuperiori Cap. n. 34., & quidem ita nullae, ut iterari deberent, ſi quando eorum aliqui ſacris ordinibus idonei, dignique judicabantur; quemadmodum quae mox dicentur, demonſtrabunt. Itidem antea in *Turonenſi* v. magno Concilio anno 1163. ab Alexandro III. convocato can. IX. dictum eſt: *ordinationes factas ab Octaviano, & aliis Schiſmaticis, & Haereticis evacuamus, & irritas omnes eſſe dicimus, & decernimus.*

X. Reſpondet Witaſſes Obj. 3. Schiſmaticos ab Alexandro III. ad conſueta munia obeunda ſuſceptos fuiſſe citra ullam de iteranda ordinatione mentionem; & in primis *Chriſtianum Moguntinum, Philippum Colonienſem* Antiſtites, & alios: igitur eorum ordinationes, inquit, erant ratae, & validae. Verum enim vero hujus argumenti negantis jam exempla produxi Cap. VII. n. 4. Deinde ſcire eſt, illorum aliquos a *Catholicis* Epiſcopis ordinatos fuiſſe, aliquos vero a *Schiſmaticis*: nam Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus, qui facto interfuit, refert *Chriſtianum* Cancellarium Moguntinum, & *Philippum* Colonien. Archiepiſcopos, *qui a ſuis ſuffraganeis, & Catholicis fuerant conſecrati, dato ab utroque juramento obedientiae Pallia de more* ab Alexandro Pontifice Venetiis ſuſcepiſſe: & Rogerius Ouden & ipſe Autor aequalis haec literis mandavit: *Chriſtianus Imperatoris Cancellarius ſucceſſit ei* (Conrado) *in Archiepiſcopatu Moguntino; & Pallium ſuſcepit a Guidone de Crema* (Pſeudopapa); *quod quia ab eo receperat, propriis manibus combuſſit Venetiis... & Pallium ab Alexandro recepit.* Quod ſi *Pallium* novum, quo plenitudo poteſtatis datur, acceperunt Schiſmati, qui in Eccleſia fuerant ordinati, cum ad Eccleſiam redirent; quanto magis *ordinationem* novam, quo ipſa poteſtas datur, ii, qui extra Eccleſiam eſſent conſecrati; cum ipſi reverſi faterentur, Schiſmaticorum ordinationes *irritas* eſſe.

XI. Poſſit idem Doctor & objeciſſe, quod habet Helmoldus, vel ejus Continuator Arnoldus Lubecenſis in Chronico Slavorum lib. 2. cap. 28. de Lateranenſi Concilio anno 1179. congregato inquiens: *Pergebant illuc multi ordinati a Schiſmaticis ſperantes ſe gratiam Apoſtolici invenire, & mitbras exequendi officii ab eo conſequi... exceptis paucis ſenioribus, qui ante Schiſma ordinati fuerant... tandem de ordinatis Geronis* (Halberſtadenſis Epiſcopi) *diſpenſatum eſt; ut quia idem Gero non a Schiſmatico,*

ſed a Catbolico Hartuico videlicet Bremenſi Archiepiſcopo ordinatus fuerat; ordinati ejus per gratiam Apoſtolicam in ordinibus ſuis perſiſterent; & ad majores per benedictionem aſcenderent. Ipſe etiam Gero banc obtinuit gratiam, ut officium Pontificale in omni loco libere exequeretur ut in Epiſcopatu Halberſtadenſi. Sed Autor iſte tractat de Schiſmaticis in ſuis honoribus inſtaurandis, omiſſa ordinationum iterandarum mentione, quae alia eſt quaeſtio; & quae non ſemel praetermitti ſolet, ut viſum eſt cap. VII. n. 4., & ex pluribus aliis locis poteſt obſervari.

XII. Quapropter quod refert Robertus Flammesburienſis apud Morinum de Ordinat. Sac. Exercit. 5. cap. 1., *Alexandrum III.* in Schiſmate Octaviani (Antipapae) decreviſſe; ut qui non ſervata *legitima forma* extra Eccleſiam fuiſſent ordinati; ii quidem *reordinarentur*; non autem alii *legitima forma* conſecrati, ſi quando cum eis diſpenſaretur; & falſum, & obliquam, doloſamque Scriptoris interpretationem affirmo: qui, ut erat contrariae opinionis, fateri noluit, Pontificem ordinationes Schiſmaticorum uti nullas iterari juſſiſſe. Quis enim eſt, qui credat *Octavianum* genere Romanum, S. Romanae Eccleſiae Card. Presbyterum, ejuſque aſſeclas quamvis *Schiſmaticos* tamen in Romana, Latina, & Catholica Eccleſia nutritos, & edoctos alia uſos in ordinando forma, quam Romana, Latina, atque Catholica? praeſertim cum inter eos, qui horum Schiſmaticorum crimina evulgarunt, nemo legatur, qui id illis vitio verterit. Decrevit igitur Alexander, ut qui a Schiſmaticis fuerant ordinati utpote *extra Eccleſiam*, & *non legitime*; iterum ordinarentur; ſi quando ad Eccleſiam redirent, aptique ordinibus invenirentur, non autem alii, qui quidem Schiſmaticum Antipapam ſunt ſecuti; ſed tamen ante *in Eccleſia*, ideoque *legitime* ordines ſuſceperant. Enim vero in Lateran. III. ejus Concilio can. 2. legimus: *Quod a praedeceſſore noſtro fel. memoriae Innocentio factum eſt innovantes, ordinationes ab Octaviano, & Guidone Hereſiarchis, nec non & a Joanne Strumenſi, qui eos ſecutus eſt, factas; & ab ordinatis ab eis irritas eſſe cenſemus... Illos vero, qui ſponte juramentum de tenendo Schiſmate praeſtiterint, a ſacris ordinibus, & dignitatibus decrevimus remanere ſuſpenſos*: ibique nulla fit mentio de legitima, vel adulterina ordinationum forma; quia nulla formae in Schiſmate eſt immutatio facta.

XIII. Ac-

XIII. Accedit ad haec, memoratum Robertum Flammesbur, qui non longe poſt vixit, teſtari *Lucium III.* Alexandri ſucceſſorem, ut fama vulgavit; feciſſe *reordinari ordinatos ab illis, qui ultimam manus impoſitionem acceperant extra Eccleſiam: & mirum fuit*, ſubdit, *quod Cardinales conſenſerint: forte ſequebantur jam pravam opinionem; vel hoc fecerunt in odium Schiſmatis*. Verum ipſe prave opinatus eſt, & prave ſcripſit; quia aut pauca valde legit, aut multa parum intellexit: ſi namque tot Conciliorum etiam Oecumenicorum, ac Romanorum Pontificum conſtituta, quae attulimus, inſpexiſſet, perpendiſſetque; pravam hanc non dixiſſet opinionem, ſed ſuam facile caſtigaſſet: cum ab illis *Schiſmaticorum* ordinationes pronuncientur *irritae*, ideſt nullae, invalidae, ac iterandae; ut alias eſt oſtenſum. Poſtea in odiumne Schiſmatis *ordinationes* verae, & validae iterari poterunt praeſertim a Romano Pontifice, a S. R. Eccleſiae Cardinalibus, a capite, & praecipuis Catholicae Religionis membris? numquid in odium Schiſmatis tantummodo iterari poterit *Baptiſma* ratum, & *Chriſma*? nugae, niſi ſit haereſis.

XIV. Nec hoc loco audiendus eſt Witaſſe, dum Obj. 4. reſpondet, ex incertis rumoribus id hauſiſſe Robertum, in eoque deceptum eſſe. Nam his probe conſonant & ea, quae decrevit Alexander III. proximo num. 12. commemorata; & quae conſcripſit Krantzius lib. 6. Saxoniae cap. 47., qui ex antiquiori Autore Alberto Stadenſi deſcribere ſolet; ubi de praedicto Lucio Papa inquit: *ſed cum poſtera die manus illis eſſent imponendae ſingulis* (Schiſmaticis), *immutatum erat conſilium; quod diceret, in Concilio Venetiano decreta non poſſe niſi alio Concilio irritari*: ut ut contendat Witaſſes, eam manus impoſitionem *reconciliatoriam* fuiſſe, non autem *conſecratoriam*: quoniam ſi quum Robertus dixit *manus impoſitionem*, intelligitur conſecratio, ac ordinatio; cur quando Krantzius *impoſitionem manus*, uſurpat, intelligi debet reconciliatio? Poſcebant quidem Schiſmatici *reconciliationem* ſedis Apoſtolicae, ſed haec nonniſi per novam, iteratamque ordinationem facienda erat: & Imperator etiam intervenerat pro iiſdem apud ſummum Pontificem; veruntamen ut ſuis reſtituerentur ordinibus, ac dignitatibus, non ut ſine repetita admitterentur ordinatione. De qua quidem *reconciliatione* per Catholicam manus impoſitionem in Synodo

Northuſienſi anno 1106. promiſſa dixi ſuperiori Cap. VIII. n. 33. Teſtatur *Oſtienſis* in Summa, hanc *antiquorum* fuiſſe ſententiam, inquiens lib. 1. de Temp. ordinat. n. 5. *Quid ergo, ſi quis Epiſcopus a Schiſmatico fuerit conſecratus? dixerunt antiqui, quod nulla eſt talis conſecratio: & ideo non confert Ordines taliter conſecratus 9. q. 1. c. 1. 2. & 3. argum. 1. q. 7. Daibertum... Sed haec opinio reprobatur 1. q. 7. Convenientibus*: quod ſumptum eſt ex Act. I. Synodi VII. contra Iconoclaſtas; de quo Cap. XI. dicetur, quantum cogat.

§. *Oppoſitiones*.

XV. Futile autem dico, & parum in rem propoſitam conducens id, quod objicit Witaſſe ſect. 6. Prob. 1. ac primum de *Maximo Presbytero*, qui Novatiani Schiſma ſequutus mox agnito errore a Cornelio Papa locum ſuum agnoſcere, atque recuperare juſſus eſt. Propterea quod Maximus ante Schiſma Presbyter factus fuerat in Eccleſia Catholica; ideoque ſchiſmate ejurato nova non indigebat ordinatione: quoniam ut dictum, & etiam oſtendetur infra, ſemel impreſſus Ordinis *character* nunquam quidem amittitur, etiam ſi extra Eccleſiam exeat, vel expellatur ille, qui obtinuit; ſed Ordinis *poteſtas* extra Eccleſiam prorſus deperditur; quae tamen recuperari poteſt ſine nova, ſeu iterata ordinatione; ut ſuo loco videbitur: nec modo quaeritur, an *character* perſiſtat in Schiſmate; ſed an *poteſtas*. Nec majoris momenti ſunt exempla, quae in medium adducit, *Felicis* ſcilicet intruſi contra Liberium Papam; *Urſicini* contra Damaſum; *Eulalii* contra Bonifacium; *Laurentii* contra Symmachum; *Dioſcori* contra Bonifacium II., *Vigilii* contra Sylverium; *Joannis* contra Gregorium V., *Cadaoli* contra Alexandrum II., *Guiberti* contra S. Gregorium VII., & *Alberti*, *Theodoricique* contra Paſchalem II., contenditque horum *Schiſmaticorum* ordinationes nequaquam in dubium fuiſſe vocatas. Nam de Felice; & Vigilio dictum eſt abunde Cap. V. n. 39. & 42., de reliquis ajo non conſtare, eos ordinationes ſacras habuiſſe; aut ſi habuerunt, probatas, & admiſſas fuiſſe; praeterquam *Guibertum*, cujus ordinationes tam abeſt, in dubium eas non fuiſſe vocatas, ut aperte in Concilis maximis Placentino, & Roma-

mano ſub Urbano II. confixae fuerint, & *irritae* declaratae anno 1095., & 1099.

XVI. Falſum quoque dico, *Paſchalem II.* non reſcidiſſe Schiſmaticorum conſecrationes ex his, quae Cap. praecedenti n. 33. & Cap. VII. n. 24. exhibui; quandoquidem profeſſus eſt ſe *in omnibus, & per omnia* tenere, quae Urbanus II. tenuerat, decreveratque; hic autem ſcripſit, *Schiſmaticorum* utpote extra Eccleſiam militantium Sacramenta nulla eſſe; ut viſum eſt paulo ante num. 7. In ejusdem enim Paſchalis Papae Guaſtallenſi Concilio anno 1106. actum non eſt de illorum ordinationibus iterandis, vel non; ſed de iisdem Schiſmaticis *in officio Epiſcopali* ſuſcipiendis, quos Pontifex tandem admittendos indulſit; *niſi aut invaſores, aut Simoniaci, aut criminoſi* comprobarentur: quales fuerunt *Albertus*, & *Theodoricus*, nec non *Maginulphus* ſedis Apoſtolicae invaſores: inquit enim, teſte Abbate Urſpergenſi: *Per multos jam annos Regni Teutonici latitudo ab Apoſtolicae ſedis unitate diviſa eſt; in quo nimirum Schiſmate ... vix pauci Sacerdotes, aut Clerici Catholici in tanta terrarum latitudine reperiantur. Tot igitur filiis in hac ſtrage jacentibus Chriſtianae pacis neceſſitas exigit, ut ſuper hos materna Eccleſiae viſcera aperiantur. Patrum itaque noſtrorum exemplis, & ſcriptis inſtructi, qui diverſis temporibus Novatianos, & Donatiſtas, & alios haereticos in ſuis ordinibus ſuſceperunt, praefati Regni Epiſcopos ſchiſmate ordinatos (niſi aut invaſores, aut Simoniaci, aut criminoſi ſint probati) in officio Epiſcopali ſuſcipimus. Id ipſum de Clericis cujuſcunque Ordinis conſtituimus, quos vita, ſcientiaque commendat.* At, inquies, Novatianorum, & Donatiſtarum ordinationes probatae fuerunt. Verum eſt de nonnullis, & de non nullis falſum: probarunt Auguſtinus, & alii; Cyprianus vero cum aliis improbavit. Sed de hac re Cap. XI. diſſeram.

XVII. Porro quod opponitur de graviſſimo illo, ac diuturno *Schiſmate*, quod ſub Urbano VI. anno 1378. incoepit, & ultra 50. annos perduravit uſque ad annum 1429., meminiſſe oportet, unaque ſcire, illud fuiſſe *ſchiſma dubium*; in quo cum diſceptaretur, quis verus Pontifex eſſet; liquet omnium ordinationes etiam dubias extitiſſe; ideoque cunctas admitti, perferrique publici boni cauſa debuiſſe. Nam non ſolum *ordinationes* ſacrae illo in Schiſmate immotae remanſerunt, quae quando

ve-

verae, ac validae ſunt, & characterem imprimunt, & iterari non poſſunt; ſed etiam aliae ordinationes, *electiones*, *Praefecturae*, *conſecrationes*, dignitateſque, quae nullum inſigunt characterem, & iterari quoquo modo poſſunt; perſtiterunt illibatae. Proptereaquod quantum ad primum *error communis cum titulo* jurisdictionem, ac poteſtatem tribuit in Eccleſia, ut etiam indicavi Cap. v. num. 32., quantum autem ad ſecundum *electio*, *quae non valet, per ratihabitionem poteſt confirmari*, inquit Gloſſa ad c. *Quod ſicut* de Electione. Dubium Schiſma fuiſſe, & minime certum; hinc elici quoque poſſet, neminem eorum ordinatorum poenitentiae unquam ab Eccleſia addictum legi, aut per manus impoſitionem ſuſceptum extincto ſchiſmate.

XVIII. Objicitur praeterea Stephani Tornacen. Epiſcopi ad Lucium III. Epiſtola 89. al. 108., qua poſtulat, ut cum quodam Odone ad *Acolytatus* ordinem a *Schiſmatico* Biſuntino Antiſtite promoto diſpenſare velit; quo ad majores ille queat aſcendere gradus. Cui facile reſpondetur, agi ibi de eo, qui fuerat jam ordinatus, & *factus Clericus a Catholico* Antiſtite; ſed quia *in ſuſcipiendis Minoribus Ordinibus deliquit;* idcirco prohibitus erat, ne ad majores aſcenderet: poſtmodum autem opera Tornacen. Epiſcopi diſpenſationem petiit; quae facile obtineri poterat; *cum minores* ordines non ita neceſſarii ſint, quin *majores* ſine ipſis, ac ſine etiam diſpenſatione queant ullo modo haberi; ut docet S. Thomas in Supplem. q. 35 art. 5. his verbis: *in primitiva Eccleſia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores ordines non ſuſceperant; & tamen poterant omnia, quae inferiores ordines poſſunt ... ſed poſtea per conſtitutionem Eccleſiae determinatum eſt &c.* Ad illud tandem Innocentii III. c. *Fraternitati* de Schiſmaticis, & ordinatis ab eis, quo Bituricenſi Archiepiſcopo reſcribit: *Priorem, quem a Schiſmatico aſſeris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter; niſi legitime probaverit ſecum fuiſſe miſericorditer diſpenſatum*: dico, Pontificem loqui de ordinatione, ac promotione in *Priorem;* quae dignitatis quidem, ac beneficii Eccleſiaſtici collatio eſt, ſed non *Ordinis* ſacri; ideoque nihil ad rem noſtram. Caetera, quae opponi ſolent, aut poſſunt; Cap. xi., & xii. diluentur: ſolumque advertatur oportet; multa in hoc Capite haberi, quae magis

ad

ad Schiſmaticos *mixtos*, & ad intruſos, *invaſoreſque* pertinent, quam ad Schiſmaticos ſimplices.

CAPUT X.

De Depoſitorum, & Degradatorum &c. Ordinationibus.

I. Epoſitio, quae in hac Ordinis diſputatione ſumitur pro privatione, olim idem erat ac *degradatio*, quam vocem (ne mihi litem intentent Grammatici puri ſermonis Latini cuſtodes) uſurpavit primum, quod ſciam, Eliberitanum Concilium can. 20., cum ait: *Si quis Clericorum detectus fuerit uſuras accipere, placuit degradari, & abſtinere*: mox S. Auguſtinus lib. 4. contra Creſconium cap. 11. ſcripſit: *ſine ulla degradatione, ſine Baptiſmi iteratione in Altaris concordiam ſuſcepiſtis*: & Epiſt. 169. ad Euſebium c. *Subdiaconus* 24. q. 1. *ego, ſi Domino placet, iſtum modum ſervo; ut quiſquis apud eos propter diſciplinam degradatus &c.* ut & in Breviculo Collat. 3. cap. 18., idque antiquiſſimorum Latinorum exemplo, qui *deſecrare*, & *reſecrare* dixerunt, dum quod ſacrum erat, profanum faciebant: hinc & S. Hieronymus in Chronico ad ann. 351. non dubitavit ſcribere: *de Epiſcopo in Presbyterum regradavit*: uſus enim multa *vocabula adinvenit, & inventa antiquavit* teſte M. Tullio in Tuſcul. Hae igitur voces, & nomina Eccleſiaſtica a pluribus, vel omnibus invicem hodie ſecernuntur; ut *depoſitio* dicatur privatio funditus, & omnino Officii, ac beneficii Eccleſiaſtici; *degradatio vero* inſuper extra Cleri ſtatum expulſio: quanquam interdum invicem confundi ſolent maxime per Scriptores: *degradatio* tamen eſt ſolius vere ordinati; *depoſitio* vero etiam uſurpatoris.

II. Sunt igitur in hujus rei argumento, qui quaerant; an *character* ordinationis maneat in iis, qui ordinis dignitate privantur; iiſque, qui extra Cleri ſtatum expelluntur; ſive, ut brevius loquuntur, in *depoſitis*, & *degradatis*: idque proptereaquod characterem a *poteſtate* non diſtinguant: dum enim quaerere volunt; an *depoſiti*, & *degradati* poteſtatem ordinandi retineant; de charactere verba faciunt, & ſilent de poteſtate: verum *chara-*

racter cum omnium Catholicorum conſenſu indelebilis aſſeratur; nemini quoque dubium eſſe debet, ipſum in depoſitis, & degradatis permanere: ſed illud inquirendum venit; utrum in illis ipſis, qui deponuntur, & *degradantur*, perſiſtat ordinandi *poteſtas*: quandoquidem jam Cap. II. ſatis, ut arbitror, oſtenſum eſt, non ſolum characterem non eſſe poteſtatem, ſed etiam ſine iſta illum permanere poſſe; & quidem iſtud non ſemel factum fuiſſe. Sine poteſtate vero *characterem* conferri non poſſe; quod eſt aliud, quod quaerendum putant; ne in quaeſtionem quidem veniat oportet; nam ſine poteſtate Ordinis quo pacto tribuetur Ordo? & ſine ordine quomodo character Ordinis? Meum igitur erit oſtendere; in illis, quos dixi, depoſitis, degradatiſque *characterem*, non *poteſtatem* Ordinis permanere; ideoque illos ordinem ſacrum aliis nequaquam poſſe conferre.

III. Ordinis enim *poteſtatem* auferri, quum quis e Clero exauctoratur, *deponitur*, ac *degradatur*, ex ipſomet verbo, dicendique modo mihi elici poſſe videtur: ſiquidem quid eſt hoc loco *deponi*, niſi privari? quid etiam, ut ajunt, *degradari*, niſi de gradu moveri? quo vero quiſpiam e Clero privatur? non quidem *charactere*, qui deleri non poteſt; nec item *gratia*, quae aut amiſſa fuit delinquente Clerico, aut in ſola Dei voluntate ſervatur: igitur *poteſtate* agendi, quae Ordinis, gradus, officii, honoris, ac dignitatis nominibus venire ſolet. Et ſane Patres, & Concilia cum poenam *depoſitionis*, aut *degradationis* irrogant alicui; iſtis utuntur loquendi modis: *ab omni ſacro Ordine removeatur: ordine, & honore privetur: ab officio removeatur: ab omni Eccleſiaſtico officio deponatur: de proprio gradu in periculum veniat: dignitate nudetur: ex Clero abjiciatur: alienus ſit penitus a Sacerdotio, & Clero, & gradu: honoris gradu careat: omni officio, & beneficio ſpolietur: ſit a dignitate, vel officio alienus*: & ut in 6. c. *Degradatio* de Poenis dicitur: *auferimus tibi veſtem Sacerdotalem; & te honore Sacerdotali privamus... deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & privilegio Clericali*: aut c. *Pro humani* de Homicidio: *excommunicationis, & depoſitionis a dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat ſententias ipſo facto*. Et cum *Ordo* ſacer ſit quidam *gradus* ſpiritalis, & *principaliter poteſtatem importet* ex S. Thoma, aliiſque Cap. I. adductis: cum dicitur quis *degradari*,

ſeu

ſeu de gradu expelli; [illegible] *ordine* ſpoliari, ac *poteſtate* privari?

IV. Reſpondent ſolito illo, perpetuoque effugio; iis dicendi modis auferri *Ordinis uſum*, ac exercitium, nec non beneficium, non autem *Ordinem* ipſum, ejuſque *poteſtatem*. At ipſos rogo; quodnam inter *ſuſpenſionem*, & *depoſitionem* aeſtiment diſcrimen eſſe? num quia ad tempus illa; iſta vero perpetua cenſetur; ſi datur & perpetua ab officio, & beneficio ſuſpenſio? Dicent, *depoſitionem*, ac *degradationem* amplius *privilegio* Clericorum privare, extraque *Cleri ſtatum* conſtituere. Sed quomodo extra Cleri ſtatum, & ordinem detruſus aſſeritur, qui adhuc Clericus eſſe, & Clerici poteſtatem habere defenditur? annon affirmant, & mordicus propugnant, depoſitum, ac *degradatum* adhuc *valide*, etſi non *licite*, munia ſui officii, ordiniſque peragere? Sacerdotem vere ſacrum conficere? & Epiſcopum vere, & *valide* ſacros Ordines conferre? quodnam unquam hoc majus extat *privilegium* Clericorum, quam ut quis valeat invita Eccleſia facere, quod ipſe velit, & nolit Eccleſia; ipſe patrare poſſit, & Eccleſia impedire non poſſit? Cum igitur iſthaec minime ſint veritati conſentanea, & Eccleſiae dignitati congruentia; manifeſtum eſt, *ordinis*, *gradus*, *honoris*, *&* *officii*, *dignitatiſque* nomine, quo quis ſpoliatur ab Eccleſia, cum exauctoratur, ac deponitur; ſignificari potiſſimum Ordinis *poteſtatem*, ac *Ordinem* ipſum, cujus natura *poteſtas* eſt.

Et quidem (ut unum de multis proferam exemplum) quum Nicolaus I. c. *Clericum* d. 50. ſcripſit; *Clericum, qui Paganum occidit, non oportet ad gradum majorem provehi, qui carere etiam debet acquiſito*: ſciſcitor, an qui poſcebat ad gradum evehi majorem, peteret dumtaxat *uſum*, & exercitium ordinis, an vero ipſum gradum, ſeu *ordinem?* certe gradum ipſum, ordinemque reſpondebunt: cur igitur is, quem dicit Nicolaus debuiſſe carere *acquiſito* gradu, carebit tantum *uſu*, ac exercitio gradus? quid enim eſt, quod ille acquiſivit? ipſum plane *ordinem*: ergo ſi carere poteſt acquiſito juxta Nicolaum PP., carere poteſt *ordine*.

V. Praeterea *Rex* ille, qui juſte Regno ſpoliatur, ac deponitur, Rex nullus eſt, nullamque ad Regni negotia poteſtatem habet: ergo a ſimili nec *Epiſcopus* juſte depoſitus, & exauctoratus eſt Epiſcopus, ullamque ad ordinis Epiſcopalis munia pote-

te-

teſtatem ſervat: Reſpondet quidem Richardus Mediavilla in 4. d. 25. q. 3., *Epiſcopum* habere dignitatem a Chriſto Domino, ideoque a Deo; propter quod nonniſi per Dei potentiam ei poteſt auferri Epiſcopalis poteſtas; etſi executio ejus a ſuperiori in jurisdictione, ideſt a poteſtate Papae dependeat: *Regnum* autem terrenum ab hominibus, & inferiorem a ſuperiori dependere; ideoque ab illis etiam auferri poſſe. Sed haec reſponſio facile refellitur: quoniam *non eſt poteſtas niſi a Deo; quae autem ſunt, a Deo ordinatae ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit* ex Apoſtolo ad Rom. 13., & tamen omnis *poteſtas* Regia, & ſecularis juſte tolli poteſt per homines; quia & per homines tribui poteſt: igitur ſi *poteſtas* Epiſcopalis, & Eccleſiaſtica poteſt dari per Eccleſiam; poterit & per eandem auferri. Inquit enim S. Pacianus Epiſcopus Barcinon. Epiſt. 1. ad Sympron. *quod per Sacerdotes facit Deus, ipſius poteſtas eſt*: Chriſtus Deus Eccleſiae ſuae omnem dedit poteſtatem; ergo Dei Eccleſia poteſtatem, quam accepit, quemadmodum dare poteſt, ita & auferre poteſt. Siquidem non magis eſt a Deo Epiſcopalis, ordiniſque *poteſtas*, quam ordinis *executio*, & *jurisdictionis* poteſtas; atqui ordinis executio, jurisdictioniſque poteſtas tolli poſſunt per Eccleſiam; igitur & Ordinis, Epiſcopaliſque poteſtas per eandem. Solius quidem Dei eſt inſtitutio, & deſtructio *Sacramentorum;* ſed collatio, & ablatio in poteſtate Eccleſiae. Et haec quantum ad rationes, nunc autem ad exempla, & autoritates veniendum.

§. 1. *De Meletio, & Meletianis.*

VI. MEletius Epiſcopus Lyci in Thebaide, quia ſibi ordinationes ſacras; quae ad Alexandrum Alexandriae Aegypti Antiſtitem pertinebant, arrogaverat, etiam poſteaquam fuerat damnatus, & dignitate ſpoliatus, a Nicaena Synodo I. anno 325. eſt eo multatus modo, quem perhibet ejusdem Synodi ad Alexandrinam, aliaſque Eccleſias Epiſtola apud Gelaſium Cizicenum lib. 2. Hiſtoriae Synodi Nicaenae c. 33. *Concilium clementius aliquando in Meletium animatum ... decrevit, ut in ſua Civitate maneat; poteſtatem autem nullam habeat vel manus imponendi, vel adminiſtrandi, vel quemquam ad munus aliquod*

quod Eccleſiaſticum deligendi; vel in aliena Regione, aut Civitate ejus rei gratia comparendi: ſed ut ſolum dignitatis nomen detineat. Illi vero, qui ab eo in ſacrum ordinem lecti ſunt, ſimul atque ſanctiore ordinatione confirmati fuerint, ad communionem poſthaec admittantur; & permittatur illis quidem honoribus frui, & ſacris muneribus fungi: ſed tamen omnibus in ſingulis Paroeciis, & Eccleſiis, qui ſunt ab ... Collega noſtro Alexandro ordinati, ſint omnino inferiores. Quin etiam nulla poteſtas eis ſit vel deſignandi, quos velint, vel omnino quicquam faciendi abſque conſenſu Epiſcoporum Catholicae, & Apoſtolicae Eccleſiae, qui ſub Alexandro ſunt SS. Collega: ita quidem tranſtulit Balforeus interpres; attamen cum Graecus textus de Meletio habeat: μήτε χειροτονεῖν, μήτε χειρίζειν, μήτε χειροθετεῖν: vertendum erat: *nec ordinandi, nec miniſtrandi, nec manus imponendi:* Theodoretus, qui eandem exhibet Epiſtolam lib. 1. cap. 19., legit: μήτε προχειρίζεσθαι, μήτε χειροτονεῖν: ideſt *neque eligendi, neque ordinandi*: uti verterat & Epiphanius Scholaſticus in Hiſt. Tripartita lib. 2. cap. 12. Quod ſi a Meletio ordinati jubentur accipere *ſanctiorem ordinationem* (μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ), ſi in ſuis honoribus admitti velint; quod eſt iterum a Catholico legitimoque Antiſtite ordinari; ut recte interpretatus eſt Valeſius in notis ad lib. 1. cap. 9. Socratis, & Theodoreti, a Dupinio, Binghamo, aliiſque ſecutus: quamvis Habertus in Hieratico, aliique plures refragentur: igitur ideo quod Meletius exauctoratus, ac *depoſitus* ordinandi *poteſtate* carebat; non autem quia *Schiſmaticus*, ut quidam arbitrantur; & ut admonui Cap. praecedenti n. 3.

VII. Nullaque eſt Witaſſis Obj. 1. ſect. 6., aliorumque reſponſio; qua volunt Concilium loqui de ordinatione *confirmatoria*, & impropria, non de *conſecratoria*, & propria; ideoque nec de iterata ordinatione intelligendum: propterea quod Patres Nicaenos conſtat non aliter hanc vocem χειροτονία proferre ſolitos, quam quum exprimerent veram, & propriam *ordinationem*; & praecipue in ea Epiſtola; alioquin cum decrevit, Meletium non habere *poteſtatem nec ordinandi, nec manus imponendi:* ſi veram ordinationem hoc loco non intellexiſſet, non ei majorem, & veram ademiſſet poteſtatem; nec ſatis caute ſe geſſiſſet; quando unica voce uno in loco modo hoc, modo illud intelligendum eſſet. Sicut quum loquitur de *ordinatis* a Meletio,

& ab

& ab Alexandro; annon de vera ordinis collatione loquutum aſſeverant? cur igitur itidem non erit, cum agit de *ſanctiori ordinatione* praeſtanda? Certe cum Symmachus Papa Epiſt. 25. ad Hiſpaniae Epiſcopos n. 2. ait: *& ſi ipſe quidem a redemptione liber initiaverit benedictione myſtica Sacerdotem &c.* autumat ordinationem veram, & *conſecratoriam*: igitur & Nicaenos Patres, dum *magis myſticam ordinationem* pronunciarunt, idipſum voluiſſe dicendum eſt. Exempla porro, quae contra producit Witaſſe, minime ad rem faciunt: & cum ſubdit: niſi Meletiani jam Ordinis characterem habuiſſent; cur eos aut Presbyteros, aut Epiſcopos feciſſet Eccleſia? cum ſatis, inquit, fuiſſet, ſi ut *Laici* erant, ita reciperentur a Catholicis, nec novis eos beneficiis cumulari, ne potior eſſet Schiſmaticorum, quam Catholicorum conditio.

Reſpondeo, id etiam conceſſum fuiſſe Clericis *Paullianis* can. 19. ipſis Schiſmaticis longe pejoribus Haereticis; quorum tamen *ordinationes* irritas, ac nullas omnes cum Concilio fatentur; & characterem eos nullum habuiſſe concedunt; ideoque *Laicos* eos facto, nomine vero Clericos fuiſſe. Caeterum Nicaenorum Patrum de *Meletio* ſententiam eſſe eo, quem dixi, modo intelligendam confirmat factum *Theodori* Oxyrinchi in Aegypto Epiſcopi, qui, uti tradiderunt Presbyteri Marcellinus, & Fauſtinus in Libello precum ad Impp., anno circiter 360. *iterum ordinavit* Meletiani Schiſmatis *Presbyteros*, & *Diaconos* Epiſcopus Nicaenae Synodo ſuppar.

§. 2. *De 8. Arianis, & Jo: Chryſoſtomo.*

VIII. SYnodus etiam Sardicenſis anno 347. cum exauctoraſſet Stephanum *Antiochenum*, Menophanem *Epheſinum*, Acacium *Caeſarienſem*, Georgium *Laodicenum*, Urſacium *Singedunenſem*, Valentem *Murſienſem*, Theodorum *Heraclien.*, & Narciſſum *Nerodiaden.* Epiſcopos Arianae ſectae Anteſignanos, ſcripſit ad omnium Eccleſiarum Antiſtites: *decrevimus eos non modo Epiſcopos non eſſe, ſed ne dignos quidem fidelium communione*: igitur Epiſcopus depoſitus, ac dignitate nudatus fit non Epiſcopus non quidem *characteris* jactura, ſed *poteſtatis* perditione. Quod ſane magis explanat *Sanctus Cyrillus* Alexandrinus Epi-

Epiſcopus Epiſt. ad Atticum CP. Antiſtitem apud Nicephorum Calliſti lib. 14. cap. 27., qua ipſi Attico *S. Joannis Chryſoſtomi* nomen ſe ſacris Tabulis inſcripſiſſe ſignificanti reſcripſit; mirari ſe illum *non in Laicorum, ſed Epiſcoporum Catalogo adſcriptum fuiſſe*; idque eſſe contra *Patrum Nicaenorum* decretum, ſubdens: *quomodo namque inter Sacerdotes Dei cenſebitur, illorumque ſortem feret, cui Sacerdotalis dignitas abrogata eſt? quomodo vero in Catalogo ſacrorum Miniſtrorum erit, qui Eccleſiaſticis moeniis ejectus eſt?... quomodo igitur aut inter Epiſcopos Laicus, aut inter germanos, & legitimos, qui talis non eſt, conſiſtet?... conſequens igitur non eſt propter adverſus quorundam ſermones, (ſiquidem prorſus aliqui ſunt) funditus Eccleſiaſticas ſanctiones convelli, ut Laicus Sacerdotali dignitate enitentibus adnumeretur, & honorem eundem conſequatur*. Putabat enim Cyrillus, rebaturque Chryſoſtomum inimicorum calumniis oppreſſum vere lapſum fuiſſe; ob idque vere etiam Epiſcopali dignitate privatum; propter quod *Laicum* eum appellat: exauctoratos enim fieri *Laicos* videbimus Cap. XII.

§. 3. *De Proculo Maſſilien.*

IX. Sic & Zoſimus Papa anno 418. acriter invehitur in *Proculum Maſſilienſem* Epiſcopum, eo quod etſi dignitate ſpoliatus, exauctoratuſque fuiſſet; nihilominus tamen adhuc Epiſcopum agebat ut antea, & *ordinationes* Clericorum, nec non Epiſcoporum ſicut Metropolitanus faciebat: quare Epiſt. 11. ad Patroclum Arelaten. Antiſtitem de illo ſcribit rumorem ferre: *quosdam idoneos turbationibus homines, & poſt illa, quae illi interdiximus, ordinaſſe. Sed ſciant, quibus hanc Epiſtolam volumus in notitiam pervenire, ſuſcipi nullatenus poſſe; quia aut contra regulas repente, aut poſtquam interdiximus, illi ſunt ordinati*: & Epiſt. 12. ad Maſſilienſes de eodem inquit: *cum ipſe jam non ſit Epiſcopus, Epiſcopos facit; & humanus largitor aliis ſe dicit poſſe praeſtare, quod datum ſibi aliquando immerito tenere non potuit*: cum ante dixiſſet Epiſt. 6. ad Afros, Gallos, & Hiſpanos Epiſcopos eum *Sacerdotio ſua confeſſione ſpoliatum*. Nam canon 27. al. 29. Apoſtolorum habet: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus depoſitus juſte ſuper certis criminibus auſus fuerit attre-*

ſtare miniſterium dudum ſibi commiſſum; hic ab Eccleſia penitus abſcindatur; uti & can. 4. al. 6. Antiochenus: erat igitur & depoſitus, & communione privatus. Nec quemquam moveat, quod Fraſſen hoc loco reſpondet, *Proculum* dici non Epiſcopum quantum ad *honorem, gradum, & officium*, quibus privatus fuerat, non quantum ad *characterem*: quoniam ego de *charactere*, qui quum ordo non ſit, ſed ordinis ſignum, litem non moveo; ſed de *poteſtate* Ordinis, quam dixi principaliter ordinem velut naturam, ac notionem ejus ſignificare; *ordinem* autem eſſe gradum, honorem, & officium: quamobrem ſi fateris privatum fuiſſe honore, gradu, ac officio; ipſum quoque privatum ordine, ac poteſtate fatearis oportet: praeſertim cum dicat Zoſimus: *ſe dicit poſſe praeſtare, quod datum ſibi immerito tenere non potuit*: quid datum illi fuerat niſi ordinem, hoc eſt ordinis poteſtatem? ergo iſtam tenere non potuit, iſtaque fuit expoliatus. Et quod adducit, ut probet *Proculum* verum fuiſſe Epiſcopum, Epiſtolam nimirum 4. S. Hieronymi ad Ruſticum, qua Proculus laudatur, & Concilium Aquilejenſe, cui addas & Taurinenſe, quibus vel interfuit, vel cum honore memoratur, nihil cauſſam promovet; cum iſta longe praeceſſerint Proculi depoſitionem, qua ſola ille coepit eſſe, & dici *non Epiſcopus*.

§. 4. *De Ebbone Rhemenſi*.

X. SEquitur Concilii Sveſſionen. II. anno 853. coacti celebre decretum, quo Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, & vir doctiſſimus cum aliis tribus Galliarum Archiepiſcopis, 30. Epiſcopis, uno Chorepiſcopo, & 7. Abbatibus ſuper ordinationibus *Ebbonis* olim Rhemen. Archiepiſcopi dignitate moti c. I. ita praefatur: *Claruit praefatum Ebbonem Epiſcopale officium illicite repetiiſſe; quoſque gradibus Eccleſiaſticis aeſtimatus fuerit promoviſſe, damnationi potius obnoxios effeciſſe*. Cum enim *Ebo* Ludovicum Pium Imp. anno 833. in Compendienſi Conventu Lotharii filii fautor exauctorare auſus eſſet; cujus opera factus fuerat Archiepiſcopus; ob eam cauſſam anno 835. in Synodo apud Theodonis villam depoſitus, dignitateque ſpoliatus fuit: ſed anno 840. mortuo Ludovico Pio a filio Lothario priſtinae reſtitutus dignitati per annum eam tenuit, & etiam *ordinationes* ſacras

cras fecit. Verum inſequenti anno fugere, ſedemque deſerere coactus amplius eam recuperare nequivit; cum anno 842. ejus depoſitio fuerit in Bituricenſi Concilio confirmata; & an. 845. *Hincmaro* ei ſucceſſore ſubrogato ipſe anno 851. diem obiert. De cujus ordinationibus, ac ordinatis Synodus Sveſſionen. decrevit Act. 4. *Quod qui ab ipſo voluerant, & viſi fuerant ordinari in gradus Eccleſiaſticos ab eodem, quod idem non habuit, nemo eorum accipere potuit: damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impoſitionem ei dedit: quia qui particeps eſt damnato, quomodo debeat honorem accipere, ut Innocentius Papa dicit, inveniri non poteſt*: & Act. 5. *Canonica, & Apoſtolica autoritate inventum, & decretum eſt a ſancta Synodo; ut quicquid in ordinationibus Eccleſiaſticis idem Ebbo poſt damnationem ſuam egerat, ſecundum traditionem Apoſtolicae ſedis; ut in geſtis Pontificum legitur*, (ideſt in Vita Stephani III. al. IV. de Conſtantino Antipapa) *praeter ſacrum Baptiſma, quod in nomine S. Trinitatis perfectum eſt; irritum, & vacuum habeatur: & ordinati ab eo, in quamcunque Terrarum partem profugi evagentur, ... Spiritus ſancti judicio Eccleſiaſticis gradibus privati perpetuo habeantur ... Et quia gradus Eccleſiaſticos, quibus privarentur non habebant; juſſi ſunt communione privari*: de quibus jam Judices Act. 2. edixerant: *quoniam miniſtrare nec debent, nec potuerunt*.

XI. Quare quod reſpondent; nullius momenti eſſe dico: nam Ebbonem fingamus jure damnatum, depoſitumque fuiſſe; nec unquam rite reſtitutum honori; ut putabant Patres Gallicani Concilii; tametſi characterem Ordinis eum non amiſiſſe conceditur; tamen ordinandi poteſtatem amiſerat: hinc recte a Concilio pronunciatum eſt; eum, *quos gradibus Eccleſiaſticis aeſtimatus fuerit promoviſſe, damnationi potius obnoxios effeciſſe; & Epiſcopale officium illicite*, ideſt invalide, *repetiiſſe*: quoniam ut Cap. I. oſtendi, ſaepe illicitum ſumitur pro invalido; ſicut & recte dictum eſt; ab Ebone tunc ordinatos nec *debuiſſe*, nec *potuiſſe* miniſtrare; quod eſt nec *licite*, nec *valide*. Cum autem ajunt, Ebonem exauctoratum nihil ordinatis a ſe dediſſe quantum ad *honorem, jus*, & *exercitium* poteſtatis; dediſſe tamen *characterem*; eo quod ibi Concilium de *honore* tantum loquatur: admitti nequit; quia qui characterem cum poteſtate tribuit, tribuit & honorem, jus, atque exercitium poteſtatis validum, etſi

 ali-

aliquando illicitum; ut alias edocui: poſtea Concilium profitetur ſe ſequi *Innocentii Papae* ſententiam; hanc vero & Leo III. & Urbanus II. intellexerunt de iis, qui *invalide* ordinantur: quemadmodum probavi Cap. VIII. n. 14. Similiter quod Concilium dixerit Ebonis *irritum* omne praeter *Baptiſma* quantum ad effectum, jura, & privilegia, non quantum ad characterem; exploſum eſt eodem Cap. n. 11., ſi enim *irritum* eſt, quod prorſus nullum eſt; quomodo quod *validum* aſſeritur, irritum dici poteſt? praeſertim cum Concilium pronunciaverit *irritum*, & *vacuum*, quod eſt inane, & nullius omnino valoris. Sed nec illud, quod ajunt, intelligi ſatis poteſt; poenam non eſſe, aliquem privari ſuorum ordinum exercitio, quod nunquam *legitime*, ideſt licite acceperat: ſiquidem qui dolo, ac prave ſacros acquirit ordines, exercitium ordinum nequaquam ſuſcipit ſaltem legitime; & tamen non dicitur *gradus Eccleſiaſticos, quibus privetur, non habere;* nec etiam ob id *communione* privatur; ſed ab ordinum exercitio *ſuſpenſus* declaratur. Poſtea falſum eſt; *ordinatos* ab Ebone depoſito, & reſtituto depravate ordines accepiſſe; cum id inſcienter illi egiſſent; eum enim jure dignitati ſuae reſtitutum, ordinandique jus recuperaſſe crediderunt.

XII. Tandem ad illud de cujuſdam *Halduini* Abbatis Altivillaris ab eodem Ebone depoſito in *Diaconum* ordinatione, & poſt a Lupo Catalavnen. Epiſcopo in *Presbyterum ſine examine* promotione, de quo dictum Concilium Act. 6. hanc tulit ſententiam: *ſecundum ſacros Canones eundem Epiſcopum nibil de illius ordinatione attigiſſe; ſed qui ſaltu ſine gradu Diaconi ad Sacerdotium proſilierat, in degradationem debitam reſilire deberet*: Reſpondent, nihil attigiſſe Lupum quantum ad ordinationis *jura*, non quantum ad *characterem*: & ordinationem *per ſaltum* dici modo ſtricte, modo non ſtricte; primo modo, cum ſuperior gradus ſuſcipitur praetermiſſo tum quoad characterem, tum quoad uſum inferiori ordine; ſecundo modo cum quis ad celſiorem provehitur gradum, inferiori non rite ſuſcepto: male enim, inquiunt accipere; & nullo modo accipere juxta communem uſum loquendi non multum diſcrepant: Concilium autem ſecundo modo locutum eſſe: ita Witaſſe. Sed contorte ſimul, & inaniter; cum nullo modo queat tam perſpicua Concilii ſententia obſcurari: ad primum enim dixi jam paulo ante: & de

al-

altero percontor; ubi nam invenitur, ordinatos *per ſaltum non ſtricte* (ſi tamen ita dici poſſeſt; cum ſit merum hujus Doctoris commentum) deponi, ac *degradari?* nullibi gentium: nam ſi ita de iſtis; quid fiet de ordinatis *per ſaltum ſtricte?* Nec meliora ſcripſerat Juenin in Comment. de Sacram., dum reſpondit, Halduinum in *ſuſpenſionem ab officio Diaconi* incidiſſe; ac proinde fuiſſe, ac ſi *per ſaltum* irrepſiſſet ad Presbyteratum: quoniam ſi in ſuſpenſionem inciderat, non erat igitur nova poena, ſive *degradatione* multandus. Quamobrem iſti contortores Eccleſiaſtica phraſi abutuntur, omniaque pervertunt ad veritatem eliminandam: ſatius plane fuiſſet aſſerere, Sveſſionenſes Patres erraſſe ut in facto, ita & in jure: & praeſtitiſſent forſan, ni Galli Gallis parcere voluiſſent.

XIII. Poſtremo quod Act. 7. ibidem legimus: *quia praefati fratres* (erant autem illi Canonici Rhemen. Eccleſiae, & Monachi) *Epiſcopos Dioeceſis S. Rhemenſis Eccleſiae falſis appetiere criminibus ... & ob id ſecundum canonicam autoritatem communione privati extiterint*; *quoniam gradus Eccleſiaſticos habere non poſſunt legum Eccleſiaſticarum autoritate decernente &c.* nihil ſingulare, ac diverſum habet ab his, quae proxime ſunt commemorata. Licet quidem obſervare, Concilium declarare eos non uſum, & exercitium graduum, ſed ipſos *gradus Eccleſiaſticos* habere non poſſe; uti & Act. 6. quum edixit, Halduinum *ſaltu ſine gradu Diaconi* ad Sacerdotium proſiliiſſe. Sic & Concilium Meldenſe anno 845. can. 10. dixit: *Si autem Monachus contemnens gradum Eccleſiaſticum habuerit, eo privetur: & ſi gradum non habuerit, pane, & aqua contentus ergaſtulo diebus* XL. *retrudatur*. Porro verum eſt, *Acta* hujus Concilii anno 866. reſciſſa fuiſſe a ſummo Pontifice Nicolao I. tanquam contra juris regulas facta; attamen Gallicani Concilii Patres prae ſe morem, & regulam Eccleſiae irritas, & nullas declarandi ordinationes Depoſitorum, ac *degradatorum* tulerunt; cum aſſeruerint ſe agere *ſecundum traditionem Apoſtolicae ſedis*, nimirum Concilii Romani anno 769. ſub Stephano III. al. IV. in cauſſa Conſtantini Pſeudopapae, ejuſque ordinationum celebrati; de quo dictum eſt Cap. V. n. 16. & ſeqq., & ex ſententia *S. Innocentii I. Papae* Cap. VIII. producta, ac ventilata. Quo circa nil mirum, ſi memoratus Nicolaus Papa cum factum illius Concilii carpſerit, irritumque

judicaverit; de jure, ſive de ordinationibus Ebbonis a Concilio profligatis, & nullius valoris judicatis nullum fecit verbum.

§. 5. *De Formoſo Papa*.

XIV. Unum eſt, quod fere omnes concedere non dubitant, factum videlicet Romani Concilii anno 896. a Stephano VI. al. VII. in cauſſa *Formoſi Papae* convocati; quo Acta omnia Formoſi irrita ſunt declarata; & ipſe etiam poſt obitum condemnatus; *cunctoſque, quos ipſe* (Formoſus) *ordinaverat, gradu proprio depoſitos iterum ordinavit* (Stephanus): uti perhibet Luitprandus lib. 1. cap. 8., Sigebertus vero in Chronico ad ann. 902. de eodem Stephano ſcribit: *ipſum Formoſum perſequitur, & omnes ordinationes ejus eſſe debere irritas decernit*: & ad ann. 907. de Sergio III. Actuum Stephani inſtauratore prodit: *Romanos minis, & terroribus pepulit, ut omnes ordinationes Formoſi irritas haberent... & omnes, quos ille ordinaverat, injuſte exordinavit*. Quod quidem factum, inquam, fere omnes neque inficias eunt, neque in adverſum trahere nituntur ſenſum ob duo; & quia quidam *Auxilius Francus* a Formoſo Presbyter ordinatus in ejuſdem Formoſi, ejuſque ordinationum defenſionem duos exaravit libros, quorum in Praefatione ſecundi, ut & cap. 11. & 32. memorat oppreſſiones, quibus *Stephanus*, & *Sergius*, quos dixi, quoſcunque poterant, obſtringere conabantur, ne unquam *Formoſi* ordinationes admitterent: totuſque eſt, ut probet, ejus ordinationes ratas, veras, & validas fuiſſe, non autem irritas, ac nullas, proindeque iterandas; ut quamplures dictitabant: nam cap. 8. agit *adverſus eos, qui ſe excuſant dicentes: inviti denuo conſecrati ſumus*: & c.14. *iterum in eodem gradu conſecrare non formidabant*: inquit Scriptor ille, qui cuncta cernebat. Deinde concedunt, eo quod factum velint a duobus Rom. Pontificibus *peſſimis viris, & Apoſtolicae Sedis invaſoribus* per vim, & metum in Synodo quidem, ſed nequaquam libera, reclamantibus compluribus aliis: idque ſe habere dicunt ex Luitprando, Sigeberto, Urſpergenſi Abbate, & ex binis Joannis IX. Papae Conciliis.

XV. Verum ego nunquam dicere poſſum *peſſimos* viros, & Apoſtolicae ſedis *invaſores*; quorum alterum Stephanum Joannes IX. in Synodo Ravennati anno 898. c. 1. appellavit *piae re-*

recordationis ſuum *praedeceſſorem*: alterum Sergium vero a nemine Rom. Pontificum unquam notatum, traductumque legimus; ſed utrumque ſemper in albo Antiſtitum ſedis Apoſtolicae deſcriptum invenimus. At Stephani *Synodum* abrogavit altera Joannis IX. Utique abrogavit; ſed ſolummodo quantum ad facinus in corpus *Formoſi*, ejuſque ordinationes patratum; caetera non item: non id, quod cum Graecis pro Schiſmatis extinctione, ac *Photio* recipiendo egit; ut ejusdem Joannis IX. Epiſtola ad Stylianum tranſmiſſa teſtatur: non conſecrationem *Lamberti* Imp. a Formoſo rejectam, ejuſque loco illam Arnulfi intruſam: & cum Synodus Joannis IX. anathema vibravit in violatores tumuli Formoſi, niſi reſipiſcerent; in *Stephanum* tamen, ejuſque mores, & memoriam neutiquam invecta eſt. Poſtea eam Joannis IX. *Synodum* quantum ad ea, quae de Formoſo ſtatuit, irritam omnino voluit, fecitque *Sergius III.*, ejuſque factum reſcidit nemo. Sunt enim adhuc, vel certe fuerunt, in utramque partem quae dicerentur: in *Formoſo* fuerunt bona quidem, ſed fuerunt & mala; immo ea fuerunt crimina, ob quae & damnatus fuit, & exauctoratus, anathemareque ictus a Joanne VIII., & in Conciliis Pontigonenſi, & Trecenſi II. Cum itaque de viris criminoſis, exauctoratis, & anathemate multatis Eccleſiaſtici Canones ſtatuerint, ut nunquam in priſtinos honores reſtitui, nec ad altiores Eccleſiae gradus provehi poſſent; quemadmodum ſupra viſum eſt; non videtur perperam cenſuiſſe Morinus, dum par. 2. de ſac. Ordinat. Exercit. 5. cap. 3. ſcripſit, *Stephani*, *Sergiique* factum non prorſus improbandum; quippe qui ex Canonum norma, ſtudioque ita facere potuerunt. In utroque tamen improbari poterit fortaſſe, quod nimis praecipitanter, ac parum librata ſententia in re tam gravi, dubiaque ſe geſſerint; & magis ſtudio partium, quam veritati tribuerint. Sic & Nicolaus I. *Actardum* Namneten. Epiſcop. notavit, ſed non damnavit, quod ordinationes dubias iteraſſet; ut dictum eſt Cap. v. n. 23.

XVI. Quod enim *Auxilius Francus* ſcripſerit contra, floccifaciendum; cum fuerit (ſi tamen unquam fuit) a Formoſo promotus, ac Presbyter ordinatus, tanquam partium ſtudio permotus, atque propriae cauſſae judex habendus eſt; cum ageretur de ejus etiam *ordinatione* vel abroganda, vel iteranda. Cauſſae igitur hujus vindex quidem acceſſit, ſed & imperitus,

& una quoque impius: dicit *Liberium* Papam haereticum, & Apoſtatam; *Vigilium* Rom. Pontificem Bonifacio Papae inſidias molitum &c., *Stephanum III.* al. *IV.* mandaſſe, ut Conſtantino Pſeudopapae oculi eruerentur; *Oſium* non Catholice dixiſſe, *nec laicam in fine communionem recipiat*: ſubde can. 1. & 2. Concilii Sardicenſis: at non ipſe Oſius tantum, ſed univerſum Concilium etiam ſecundum Baronium, & alios Oecumenicum probavit, & dixit: *placet*. Quis autem niſi ſumme audax, idemque impius pronunciaverit, Concilium Oecumenicum *non Catholice* canones condidiſſe? *Luitprandus*, qui ſub Othone I. Imp. floruit, tam male de iis, quae eo tempore acciderunt, edoctus fuit; ut Sergium Formoſo in Pontificatu ſucceſſiſſe ſcripſerint, aliaque in literas mandaverit, quae manifeſte falſa ſunt ipſi etiam Baronio, & Pagio: ſiquidem quae in hac cauſſa prodidit, a partium ſtudio addictis magna ex parte hauſit, uti & *Frodardus*, qui eodem tempore vivebat. Nec majori fide dignus eſt *Sigebertus*, & quod recentior ſit Autor; & quod falſum hac de re eum habere legamus: ſcribit enim ad ann. 903. *Theodorus Papa contra Stephanum Papam ſentiens reconciliavit ordinatos a Formoſo, quos Stephanus per vim Romae intus, & non foris exordinaverat; nec tamen praeſumpſerat eos iterum conſecrare*: cum Auxilius, & Luitprandus contrarium tradant, Stephanum non ſolum depoſuiſſe, ſed etiam iterum ordinatos a Formoſo conſecraſſe. Nihil eſt etiam, *Leonem* Epiſcopum Nolanum, quod a Formoſo PP. ordinatus fuiſſet, a multis ſollicitatum, ut ſe denuo conſecrari permitteret, conſuluiſſe Galliarum Antiſtites; & ab illis reſponſum accepiſſe, ut ab actione tam temeraria abſtineret eodem Auxilio teſte: nam conſtat Gallos ſtuduiſſe Formoſo, ad quos tempore Joannis VIII. confugerat; & quorum opera Romae, dignitatique reſtitutus fuerat.

XVII. Caeterum, ut ut ſit de facto hoc, de quo non noſtrum eſt decernere; ex eo tamen apparet clare, *Stephanum*, & *Sergium* Romanos Pontifices veterem, receptumque morem, ac legem Eccleſiae praecipue Romanae exhibuiſſe, irritas, nullaſve declarandi *depoſitorum*, & *invaſorum* ordinationes; quod eſt id, quod ad propoſitam Diſputationem attinet: an autem *Formoſus* jure, ac merito fuerit exauctoratus; an perperam a Marino PP. reſtitutus; & an tandem intruſus in Apoſtolicam ſe-

ſedem; diſquirant, diſceptentque alii: id certe voluerunt illi, quos dixi, Romani Pontifices; quorum Epitaphia & quidem honorifica ſervantur adhuc, & leguntur: de *Formoſo* vero jam adhuc ſupereſt, quod in praedictis Epitaphiis *invaſor* appellatur: & quod in eum patravit *Sergius III.*, nemo revocavit, reſcidit nemo; & nemo *Formoſi* nomen ex ejus ſucceſſoribus renovare tentavit, curavitque; *Stephani* vero, atque *Sergii* nomina repetere non formidarunt plures. Et ſane *factum* novum criminati ſunt, ac deteſtati Scriptores multi; ſed *jus* in facto nemo praeterquam unus *Auxilius* in propria cauſſa judex, quantum quidem ad antiquos.

§. 6. *De Theologis*.

XVIII. GRatianus Canonum antiquorum Collector, vel aliqui apud eum, in notis ad c. *Quod quidam* 1. q. 1. habet: *Suſpenſo enim, vel depoſito Sacerdote, nulla ei relinquitur poteſtas ſacrificandi: Sacramentum tamen Baptiſmi non ſolum a Sacerdote depoſito &c.* & paulopoſt: *degradatus enim Epiſcopus poteſtatem largiendi ſacros ordines non habet; facultatem tamen baptizandi non amiſit*. Autor vero Gloſſae ad Decr. Gratiani c. *Accedens* d. 5c. adnotat: *Ergo Clericus degradatus non retinet Ordinem ... per hoc quod dicitur infra, inter Laicos communionem ab eo recipiendam: ſed tamen dico, quod characterem ſemper retinet, ... nec credo, quod conficiat* (ſacrum), *quia omnem poteſtatem amiſit*. *Raynerius* etiam antiquus, & illuſtris Canonum Doctor, atque expoſitor apud Autorem Gloſſae ad Decr. Gregorii IX. c. *Si quis Presbyter* de Clerico excommun., Depoſito &c. cenſet, Presbyterum *degradatum* minime celebrare, ſacrumque conficere; *quia*, inquit, *potuit Eccleſia ei auferre illam poteſtatem, quam contulit*; *quamvis non poſſit character auferri; ſicut nec inſignia militi*. Quo nihil clarius, & nihil verius dici potuit; de quibus & Cap. II. diſſerui. Nam Miles *poteſtate* ſpoliatur, non *charactere*.

XIX. Nec minus dilucide veritatem hanc expoſuit doctiſſimus *Gulielmus Pariſienſis* Epiſcopus in Tract. de *Sacramento Ordinis* cap. 7. his verbis: *exauctoratio autem, & depoſitio ſicut Sacerdotes a Clero omnino amovet, & abjicit; privilegioque Clericali omnino privat, & exuit; ita ab officio Sacerdotali omnino amovet*,

vet, & deponit. Et propter hoc Sacerdotali officio de caetero niſi falſo, atque fallaciter ſe ingerere non poſſunt... Cum ergo Eccleſia exauctoratos, atque depoſitos licet Sacerdotes ſuos conſtituerit; Sacerdotes tamen ipſos poſt exauctorationem, & depoſitionem non habeat, nec reputet; immo a Sacerdotio penitus abjectos; & ideo nec ratum habeat, quicquid de Sacerdotali miniſterio attentare praeſumpſerit; neceſſe eſt praeſumptionem eorum, & attentionem quantum ad Sacerdotale officium vacuam, & irritum eſſe: & hoc ipſum forma exauctorationis, & exordinationis indicat evidenter, qua veſtimentis Sacerdotalibus ſigillatim, & illis inverſatis exuuntur; per quod indicare intendit Eccleſia manifeſte, nihil eis dignitatis, poteſtatis, officiique Sacerdotalis relinqui, ſicut de veſtimentis Sacerdotalibus nec unum eis relinquitur.

XX. Ricchardus autem Mediavilla magni nominis Doctor in 4. d. 25. art. 1. q. 3. *utrum Epiſcopus degradatus poſſit ordines conferre*, reſpondet: *dixerunt aliqui, quod quamvis Epiſcopi ſuſpenſi, excommunicati, haeretici poſſint Ordines de facto conferre; hoc tamen non poſſunt Epiſcopi degradati; quia degradati non tantum ſunt ſuſpenſi ab officii executione, ſed etiam ſunt ſpoliati Epiſcopali dignitate; unde non remanent Epiſcopi*: cumque eo tempore fere omnes oppoſitum docerent; eapropter ipſe ſententiam utramque defendere ſuſcepit. Sed & *Ioannes Scotus* inter Doctores cognomento *ſubtilis* eodem ſent. lib. q. 1. d. 25. art. 2. *dubium* ait eſſe, utrum poena *degradationis maxime Epiſcoporum* a collatione ordinum excludat: etſi §. *ad argumenta* reſpondeat: *ſi vero* (Epiſcopus) *ſit praeciſus, & condemnatus ab Eccleſia, non confert ordines; ſi Epiſcopatus non ſit ordo, & poſſit ſimpliciter conferri; ſicut habent reſpondere illi, qui tenent Epiſcopatum non eſſe Ordinem, ſed quamdam dignitatem*. Aſteſanus vero Autor ſummae ſui nominis eodem tempore ſcribens lib. 6. tit. 3. art. 4. ait: *Quaeritur, utrum Epiſcopus degradatus poſſit conferre ordines. Reſpondeo: aliqui dicunt, quod non; quia degradati non tantum ſunt ſuſpenſi ab officii executione, ſed etiam ſunt ſpoliati Epiſcopali dignitate; unde non manent Epiſcopi*: & quidem qui de Epiſcopis exauctoratis ſcripſerunt, omnes eos *non Epiſcopos* dixerunt.

§. 7. *Objecta*.

XXI. Witaſſes, ut *Characterem* probet in *depoſitis*, ac dignitate exutis permanere, & ab ipſis conferri poſſe; quamplu-

ra

ra ſect. 5. congeſſit exempla de Marcello Ancyrano, *S. Athanaſio* Alexandrino, Aſclepa Gazenſi, *Paulo Conſtantinopolitano*, *SS. Ioanne Chryſoſtomo*, & *Cyrillo Alexandrino*, Jo: Antiocheno, ac Theodoreto Cyrenſi, aliiſque Antiſtitibus; qui poſt condemnationem, ac depoſitionem ſuam aut reſtituti ſedibus ſuis iterum ordinati non fuerunt; aut eorum ordinationes nec iteratae ſunt, nec in dubium vocatae: ſuntque magna ex parte deſumta ex c. *Ioannes Chryſoſtomus* d. 50. Verum quotuſquiſque eſt, qui neſciat, illorum Antiſtitum complures & ſanctos viros extitiſſe, & injuſte damnatos, exauctoratoſque fuiſſe? qui vero jure damnati, depoſitique fuerunt, uti *Ioannes Antiochenus*, & ſi quis alius, antea a Catholicis Epiſcopis ordinatos quoque ſciri; quod & de aliis iniuria damnatis etiam certum eſt: ideoque cum ſuis iſtaurarentur dignitatibus; eorum ordinationes iterari non debuiſſe, nec iteratas fuiſſe. Nam, ut ſupra eſt jam diſcuſſum, non quidem de *Charactere* quaeſtio vertitur, num permaneat, vel admittatur; ſed de *poteſtate* ordinis, quam dicimus, & oſtendimus in his, qui jure exauctorantur, ſine dubio deperdi.

XXII. Quantum autem ad *Acacium* CP. Epiſcopum attinet, quem Felix PP. III. al. IV. damnavit, & dignitate privavit; ejus tamen ordinationes Papa *Anaſtaſius II.* non irritas eſſe conſcripſit; id quod tanti faciunt & Auxilius Francus paulo ante memoratus par. 1. cap. 19., & Petrus Damiani Opuſc. 6. cap. 25. & poſt iſtos alii plures: meminiſſe oportet, ob id etiam *Anaſtaſium* adeo male apud omnes Catholicos audiſſe; ut Symmachus Papa ejus ſucceſſor Epiſt. 1. ad Aeonium Arelaten. Epiſcopum non veritus ſit eum veluti *diſciplinae Eccleſiaſticae tranſgeſſorem* carpere, & appellare; & Autor vetus Libri Pontificalis tradiderit, *nutu divino percuſſum*, eo quod tentaſſet *revocare Acacium*, ideſt illius jam defuncti nomen, & memoriam admittere; ob quae multos Clericos, & Presbyteros ab ejus communione ſeparaſſe ſe ſe: quamquam Baronius ad ann. 497. n. 27. id ſcribit a *Laurentianis* Schiſmaticis confictum, ſed nullo Autore ſuffragante; cum Schiſma *Laurentianum* egerit adverſus *Symmachum*, non contra Anaſtaſium; qui & antea vivere deſierat, & nihil ad Symmachi promotionem contulerat. Quocirca Gratianus ad c. *Anaſtaſius* d. 19., & ad c. *Dictum eſt* 1. q. 1. de Anaſtaſio monet: *hoc eum illicite, & non canonice, immo contra de-*

decreta ſuorum praedeceſſorum feciſſe probant Felix, & Gelaſius, qui Acacium ante Anaſtaſium excommunicaverunt; & Hormiſda, qui ab ipſo Anaſtaſio tertius eundem Acacium damnavit: unde etiam ab Eccleſia Romana repudiatur; & a Deo fuiſſe percuſſus legitur in geſtis Rom. Pontificum hoc modo: Anaſtaſius &c. Utique Nicolaus I. Epiſt. 46. ad Epiſcopos Sveſſionenſis Synodi ſcripta eam Anaſtaſii Epiſtolam de *Acacio* retulit pro *Ebbone* Rhemenſi olim Archiepiſcopo, ſed dumtaxat in eo quod *mali miniſtrando Sacramenta* ſibi ipſis, non aliis noceant: quod quidem verum, parum tamen ad rem noſtram: eo quod Nicolaus *Ebbonem* pro malo, ac criminoſo, non pro exauctorato, ut Anaſtaſius *Acacium* habuit.

XXIII. Sane Anaſtaſius Papa in ea ad Anaſtaſium Auguſtum Epiſtola cum ſcribat: *ſecundum Eccleſiae Catholicae conſuetudinem ... agnoſcat, quod nullum de his, quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes, vel Levitas ſecundum Canones ordinavit; nulla ex nomine Acacii portio laeſionis attingat, quo forſitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur: nam & Baptiſma ... inviolabile Sacramentum, quod per illum datum eſt, aliis perfectionem ſuae virtutis obtinuit; ei autem obfuit ... quia virtutem ſuam obtinentibus myſteriis, in hoc quoque aliis rea ſibi perſona non nocuit:* Baptiſma prorſus aliis Sacramentis aequiparat ab Haereticis, & criminoſis collatis; quando S. Innocentius I. Epiſt. 18., & Urbanus II. Epiſt. 17. Haereticis, aliiſque extra Eccleſias degentibus *ſolum Baptiſma ratum eſſe* permitti tradiderunt. Dicit Anaſtaſius, in *ordinationibus* ab Acacio Haereticorum fautore, communione privato, & exauctorato factis *gratiam* datam fuiſſe, & *perfectionem virtutis* Sacramenti; ſibique eum dumtaxat nocuiſſe, non autem aliis: quod & idem Innocentius Cap. VIII. n. 9. exſcriptus inficiatur aperte; uti & Urbanus II. ibidem adductus n. 29. docens *Schiſmaticorum, & Haereticorum Sacramenta formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum* habere, & non ſolum ſibi, ſed & aliis nocere: quin quod & S. Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo cap. 21. ait: *proinde conſentimus Cypriano Haereticos remiſſionem dare non poſſe, baptiſmum autem dare poſſe; quod quidem illis & dantibus, & accipientibus valeat ad perniciem tanquam munere Dei male utentibus.* Poſtea univerſae Eccleſiae dogma ſemper extitit per Haereticos,

cos, alioſque ſimiles *gratiam* non conferri in ſacris praeſertim ordinationibus; ideoque ab illis ordinati aut deponuntur; aut per manus impoſitionem, qua *gratia* a Deo imploratur, in ordinibus inſtaurantur. Aut igitur *Anaſtaſius* privata in Epiſtola lapſus eſt; aut *oeconomiae* cauſa eo diſpoſuit modo, quo Cap. VI. n. 15. & 16. diſſeruimus. Mihi ſane pluris ſemper erit prae caeteris *Urbanus II.*, qui duodecim annos Pontificatum geſſit; & doctrina, vitaeque ſanctimonia inclaruit; quam *Anaſtaſius* ille, qui nec biennium rexit; & dubia fama ex hac vita migravit.

XXIV. Nec me fugit, Vaſquez in 3. par. S. Tho. to. 3. diſp. 235. cap. 2. ad illa Anaſtaſii verba: *quo forſitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur:* aſſerere, intelligendum eum locutum vel de gratia *poteſtatis, & characteris*, quae ſemper ab Haereticis per Sacramenta communicatur; vel de gratia *ſanctitatis, & juſtificationis*: ſi de iſta hac; in illis ſolum id eſſe verum; qui ab Acacio, aliiſque haereticis *bona fide* ordinati, & baptizati fuiſſent: nam ſi errori ipſius, inquit, ſcienter communicaſſent, *gratiam* hujuſmodi per Sacramenta accipere non poſſent. Verum de utraque agere Anaſtaſium liquet: & primum de prima, ex eo quod ipſe utitur argumentis S. Auguſtini contra Donatiſtas extra Eccleſiam vera, rataque Sacramenta non eſſe, neque jus dandi illa contendentes, inquitque: *aliquorum in tantum ſe extendit curioſa ſuſpicio, ut imaginentur, prolato a Papa Felice judicio, poſtea inefficaciter in Sacramentis, quae Acacius uſurpavit, egiſſe; ac perinde eos metuere, qui vel in conſecrationibus, vel in baptiſmate miniſteria tradita ſuſceperunt, ne irrita beneficia Divina videantur*: exiſtimabant igitur, damnatum jam, & exauctoratum a Felice PP. *Acacium* omnem adminiſtrandorum Sacramentorum jus, & *poteſtatem* exuiſſe; ideoque tradita ab eo Sacramenta irrita fuiſſe, atque invalida: quod etſi verum erat in ſacris ordinationibus, non tamen in Baptiſmate. Quum autem Anaſtaſius ait: *inviolabile Sacramentum aliis perfectionem ſuae virtutis obtinuit &c.* quis non intelligit, loqui eum de *gratia ſanctitatis*; ſine qua Sacramenta dicuntur *informia*, & mortua etiam ex Aug. Serm. XI. de verbis Domini, & nullam habere virtutem? & quidem de *gratia* quibuſcunque obtenta, non autem tantum *bona fide* ordinatis, & baptizatis: quis enim neſciret Acacium fuiſſe damnatum, & dignitate privatum?

prae-

praeſertim cum Anaſtaſius ipſe diſcrimen iſtud non interpoſuerit; quaeſtioque de promotis ab Acacio generatim fuerit, non ſpeciatim facta. Quare, ut ut cenſuerint Romani correctores Gratiani; Gratianus me quidem judice in hac re de *Anaſtaſio* omnium optime judicavit, ac ſcripſit; & ſi memorati Correctores Epiſtolam *Symmachi Papae*, quam memini, perpendiſſent, aut aſpexiſſent; talem fortaſſis cenſuram non edidiſſent.

XXV. Denique quod objiciunt; non magis per depoſitionem, ac exauctorationem amitti *ordinationis* characterem, vel characteris imprimendi facultatem, quam *baptiſmatis*: character autem baptiſmatis, hujuſque imprimendi facultas in depoſitis, & exauctoratis manet: ergo & character ordinationis, ejuſque imprimendi facultas: nullo negotio refellitur. Nam cum etiam in non baptizatis extet *baptizandi* facultas; velim mihi dicant, cur in non ordinatis non extet *ordinandi* poteſtas? Aliud eſt igitur Sacramentum neceſſitatis; aliud vero dignitatis: data enim quacunque neceſſitate quilibet etiam *licite* baptizare valet; ſed exauctoratus, & *degradatus* nunquam *licite* ordinare poterit. Deinde alia ratio eſt de *charactere*, alia vero de *poteſtate*: characterem omnem ſive baptiſmatis, ſive ordinationis fatemur immobilem eſſe, atque indelebilem; ſed *poteſtatem* ordinis jam pluribus oſtenſum eſt in *depoſitione* ordinatorum, ac *degradatione* omnino tolli, & amitti; idque etiam iis, quae dicenda reſtant Cap. XI., demonſtrabitur in quibuſdam ordinatis auferri non ſolum *ordinandi* poteſtatem, verum etiam poteſtatem *baptizandi*; non quidem quae extraordinaria vocatur, ſed quae ordinaria, ſive ordinata ſolet appellari.

§. 8. *De ſuſpenſis*.

XXVI. QUi depoſitis, & *degradatis* Antiſtitibus ordinandi *poteſtatem* adjudicant; quanto magis id facient iis, qui *ſuſpenſi*, interdictique tantum agnoſcuntur: & tamen ad c. *Quod quidam* 1. q. 1. legimus: *ſuſpenſo enim, vel depoſito Sacerdote nulla ei relinquitur poteſtas ſacrificandi*: Praeterea ſi ſuſpenſa *juriſdictionis* poteſtate nihil ſit; & nihil eſt, quod quis per eam attentat poteſtatem; cur ſuſpenſa *ordinis* poteſtate non erit nihil, quod aliquis per eam tentaverit agere poteſtatem? inquit enim

enim Jo: Scotus in 4. d. 24. art. 2. *quaecunque enim juriſdictio in Eccleſia vel per ſuperiorem ſuſpendi poteſt ita, quod ſi tempore ſuſpenſionis attentet quis aliquid facere, nihil facit: vel totaliter pro omni tempore tolli*. Certe Zoſimus Papa Epiſt. 11. ad Patroclum Arelaten. Epiſcopum de Proculo Maſſilienſi Antiſtite data, quam ſuperius n. 9. adduxi, ſcripſit de illo ferri; *quoſdam idoneos turbationibus homines, & poſt illa, quae illi interdiximus, ordinaſſe. Sed ſciant, quibus hanc Epiſtolam volumus in notitiam pervenire, ſuſcipi nullatenus poſſe; quia aut contra regulas repente, aut poſtquam interdiximus, illi ſunt ordinati*. Et quidem tam aufertur, quod perpetuo; quam quod ad tempus aufertur: at ille, cui perpetuo abrogatur poteſtas, nihil poteſt: ergo & nihil poterit is, cui eadem poteſtas abrogatur ad tempus: & ſi quod ſervus contra interdictum Domini facit, nihil valet; quanto magis contra interdictum Eccleſiae non valebit, quod inferior Antiſtes agere voluerit.

XXVII. Turbare poſſet id, quod alias laudatus Gulielmus Pariſienſis de *Sacramento Ordinis* prodidit cap. 7. de hac re dicens: *quia ergo ſuſpenſio, vel excommunicatio non aufert officium, nec ab illo amovet, ſed ejus executionem inhibet ad tempus; nec tollit ratihabitionem poſtea ipſius Eccleſiae; ideo nec falſos efficit Procuratores hujuſmodi; nec evacuat miniſterium ipſorum*. Sed primum hic Autor agnovit, differitque de ſola ſuſpenſione *ad tempus*; cum tamen detur & ſuſpenſio *perpetua*; inquit enim Canon 3. Antiochenus: *ſi quis Presbyter ... relicta ſua Parochia in aliam obierit ... ne amplius celebret ... ſi autem in inſolentia omnino perſeverat; is omnino a ſacro miniſterio deponatur*: & Chronicon Mauriniacenſe ad ann. 1139. de Actis Concilii Lateranen. II. refert Innocentium II. ibi pronunciaſſe: *Quicunque per Girardum Engoliſmenſem* (Epiſcopum Schiſmaticum) *ad Altaris officium acceſſerunt, Apoſtolica autoritate interdicimus, ne ipſum impleant; & in illo Ordinis gradu perenniter demorantes ad ſuperiorem non aſcendant*. Deinde cum ait Gulielmus ſuſpenſionem non auferre *officium*, intelligi debet titulo tenus; relinquitur enim ſuſpenſis *titulus* honoris, officii, dignitatis, ſeu ordinis; ſuntque in Clero, & Clericorum privilegio fruuntur; ſed *poteſtate* ordinis deſtituuntur: ut elucet de Meletio Lycopolitano Epiſcopo, de quo dixi ſupra n. 6., exemplaque plura habentur ex Conciliis

Digitized by Google

ciliis Ancyrano can. 1. & 2., Neocaeſarienſi can. 9., Agathenſi can. 1. & 43., Caeſarauguſtano II. can. 1., & Trullano can. 3. & 26., quae quibuſdam *honorem* ſedis, & Cleri permiſerunt; *poteſtatem* agendi denegarunt.

§. 9. *De his, qui dignitate ſe abdicant.*

XXVIII. Eorum, qui dignitatem *Ordinis*, & Eccleſiaſticam deponunt ſponte ſua; alii Chriſti fidem abnegantes extra Eccleſiam diffugiunt, & ad hoſtes Chriſtianorum accedunt; alii vero quadam de cauſſa dignitati nuntium remittentes intra Eccleſiam conſiſtunt, & nihil de fide dimittunt: primi dicuntur *Apoſtatae*, de quibus perſpicue, & vere Gulielmus Pariſienſis proxime memoratus inquit: *nec Sacerdotes Eccleſiae Catholicae ... ſe gerentes ... nihil agunt ex parte Eccleſiae Catholicae, cujus neque nuncios, neque Miniſtros ſe gerunt:* ii enim cum prorſus Chriſtianam Religionem abjiciant; igitur & hujus Religionis poteſtatem omnem, ideoque & ordines ſacros, eorumque miniſtrandorum facultatem abjiciant oportet: & ſi *Haereticos* nullam oſtendimus retinere ordinum conferendorum poteſtatem in Eccleſia; quanto magis *Apoſtatas*. Alii vero, qui quietis ergo, vel alia ex cauſſa dignitatem dimittunt, & intra Eccleſiam degunt, aut locum tantum relinquunt, aut locum ſimul, & dignitatem; uti diſtinguendum eſſe docuit Alexander III. c. *Requiſivit* de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui, Toletano Archiepiſcopo reſcribens: *utrum renunciaverit loco tantum; an loco ſimul, & dignitati: ſane ſi ab eodem* (qui renunciavit *loco ſimul, ac dignitati*) *ſacros ordines ſcienter quis receperit; quia indignum ſe fecit, executionem officii non habebit*: nam de eo, qui *locum* tantummodo dimiſit, dubium non eſt, quin *poteſtatem* ordinandi retineat; cum *dignitatem* ordinis ſibi reſervaverit: ſed dignitate abdicata, conſequitur, ut nulla ſit *poteſtas*, quae neceſſario cum dignitate aut conjuncta eſt, aut eadem prorſus.

XXIX. Etiam Innocentius III. c. *Inter corporalia* de translat. Epiſcopi ſcribit: *Cum quis Epiſcopali praeditus dignitate nullius tamen Eccleſiae poſſit eſſe Epiſcopus; quemadmodum de illo contingit, qui oneri Pontificali renunciat, non honori*: & c. *Poſt tranſlationem* de Renunciat. *praeſertim ſi locum tantum, & non ordinem*

nem reſignavit . . . *ſi veritate ſubnititur*, *quod dictus I. loco tantummodo ceſſerit memorato*, *& non ordini*, *vel etiam dignitati*: ubi licet advertere, locum ſumi pro *onere*; & dignitatem pro *honore*, & *ordine*. Quare falſa eſt Gloſſa eo loco, dum habet: *ordini*, *ideſt ordinis executioni*. *Sed quid ſi renunciaſſet ordini? adhuc poteſt reaſſumi de licentia Papae*. *Nunquid reconſecrabitur? non*; *quia characterem retinuit* 1. *q*. 1. *Quod quidam*; quo loco illud Auguſtini refertur: *nulla oſtenditur cauſa*, *cur ille*, *qui baptiſmum amittere non poteſt*, *jus dandi amittere poſſit*: de Ordinis poteſtate differentis: quoniam ſi *locus* ſumitur pro onere, & onus eſt *ordinis* executio: igitur cum Pontifex ait; *I. loco tantummodo* ceſſiſſe, *& non ordini*; nequit ordo interpretari pro ordinis executione; ſed pro dignitate, ac poteſtate ordinis. Inde namque recte ſequitur altera illa inquiſitio: *ſed quid ſi renunciaſſet ordini?* ideſt *poteſtati*: recteque reſpondet; non iterum conſecrandum fuiſſe ob *characterem* retentum; quo probe convenit cum illis Juris, Canonumque peritis Cap. II. n. 40. & 41. relatis.

XXX. Opponent ſane, Alexandrum loco commemorato *ſuſpenſionem* tantum irrogare ſuſcipienti ſcienter, non autem *depoſitionem*; dum *executionem officii* non habiturum edixit: cum ſuſcipiente vero non ſcienter poſſe Pontificem diſpenſare judicavit: ideoque videri eum pro rite, ac vere ordinato ipſum habuiſſe; conſecratori autem ordinis poteſtatem attribuiſſe. Sed quantum ad ordinatum inſcienter, error communis cum titulo, ut non ſemel edocui, jus, poteſtatemque dare conceditur; quantum autem ad ordinatum ſcienter, liquet ibi Pontificem quodammodo dubitanter loqui, quum ait: *diſtinguendum putamus in ſecundo caſu*: poſtquam diſtinxerat: *utrum renunciaverit loco tantum*; *an loco ſimul*, *& dignitati*. Deinde quaerendum etiam eſſet; cur executionem officii non abſtulit iis, qui *minores* Ordines ſuſcepiſſent; ſed iis dumtaxat, qui *majores*? quia, inquit, minores Ordines vel a Presbyteris conferri poſſe dicuntur; non item majores: porro ille, qui *Epiſcopatus* officium dimiſit, illud Preſbyteri dimiſiſſe non conſtat. Utique; ſed illud tamen conſtat, Gelaſium I. Epiſt. 9. n. 6. de *Presbyteris* ſcripſiſſe: *nec ſibi meminerint ulla ratione concedi*, *ſine ſummo Pontifice Subdiaconum*, *aut Acolythum jus habere faciendi*: igitur ille Presbyter, qui hos Ordines *minores* ſine Pontificis permiſſu dediſſet; *illicite* non minus,

nus, ac *majores* contuliſſet; ideoque pari poena mulctandus fuiſſet. De qua re tamen malim viderint alii, atque diſquirant.

XXXI. Similiter Papa *Sylveſter II.* anno 999. Odiloni Abbati de ordinibus Eccleſiaſticis ab *Epiſcopo*, qui dignitate abdicata factus fuerat Monachus, conſulenti reſpondit: *poſtquam Divino amore ductus honoribus, & officiis renunciavit ſecularibus, non ſibi licuit eadem exercere negotia, quae prius fecerat in communi vita:* tamen quia *quod fecit, obedienter, & ſimpliciter coepiſcoporum licentia, & ſui Abbatis exercuit;* Pontifex indulſit, ut ordinati *benedicti ſint, & proprio fungantur gradu noſtra licentia, & benedictione ... & ipſe jam dictus Epiſcopus poſthac ſimilia non praeſumat*: ut apud Mabillonium eſt lib. 51. Annal. Benedict. n. 104., qui & lib. 53. n. 67. refert Epiſtolam *Benedicti VIII.* Pape Willelmo S. Benigni Divionen. Abbati datam, qua *Benigno Epiſcopo* illius Monaſterii iam facto Monacho tribuit *poteſtatem ordinandi quicquid juſte poſtulatus fuerit in Sancta Eccleſia ordinare, verumtamen jubente Abbate*: igitur ſi Pontifex *poteſtatem* tribuit Epiſcopo, qui dignitatem abdicaverat; illam Epiſcopus non retinuerat, habebatque. Certum enim eſt, eum, qui *Regno* nuncium remittit, regnandi quoque *poteſtatem* dimittere; & ſi abdicato Regno, quicquam attentaverit, egeritque ad regimen illius ſpectans; irritum, invalidum, ac nullius valoris judicabitur. Praeterea aeque ſpoliatus aſſeritur, & eſt, tam qui ſe ipſe ſpoliat, quam qui juſte ſpoliatur ab alio: at, ut oſtenſum eſt, qui deponitur, & exauctoratur jure ab Eccleſia, nullam ordinandi *poteſtatem* retinet: igitur & qui ſe ipſe deponit, & axauctorat. Hactenus de ſacris pravorum *ordinationibus*; nunc aliis argumentis adverſariorum occurrendum eſt.

CAPUT XI.

Argumenta ex SS. Patribus, & Conciliis ducta diluuntur.

I. OBjiciunt 1. In Romano Concilio, vel judicio anno 313. *Donatiſtas Schiſmaticos* a Melchiade Papa, aliiſque Epiſcopis condemnatos quidem fuiſſe, ſed tamen pro Epiſcopis habitos, ac receptos teſte S. Auguſtino Epiſt. 43. al. 162. n. 16., nec non Epiſt. 50. al. 161.,

& Epiſt.

Digitized by Google

& Epiſt. 185. al. 47. cum Optato Milevitano lib. 1. contra Parmen. igitur ratae ſunt Schiſmaticorum ordinationes.

Reſpondetur primum Donatiſtas illos ante Schiſma jam a Catholicis Epiſcopis ordinatos fuiſſe; propterea cum ad Eccleſiam ſunt regreſſi, nova non eguerunt ordinatione. Deinde falſum eſt, id temporis Donatiſtas extitiſſe *Schiſmaticos*, & ab Eccleſia disjunctos; cum ſolum tumultuantes eſſent, & cum Caeciliano, ejuſque ſociis diffidentes; ideoque nondum exauctorati, ac dignitate ſpoliati erant: nam S. Auguſtinus lib. 1. contra Parmen. cap. 11. nos docet, eos tum *ſe a Catholica praecidiſſe*, cum coram Conſtantino Imp. tertium victi ſunt anno 316., quo tempore *Schiſmatici* vere dici caeperunt Donatiani. Et ſane idem Auguſtinus eadem Epiſt. 43. al. 162. ſcribit: *ubi ſeptuaginta Epiſcopi, ſicut de Felice Aptungitano conſtitit, abſentes, & innocentes Collegas tam inſana temeritate damnarunt*: ſubde *Caecilianum*, & *Felicem* in Carthagin. Concilio anno 311., & paulo poſt: *B. Melchiadis ultima eſt prolata ſententia, quam innocens ... qua neque Collegas, in quibus nihil conſtiterat, de Collegio ſuo auſus eſt removere; & Donato ſolo* ... culpato &c., & iterum Caecilianus *relicta Eccleſia intret in privatam domum non Collegarum diſcutiendus examine, ſed factionis cuneo, & odiis muliebribus trucidandus? .. neque enim de Presbyteris, aut Diaconis ... ſed de Collegis agebatur, qui poſſent aliorum Collegarum judicio praeſertim Apoſtolicarum Eccleſiarum cauſſam ſuam integram reſervare*: ſi autem Donatiſtae erant Caeciliani, Felicis, Melchiadis, & aliorum Catholicorum Epiſcoporum *Collegae*; igitur nondum extra Eccleſiam erant, nec *Schiſmatici*, ſed potius Paraſynagogae. Hinc anno 316. Conſtantinus Imp. ad Africam duos legavit *Epiſcopos Eunomium, & Olympium: venerunt, & apud Carthaginem fuerunt per dies quadraginta; ut pronunciarent, ubi eſſet Catholica*: inquit Optatus lib. 1., ſi palam fuiſſet, Donatiſtas vere Schiſmaticos fuiſſe, non adeo de Catholica inquirendum erat. At, inquient, Auguſtinus Epiſt. 185. n. 7. ait, judices Romanos *damnato uno Donato* Schiſmatis Autore, *caeteros correctos, etiamſi extra Eccleſiam ordinati eſſent, in ſuis ordinibus ſuſcipiendos eſſe*. Verum aut ille loquitur in hypotheſi; aut late ſumit *extra Eccleſiam* eſſe.

II. Objiciunt 2. Canonem 8. Concilii Nicaeni I., qui de Ca-

tharis, ſeu *Novatianis* Clericis anno 325. ſtatuit: *ſi aliquando venerint ad Catholicam Eccleſiam, placuit, ut impoſitionem manus accipientes ſic in Clero permaneant*: quique tametſi clarus, & apertus videatur; non parum tamen difficultatis habet, ex eo quod alii vocem a Concilio uſurpatam χειροθετυμένυς ordinationem, alii vero manus impoſitionem tranſtulerunt: & cum ordinatio ſacra fiat per manus impoſitionem, ideoque manus impoſitionis vocabulo veniat interdum ordinatio, hinc orta eſt dubitatio; an vox illa χειροθετυμένυς, quae Latinis eſt *manibus poſitis*, vel impoſitis, ut vertit Gentianus Hervetus; ſit accipienda pro ordinatione, an vero pro reconciliatione: ſiquidem in Eccleſia *manus impoſitio* latius evagatur, quam *ordinatio*. Sane vetuſtiſſimi interpretes, & prope tempora Nicenae Synodi ſcribentes *ordinationem* dixerunt Rufinus Hiſt. lib. 10. cap. 6., Theophilus Alexandr. Epiſcopus Epiſt. ad Ammonem, Theilo, & Thariſtus CP. in verſione Canonum Nicaenorum anno 419. Carthagin. VI. Concilio exhibita; quos ſecuti ſunt Martinus Bracarenſis in ſua Canonum Collectione, Iſidorus Mercator, Gratianus c. *ſi qui* 1. q. 1., Joſeph Egyptius in Arabica paraphraſi, Longolius in verſione VII. Synodi, & Balforeus in trāslatione Hiſtoriae Concilii Nicaeni Gelaſii Ciziceni. Et plane *Theophili* autoritas tanti fuit apud Iuenin in Comment. de Sacramentis, ut eum de *Laicis* Catharorum, non de *Clericis* locutum affirmaverit, magis ut difficultatem evitaret, quam ut veritati ſtuderet: cum Theophilus de illis ſermocinetur Catharis, de quibus agit Canon 8. Nicaenus; hic autem aperte de Catharorum *Clericis* decrevit.

III. Porro & Theophilus, & Rufinus, & Theilo, Thariſtuſque ea vixerunt aetate, qua adhuc plures extabant, qui Nicaeno Concilio interfuerunt; & ex quibus ipſi facile poterant memorati Canonis explicationem reſcire; nec non & morem advertere Eccleſiarum tum Graecae, tum Latinae recipiendorum *Catharorum*, qui id temporis ad Catholicam Eccleſiam convertebantur. Ad haec accedit id, quod dictum eſt Cap. V. n. 2. & 3., *Novatianum* Catharorum patrem nullum fuiſſe Epiſcopum; ideoque & nullas ordinationes ab eo factas; & nullum verum in ejus ſecta ordinem extitiſſe, niſi aliquis ex Catholicis Epiſcopis ad eam transfugerit: Quapropter proclive foret credere, & eos, qui Canonis verbum *manus impoſitionem* tranſtulerunt, nihil aliud intel-

intellexiſſe, quam *ordinationem* ſacram. Nihilominus tamen cum videam Nicaenos Patres ſemper, cum de *ordinatione* verba faciunt, vocem χειροτονίαν adhibere, uti can. 4. 8. 15. 16. & 19., probabile ſit etiam, ac veriſimile, ut hoc loco Canonis 8., dum χειροθεσίαν dicunt, non ordinationem, ſed manus impoſitionem reconciliationis ergo ſignificare voluerint: alioquin uti potuiſſent eo vocabulo χειροτονήθωσαν, quo can. 19. de *Paullianis* diſſerentes ipſi ſunt uſi. Quod ſi ita factum eſt:

IV. Reſpondeo ad id, quod objectum fuit, *Novatianos* meros fuiſſe *Schiſmaticos*; ut autem antiquorum plurimi teſte Magno Baſilio *Baptiſma* Haereticorum nullum eſſe dictabant, illud vero Schiſmaticorum admittebant; ita Schiſmaticorum *ordinationes* approbabant, minime vero illas Haereticorum: hinc eſt, veterem *Conſtitutionum* Apoſtolicarum, & *Canonum* Apoſtolorum Autorem Graecum *Haereticorum* tantum ordinationes improbare, non illas *Schiſmaticorum*. Et quidem Conſtantinus M. anno 326. legem 2. Cod. Theodoſ. de Haereticis tulit, qua *Novatianis* ſolis ſuas reliquit Eccleſias, & coemeteria rationem reddens: *Novatianos non comperimus praedamnatos; ut iis, quae petiverunt, minime largienda crederemus*: non praedamnatos dixit, id eſt non adeo, multumque prae caeteris damnatos; ut & can. 13. Concilii Carthagin. ſub Grato anno 348. habetur: *quod in Laicis reprehenditur, id multo magis in Clericis oportet praedamnari*. Nam & Nicephorus Calliſti lib. 9 cap. 42. narrat ad ann. 359., cum adhuc Macedonius Conſtantinopolitanum Epiſcopatum uſurparet; *Novatianos* ob vocem ὁμοούσιον cum Catholicis probe conveniſſe, inquiens: *pacem namque inter ſe agebant; conveniebant, orationeſque, & alia communicabant; nullo ab Arianis, qui Eccleſias omnes occupaverant, Catholicis relicto Templo. Ita conſuetudinis aſſiduitate, & rerum adverſarum aequabilitate, fruſtra illi eſſe, ſi inter ſe diſſiderent, exiſtimantes ad mutuam communionem erant propenſi. Et perfecta res fuiſſet, niſi multitudinis alacritatem parva quaedam invidia intercedens impediviſſet: multis morem vetuſtum retinendum, atque communionem imperfectam averſandam eſſe dicentibus*. Et Socrates lib. 7. cap. 9. ſcribit: *Anaſtaſium deinde excepit Innocentius* (Papa) *qui quidem primus Novatianos Romae degentes perſequi coepit; multaſque eis Eccleſias ademit*: cap. vero 11. *etenim ad id uſque temporis Novatiani*

ni Romae plurimum floruerant; cum multas ibi Eccleſias poſſiderent; & maximam populi multitudinem in eis colligerent. Theodoſius item junior Imp. l. 65. de Haereticis Cod. Theodoſ. omnibus Haereticis ſevere multatis adjecit: *quoniam non omnes eadem auſteritate plectendi ſunt... Novatianis autem, & Sabbatianis omnis innovationis adimatur licentia, ſi quam tentaverint*: erant autem *Sabbatiani* Novatianorum germen, quibus cum mitiſſime, ut liquet, actum fuit, idque anno 428. Quocirca & S. Petrus Damiani Opuſc. 6. cap. 22. de ipſis *Novatianis*, quos large *haereticos* appellat ex Epiſt. 22. Innocentii I. ait: *si ergo & hi, qui jam ab his ſunt haereticis ordinati, nequaquam ſuo ſunt honore privandi ob id ſcilicet, quia eorum conſecrationes in fide non titubant... At contra Ariani &c.* Cum itaque Schiſmatici Eccleſiae membra cenſeantur; igitur & Eccleſiae Miniſtri tolerari poſſunt.

V. Objiciunt 3., S. Athanaſium non ſolum docuiſſe *Haereticos* cum ſuis ordinibus ab Eccleſia recipi poſſe; ſed etiam *Synodum* ob eam cauſſam anno 362. *Alexandriae* celebraſſe, in qua id erga Arianos Praeſules, ſolis haereſos Ducibus exceptis, firmandum curavit; cui decreto poſtmodum omnes Catholici Romano etiam Pontifice Liberio probante, obſecuti ſunt, ſolo Lucifero Calaritano Epiſcopo cum paucis repugnante; ut ex ipſius Athanaſii ad Rufinianum Epiſtola, aliiſque manifeſte conſtat: ergo ordinationes *Haereticorum* ratae ſunt habitae ſemper ab Eccleſia.

Reſpondetur, primum ibi de *ordinatis* recipiendis agi, non de eorum *ordinationibus*: deinde falſum eſt illos, qui recepti ſunt, fuiſſe haereticos, & Arianos; de qua re legenda eſt ipſa S. Athanaſii Epiſtola, & S. Hieronymus in Dial. con. Lucifer; S. igitur Athanaſius ita ad Rufinianum ſcribit: *Interrogaſti de iis, qui vi quidem tracti ſunt, at infidelitate minime corrupti: & voluiſti me ea ſcribere, quae de ipsis in Synodis, & ubique viſa ſunt... & placuit hoc, quod hic, & ubique; ut lapsis, qui impietatis duces fuerunt, venia quidem detur poenitentibus, ac reſipiſcentibus; locus autem Cleri non detur: eos autem, qui impietatis autores non fuerunt; ſed vi, & neceſſitate tracti ſunt, viſum eſt conſequi veniam; habere autem etiam locum in Clero: maxime quia probabilem defenſionem attulerunt; & viſum eſt hoc diſpenſatione quadam*

dam

dam factum eſſe: affirmant enim; ſe non fuiſſe ad impietatem traductos, ſed ne quidam a pietate longe alieniſſimi Eccleſias corrumperent; maluiſſe vi cedere, & onus ferre, quam populos perire ... qui ergo poenitentiam agunt, aperte, ac nominatim anathematizent Eudoxii, & Euzoi improbam fidem: iſti enim Chriſtum blaſphemantes eum creaturam eſſe dixerunt, & Arianae ſectae Duces fuerunt. S. vero Hieronymus in Dialogo adverſus Lucifer. inquit: *in Alexandrina poſtea Synodo conſtitutum eſt; ut exceptis Autoribus haereſeos, quos error excuſare non poterat; poenitentes Eccleſiae ſociarentur: non quod Epiſcopi poſſint eſſe, qui haeretici fuerant; ſed quod conſtaret, eos, qui reciperentur, haereticos non fuiſſe*. Non igitur ibi actum eſt de haereticis Arianis, ſed de lapſis in *ſimulationem* Arianorum apud Ariminum anno 359., ubi etiamſi in haereſim Arianam illi cecidiſſent, non propterea cum reciperentur ab Eccleſia, debuiſſent iterum ordinari; eo quod in Eccleſia jam, & a Catholicis ordinati fuiſſent ante lapſum, per quem *poteſtas*, non character labefactatur.

VI. Objiciunt 4., Concilium Toletanum I. anno 400. congregatum Symphoſium, Dictinium, & Anterium Epiſcopos ejurata *Priſcilliani* haereſi, quam profitebantur, in ſedes ſuas recepiſſe ex Actis Concilii; idque non improbaſſe Innocentium I. Epiſt. 23. ad Epiſcopos Synodi Toletanae: ergo *Haereticorum* ordinationes, cum probentur ab Eccleſia, ratae ſint oportet.

Reſpondetur Concilium decreviſſe recipiendos quidem illos in Epiſcopatum, ſed non illorum ordinationes: quis enim ignorat, *Priſcillianiſtas*, & *Manichaeos* inter ſe mutuo ita foedere connexos, ut ſolis fuerint nominibus diſcreti teſte S. Auguſtino haer. 70., & Leone Magno Epiſtola 93. ad Turibium Epiſcopum. Porro Manichaei Chriſtianorum *Baptiſma* execrabantur ex eodem Auguſtino haer. 46., qui & haer. 86. negat Machinaeos ſolere baptizare ſuos. Item *Machinaeum*, ſive Manetem conſtat neque ex Chriſtianis fuiſſe, neque Chriſtianis unquam adhaeſiſſe, ſed Chriſti Simiam agere tentaſſe: ſe Paracletum, ſe Apoſtolum jactando duodecim conſtituiſſe diſcipulos, quos & Magiſtros nominare ſolebant; ut alia deliria mittam. Cum igitur nullae fuerint apud ipſos Eccleſiaſticae *ordinationes* utpote ab illis, qui nullam ordinandi poteſtatem haberent, celebratae: aut illi Epiſcopi a Toletano Concilio I. ſuſcepti, ante quam haereſi inficerentur, or-

ordinati fuerant in Eccleſia a Catholico Antiſtite; uti de Symphoſio videtur; aut iterata ordinatione ſunt ſuſcepti.

§. *Ex S. Auguſtino*.

VII. OBjiciunt 5., S. Auguſtinus lib. 2. contra Parmen. cap. 13. de Donatiſtis perhibet: *ſi quando ex ipſa parte venientes etiam Praepoſiti pro bono pacis correcto Schiſmatis errore ſuſcepti ſunt; & ſi viſum eſt opus eſſe, ut eadem officia gererent, quae gerebant; non ſunt rurſus ordinati: ſed ſicut Baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra ... & cum expedire hoc judicatur Ecclesiae, ut ... honores ſuos non adminiſtrent; non eis tamen ordinationis Sacramenta detrahuntur; ſed manent ſuper eos*: idque factum a principio Schiſmatis uſque ad ſua tempora teſtatur ipſemet lib. de geſtis coram Emerito; ubi commemorat Catholicorum ad Marcellinum Epiſtolam, quae & lecta fuit anno 411. in magna Carthagin. Collatione 1. n. 16., & qua Catholici pro bono pacis propoſuerunt, ut ſicubi duo eſſent Epiſcopi alter *Catholicus*, & alter *Donatiſta*, is ad unitatem Eccleſiae reverſus uti ſocius in eadem ſede manere ſineretur *ſicuti peregrino Epiſcopo juxta conſidente Collega; nec novum aliquid fiet: Nam hoc ab bujus ſeparationis exordio in eis, qui damnato nefariae diſciſſionis errore, unitatis dulcedinem vel ſero ſapuerunt, Catholica dilectio cuſtodivit*. Et quamquam id explicari poteſt de iis, qui in Eccleſia fuerant ordinati, indeque ad Schiſma prolapſi; ut idem Auguſtinus habet lib. 1. de Baptiſmo cap. 1. *ſicut redeuntes, qui prius quam recederent, baptizati ſunt, non baptizantur: ita redeuntes, qui priuſquam recederent, ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur; ſed aut adminiſtrant, quae adminiſtrabant; ſi hoc Eccleſiae utilitas poſtulat; aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum ordinationis ſuae tamen gerunt*: & ut exponit Gratianus ad c. *Quod quidam* 1. q. 1., vel ut alii apud Magiſtrum Senten. 4. d. 25. de Haereticis occultis, & nondum ab Eccleſia damnatis: nihilo ſecius tamen quia alibi clare, & manifeſte tradit Sacramenta a Donatiſtis etiam extra Eccleſiam conſtitutis miniſtrata eſſe vera, & ab Eccleſia recepi, & admitti: idcirco reſpondetur, *Donatiſtas* ſimillimos fuiſſe *Novatianenſibus* teſte S. Epiphanio haer. 70., ideoque de illis idipſum erit dicendum,

dum, quod n. 4. de iſtis dixi; id unum ab Eccleſia permiſſum fuiſſe & iſtis, & illis, aliiſque *Schiſmaticis*, qui merum, ſimplexque Schiſma ſint ſequuti, oeconomiae cauſſa, quo nimirum eos ad unitatem Eccleſiae facilius alliceret; ut nec penitus damnaret praeterquam Schiſmatis autores; nec anathemati ſubjiceret; nec dignitate, aut poteſtate nudaret: praeſertim eo magis etiam quod meri *Schiſmatici* ad *Eccleſiam* pertinere dicantur, & ad fidelium coetum; etſi non ad fidelium, ſive *Sanctorum communionem*: ideoque cum perſtent eſſe *Miniſtri* Eccleſiae; rite, ac *valide* ordinare, & Sacramenta Eccleſiae miniſtrare cenſeri poſſunt; quamvis non *licite* id praeſtare noſcantur. Et licet Auguſtinus plerumque Donatiſtas *Haereticorum* nomine ſoleat notare; id nominis late ſumit, ac minus proprie pro *Schiſmate* inveterato, quam haereſim appellare conſuevit: cum Epiſt. 93. al. 48. ad Vincentium Rogat. de illis dicat: *nobiſcum autem eſtis in baptiſmo, in Symbolo, in caeteris Dominicis Sacramentis*: quod ſi in Symbolo; ergo in fide, quae eſt Catholicae Eccleſiae fundamentum. Et cum eos *extra Eccleſiam* eſſe conſcribit; notum eſt, quam multifarie dicatur Eccleſia; videlicet extra communionem, non extra congregationem fidelium intellexiſſe eum dicendum eſt: ſic & cum dixit: *extra Catholicam Eccleſiam non eſt locus veri ſacrificii* ex c. *Extra* 1. q. 1. Non inde tamen, quia de *Schiſmaticis* blande ſtatuit Eccleſia, ita de *Haereticis* etiam, aliiſque *criminoſis* ſtatuiſſe credendum eſt, ac judicandum.

VIII. Objiciunt 6. etiam S. Auguſtinum loco proxime indicato, ubi ait: *nulla oſtenditur cauſſa, cur ille, qui ipſum baptiſmum amittere non poteſt, jus dandi amittere poſſit: utrumque enim Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur; illud, cum baptizatur; iſtud cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque iterari non licet... ſicut autem habent in baptiſmo, quod per eos dari poſſit; ſic in ordinatione jus dandi... Ipſi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti: quoniam dicunt: recedens ab Eccleſia baptiſmum non amittit, jus dandi tamen amittit. Si enim utrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, & illud amittitur? neutri Sacramento iniuria facienda eſt*: ergo ſi jus ordinandi non amittitur ab his, qui recedunt ab Eccleſia, teſte S. Auguſtino; ordinationes nedum Schiſmaticorum,

ſed

ſed etiam Haereticorum, & Apoſtatarum ratae, & validae dici debent.

Reſpondetur primum, ibi Auguſtinum loqui de *characteribus* Baptiſmi, & ordinationis; ut monuit & Jo: Scotus in 4. d. 6. q. 9. §. ad Quaeſtionem, & Autor Gloſſae in c. *Poſt translationem* tit. de Renunciat. illis verbis: *ſed quia ſi renunciaſſet ordini* (Epiſcopus?) *adhuc poteſt reaſſumi de licentia Papae. Numquid reconſecrabitur? Non; quia characterem retinuit* 1. q. *Quod quidam*: quo loco afferuntur illa Auguſtini verba: *nulla oſtenditur cauſſa, cur ille &c.*, ſi quidem *ſigna cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur*: inquit idem Auguſtinus Epiſt. 138. al. 5. ad Marcellinum: ſive *character* internus, & indelebilis intelligatur, ſive externus, & actio ea, qua Sacramenta Baptiſmi, & Ordinis conferuntur, *baptizatio* nimirum, & *ordinatio*, quae proprie Sacramenta ſunt, & appellantur; cum in confeſſo ſit, neque *characterem* internum deleri poſſe; neque externum, ſive actionem Sacramentalem amitti; non quod actio non tranſeat; ſed permanet, quod per ipſam factum eſt; nequitque, quod ſemel factum eſt, fieri, quin factum fuerit. Deinde S. Auguſtinus *Donatiſtas* urget, & refellit per inverſionem, ſeu, ut ajunt, ad *hominem*; cum ſubdat: *cur Felicianus, quem cum Maximiniano trecentidecem damnaverunt; qui & diu foris in ſacrilegio, ſicut ipſi in Concilio ſuo pronunciaverunt, Schiſmaticus fuit; non ſolum ipſum baptiſmum, ſed etiam jus dandi baptiſmi non amiſit? in bonore quippe ſuo, ſicut exierat, ita receptus eſt cum his omnibus, quos ipſe foris poſitus baptizavit, nullo eorum rebaptizato*: erat enim Felicianus Donatiſtarum Epiſcopus Muſtitanus in Numidia.

IX. Quod autem *jus dandi Baptiſmi* in ordinatis non amittatur, ut ait Auguſtinus, evenit ex eo quod *ordinatis* multiplex jus ineſt baptizandi; *ordinarium ordinate*, ſeu ex dignitate, quod eſt Epiſcoporum in primis, & Presbyterorum; *ordinarium inordinate*, ſeu ex inſtitutione, quod omnibus Chriſtianis conceſſum eſt; & *extraordinarium*, quod etiam Infidelibus, Apoſtatis, omnibuſque extra Eccleſiam militantibus permittitur. Fidelibus enim quibuſcunque *Chriſtianis* ſaltem maribus datam fuiſſe a Chriſto baptizandi poteſtatem, lucet ex Joannis 3. & 4. cap., ubi legimus, Chriſti *diſcipulos* baptizaſſe, cum adhuc Jo: Baptiſta inter vivos eſſet, baptizaretque; ideoque cum adhuc *Laici* eſſent; ſiqui-

quidem *Sacerdotes* non ſunt illi conſtituti, ordinatique niſi in Coena, & pridie quam Chriſtus pateretur; & ante etiam inſtitutionem 12. *Apoſtolorum*, & 72. *Diſcipulorum* ex 6. & 10. cap. Lucae. Quo facto nihilominus ordo exegit, ut prior, potiuſque hic, quam ille baptizet, habita perſonae, ac dignitatis ratione, ſcilicet ut Clericus potius, quam Laicus; e Clero Presbyter Epiſcopo, Diaconus Presbytero, aliique inferiores Ordines ſuperioribus loco cedant; e Laicis vero mas praeſtat foeminae; & caeteri quique juxta propriam uniuſcujuſque dignitatem: poſtmodum ob magnam Sacramenti neceſſitatem viſum eſt Eccleſiae, etiam *Infidelibus*, iiſque omnibus, qui extra Eccleſiam degunt, jus baptizandi permittere. Quapropter amiſſo baptizandi jure ordinario ordinate, remanet adhuc jus ordinarium inordinate, vel abſolute; ut in exauctoratis, & poenitentiae addictis Antiſtitibus: quemadmodum amiſſo quoque hoc altero, reſtat ſemper jus extraordinarium, ac delegatum; ut in transfugis, & Apoſtatis, ſimilibuſque: jus enim primum, ſive ordinarium amitti colligas ex can. 12. Concilii Aurelianen. I. anno 511. congregati, qui habet: *ſi Diaconus, aut Presbyter pro reatu ſuo ſe ab Altaris communione ſub poenitentis profeſſione ſubmoverit: ſic quoque ſi alii defuerint; & certa cauſſa neceſſitatis exoritur, poſcentem baptiſmum liceat baptizare*: & can. 15. Concilii Vermerien. anno 753. coacti: *Presbyter degradatus certa neceſſitate cogente pro periculo mortis, ſi alius non adeſt, poteſt infirmum baptizare*: ergo citra neceſſitatem non poteſt. Caeterum recedentes ab Eccleſia ut *Sacramentum ordinati* non amittunt, ita non amittere *jus dandi baptiſmum*; perinde atque vel idem ſit, vel neceſſario connexa ſimul: aut confundenda ſunt jura, ut pro ordinario, ordinatoque jus extraordinarium dicendum ſit non deperdi: aut aſſerendum, uti Doctores ajunt ad xxx. Propoſitionem *de doctrina Auguſtini* ab Alexandro VIII. proſcriptam: quandoquidem jus baptizandi *extraordinarium* nullo modo eſt cum ſacra ordinatione connexum. Profecto & *Apologiſta* S. Gregorii VII., quem adduxi n. 31. Cap. VII., & Urbanus II. Cap. IX. n. 7. relatus S. Auguſtini pronunciata ſunt de iis interpretati, qui ſunt *intra* Eccleſiam, & non *extra*; de unoque *Baptiſmo*, non de aliis Sacramentis eſſe locutum; aut de illo ſolo eſſe interpretandum.

X. Objiciunt 7., In Epheſino Concilio I. anno 431 Act. 7. ſanci-

ſancitum eſt de *Meſſalianis* haereticis, qui & *Euchaitae* dicuntur; *ſive Clerici, ſive Laici ſint, conveniantur: & ſi quidem anathematizaverint juxta ea ... ſi Clerici fuerint, maneant Clerici: ſi Laici; ad communionem admittantur*: ergo recipiuntur Haeretici ab Eccleſia ordinatione minime iterata; & conſequenter eorum ordinationes ratae judicantur, & ſunt.

Reſpondetur, ex Concilio haberi dumtaxat aperte, *Meſſalianorum* Clericos admiſſos, receptoſque fuiſſe ab Eccleſia; de repetita vero eorum ordinatione propterea ſileri, quod ea genus hoc haereticorum conſequeretur. Quis enim eſt, qui rerum Eccleſiaſticarum aliqua cognitione perfuſus credat, illorum haereticorum Clericos ſine iterata ordinatione fuiſſe ſuſceptos ab Eccleſia Catholica; quando conſtat Euchaitas *Baptiſmi* neceſſitatem inficias iviſſe; *nihilque eum omnino prodeſſe, ſed ſolas preces ardentes Doemonem in animis habitantem expellere* docuiſſe ex Epiphanio haer. 80, & Theodoreto lib. 4. cap. 10.? igitur ſi baptiſmi Sacramentum exſuflabant, illud nequaquam accipiebant. Quod ſi baptizati non erant, igitur nec ordinati juxta ea, quae dicta ſunt Cap. III. n. 4. At, inquient, nulla a Synodo iterandae ordinationis mentio facta eſt. Ita ſane; ſed nec ibi memoratur aut *manus impoſitio*, aut *Chriſma*, quibus Clerici ſimilium ſectarum, nec non & Laici ſuſcipiebantur, cum ad Eccleſiam ex haereſi convertebantur; id autem ideo, quod notum erat illud fieri debere; ut alias exemplis eſt oſtenſum.

XI. Objiciunt 8., S. Leo Magnus Epiſt. 1. al. 87. n. 6. ad Mauritaniae Provinciae Epiſcopos Donatum Salicinen. Epiſcopum cum ſua plebe ex *Novatiano* Schiſmate ad Catholicam fidem converſum, uti & Maximum *Donatiſtam* ab Epiſcopali dignitate non repulit: & Epiſt. 6. al. 86. ad Aquilejenſem Antiſtitem, nec non Epiſt. 7. al. 85. ad Septimium Altini Epiſcopum, atque Epiſt. 14. al. 3. ad Januarium Aquilejen. itidem Epiſcopum increpat, damnatque quoſdam Presbyteros, Diaconos, ac diverſi generis Clericos, quos *Pelagiana, ſive Coeleſtiana haereſis habuit implicatos, ita in Veneta Provincia ad communionem Catholicam perveniſſe, ut nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris ... & uſurpaſſe, ut relictis Eccleſiis, in quibus Clericatum aut acceperant, aut receperant, inſtabilitatem ſuam per diverſa circumferant*: nec tamen ab Ordinibus ſuſceptis expellit;

ſed

ſed damnato haereſis errore praecepit circa eos *cuſtodiri, ut in magno habeant beneficio, ſi adempta omni ſpe promotionis, in quo inveniuntur ordine, ſtabilitate perpetua maneant*: ergo ſecundum M. Leonem ordinationes Haereticorum validae ſunt, & verae.

Reſpondetur primum, eam Epiſtolam I. ad Afros datam variis fuiſſe amplificatam aſſumentis, ut oſtendit Queſnellus in notis, & ex eo Pagius ann. 456. n. 11., deinde diſponit de *Novatiano*, & *Donatiſta* Epiſcopis *Schiſmaticis*, non haereticis, de quibus paulo ante dictum eſt n. 4. & 7., nam Leo ibi inquit: *ſi Donatiſta jam non eſt a ſpiritu Schiſmaticae pravitatis alienus*. Quantum autem ad Epiſtolas de *Pelagianis*, *Coeleſtianiſve* tractantes ajo, eas agere de Presbyteris, aliiſque Clericis, qui jam a Catholicis fuerant Epiſcopis ordinati, mox in haereſis errorem inciderant; vel ſi impliciti dum ordinarentur; id ignorabatur; & veluti occulti haeretici ſunt reputandi. Refertur ea Leonis Epiſtola 3. ad Januarium Aquilejen. a Gratiano c. *ſi quis haereticae*, & c. *Omnis cujuslibet* 1. q. 1., nec non c. *ſaluberrimum* 1. q. 7., quorum c. *Omnis cujuslibet* ita interpretatur; explicaturque S. Pontifex, ut jam aſſerui his verbis: *Omnis cujuslibet ordinis Clericus, qui Catholicam deſerens unitatem haereticae, vel Schiſmaticae conjunctionis contagione ſe maculaverit &c.*, eſtque titulus Epiſtolae. Poſtea S. Leo ſcribit, *Presbyteros*, & *Diaconos*, alioſque *Clericos* Provinciae Venetae haereſis fuligine tinctos fuiſſe, non *Epiſcopos*, quorum eſt ordinationes facere; nec carpit S. Pontifex eorum ordinationes, ſed eorum receptiones. Praeterquamquod Epiſtolam 14. ad *Januarium* ſpuriam eſſe contendunt Antelmius, & Pagius ad ann. 447 n. 7. & ſeq contra Queſnellum, qui illam ad *Septimium* ſuppoſititiam exiſtimavit. Nec diverſimode dicendum eſt ad alias ejuſdem Leonis PP. Epiſtolas 24. 27. & 75. de *Eutychianis*. Ad autoritatem, & Epiſtolam *Anaſtaſii PP. II.* reſponſum eſt jam Cap. x. n. 22. & ſeqq.

XII. Objiciunt 9. illa S. Gregorii Magni verba Epiſt. 32. lib. 2. ad Joannem Ravennae Epiſcopum: *illud autem, quod dicitis, ut is, qui ordinatus eſt, iterum ordinetur; valde ridiculum eſt... ſicut enim baptizatus ſemel iterum baptizari non debet: ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine non debet conſecrari. Sed ſi quis forſitan cum levi culpa ad Sacerdotium venit, pro culpa poenitentia indici debet; & tamen ordo ſervari*: ergo ab

Haere-

Haereticis ordinati, cum ad Eccleſiam accedunt, non ſunt iterum ordinandi, quemadmodum non ſunt iterum baptizandi, ac proinde Haereticorum, ſimiliumque ordinationes ſunt validae.

Reſpondetur primum, Pontificem non loqui de *Haereticis*, ſeu de *Schiſmaticis* trium Capitulorum, ut perperam exiſtimavit Lupus Diſſert. 2. Prooem. de *Simoniae crimine* cap. 16., ſed de illis, qui in Eccleſia rite ordinati, levique culpa irretiti ad alios Ordines avent promoveri; vel in minoribus conſtituti, cum leviter deliquerint, tamen ad majores aſcendere gradus peroptant: quamobrem jubet S. Pontifex, ut pro culpa poenitentia injungatur, ſed Ordo non iteretur; quod in confeſſo eſt apud omnes Catholicos: ſic & S. Auguſtinus de bono conjugali cap. 24. n. 32. ſcripſit: *& ſi aliqua culpa quiſquam ab officio removeatur; Sacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamvis ad judicium permanente*: nimirum Ordinis *Charactere*, qui iterari non poteſt: nam olim lapſi deponebantur; nec tam facile ad alios admittebantur Ordines. Deinde ſi verba feciſſet Gregorius de *Schiſmaticis*, de iſtis dictum eſt Cap. IX., recte ipſorum ordinationes admiſſas ab Eccleſia fuiſſe; non item illas *Haereticorum*: nec quia iſti baptizant *valide*; *valide* quoque ordinent, neceſſe eſt; cum illud ſit opus neceſſitatis, iſtud vero dignitatis: quare certum eſt, ridiculum eſſe, eum, qui vere, & *valide* ordinatus eſt, iterum ordinari; ſed non qui falſo, & invalide, ut ab Haereticis, Apoſtatis &c.

XIII. Objiciunt 10. alia ejuſdem Gregorii Magni verba ex Epiſt. 61. lib. 9. ad Iberiae Epiſcopos, quibus mandat circa *Neſtorianos*; ut *Neſtorium cum omnibus ſequacibus ſuis, & reliquas haereſes anathematizent*; quando ad Eccleſiam revertuntur: additque: *venerandaſque Synodos, quas univerſalis Eccleſia recipit, ſe recipere, ac venerari promittant*; *& abſque ulla dubitatione ſanctitas veſtra ſervatis eis propriis ordinibus in ſuo coetu recipiat: ut dum ... per manſuetudinem nullam eis contrarietatem, vel difficultatem de propriis ſuis ordinibus facitis, eos ab antiqui hoſtis ore rapiatis*: ergo Gregorio M. ſententia ſtetit, Haereticorum Clericos in ſuis ordinibus recipiendos ſine repetita ordinatione; igitur &c.

Reſpondetur, ut ſupra n. 10. de Meſſalianis, Pontificem loqui de *ordinibus* Neſtorianis ſervandis dignitate ſcilicet, ac loco;

co; non de *ordinationibus* iterandis, vel non: aut de illis, qui quum in Eccleſia a Catholicis fuiſſent ordinati; poſtea in haereſim cecidiſſent. Cum enim Epheſina Synodus I. Act. 1. can. 2. & in Epiſt. ad Impp. ſanxerit, non ſentientes contra Neſtorium *alienos eſſe penitus a Sacerdotio, & Clero, & gradu*, quod eſt omnino exauctoratos; quis credat, Neſtorianos, ſive ab illis ordinibus initiatos, cum ad Eccleſiam accederent, non fuiſſe a Catholicis Epiſcopis ordinandos: ſi totum quod Ordinis, Clerique eſt praeter *Characterem* illis ablatum eſſet; ideoque & ordinandi *poteſtas* ex his, quae hucuſque ſunt adducta? Certe canon 95. Trullanus anno 692. conditus *Neſtorianos*, & *Eutychianos*, *Dioſcoranoſque*, nec non *Severianos* ſociavit cum *Valentinianis*, *Montaniſtis*, atque *Manichaeis*: quos Graeci ſine dubio rebaptizabant; ideoque & eorum Clericos iterum ordinabant.

XIV. Objiciunt 11. canonem 7. *Concilii Toletani VIII.* anno 653. celebrati de his, qui poſt aſſumta Eccleſiaſticarum dignitatum officia ad conjugia, moreſque ſeculi redeunt, habentem: *quomodo ergo quod in ſe recipit, a ſe rejicere poterit; cum haec a nullo altero conferri, quam a ſolis Pontificibus novit?... verum ſicut ſanctum Chriſma collatum, & Altaris honor evelli non queunt: ita quoque ſanctorum decus honorum, quod his compar habetur, & ſocium, qualibet fuerit occaſione perceptum, manebit omnibus modis inviolatum &c.*, ergo nemo poteſt *ordinem* ſacrum amittere.

Reſpondetur, Concilium intelligendum eſſe de *Charactere* ordinis, quem nunquam a ſe quiſquam rejicere valet, & amittere; non autem de caeteris, quae ipſum ordinem aut conſtituunt, aut conſequuntur, uti *poteſtas*, & *gratia*; idque colligitur ex eo, quod *Ordo* comparatur *Chriſmati*; & *Baptiſmo*, quorum omnia ab iis, qui ſuſceperunt, deperdi poſſunt praeterquam characteres; qui ſoli manent inviolati. Quare idem Concilium adjecit: *Quod ſi quis poſt hoc perennis diſpoſitionis edictum non ſinceriter ſacris inhaeſerit cultibus; & abjiciens a ſe gratiam, quam accepit, relabi ad conjugia, moreſque ſeculi attentaverit; vel eum redire conſtiterit: mox omni Eccleſiaſtici ordinis dignitate privatus vere ut Apoſtata a S. Eccleſiae liminibus, & ſocietate fidelium habeatur prorſus excluſus monaſterii clauſtris, donec advixerit, ſub poenitentia retrudendus*: viſum eſt autem 28. n. Capitis praecedenden-

dentis, *Apoſtatas:* nihil poteſtatis Eccleſiaſticae retinere, & nihil Ordinis ſacri praeter characterem; igitur apparet, quae fuerit hujus Toletani Concilii mens, atque ſententia.

§. 2. *De Concilio VII.*

XV. Objiciunt 12. Concilium VII. Oecumenicum, quod *Iconoclaſtarum* haereſim anno 787. condemnavit; attamen & ipſius haereſis ſectarios ad Eccleſiam Catholicam revertentes, & ab illis ordinationes peractas intemerate ſuſcepit; ad idque comprobandum plurima facta congeſſit, necnon SS. Patrum teſtimonia quamplura produxit Act. I., igitur teſtimonio univerſae Eccleſiae Haereticorum ordinationes ratae ſunt, & validae habendae; eſt enim *Oecumenicum* Concilium univerſae Eccleſiae judicium.

Reſpondetur primum, *Iconoclaſtas*, etſi large, & improprie dicti ſunt *haeretici*; reapſe tamen, & proprie fuiſſe *Schiſmaticos;* cum, uti obſervat doctiſſimus Petavius lib. 15. Theol. Dogmat. de Incarnat. cap. 13., *Imagines* ex eorum per ſe genere ſint, quae ἀδιαφορα nominantur; nec ad ipſam Religionis ſubſtantiam pertinent; quaeque ad ſalutem hominum omnino neceſſaria non ſunt: ideoque earum cultus ad diſciplinam ſpectat; non autem ad fidem: cumque ii, qui circa diſciplinam errores, & contentiones ſerunt, *Schiſmatici* dicantur; & qui circa fidem, *haeretici*: perſpicuum eſt, *Iconoclaſtas* proprie Schiſmaticos fuiſſe, & non haereticos: proptereaque jure a VII. Synodo eorum ordinationes fuiſſe ſuſceptas ob ea, quae dicta ſunt paullo ante n. 4. & 7. Deinde ſi quoque *haereticos* contendant, velintque fuiſſe *Iconoclaſtas;* ajo Concilii Patres quantum ad *Sacrarum Imaginum* cultum, pro quo coactus fuit eorum coetus, recte ſenſiſſe, ac decreviſſe: ſed quantum ad alia, quae quidam Antiſtites pro ſuo quiſque ingenio in medium attulerunt, non multum curae impendiſſe, quomodo ſe haberent illa: totique fuerunt Act. 1. in conquirendo, num *lapſi* reparari queant; & *Haeretici* in ſuis honoribus admitti: an autem eorum ordinationes haberentur ratae, vel an iterandae; parum quidem examini dederunt: idque potiſſimum quo facilius *Iconomachi* reciperentur Taraſio Patriarcha CP. in primis adlaborante. Tandem & illud notatu dignum,

Con-

Concilium iſtud nonniſi ſero ab univerſa Eccleſia vel inter *Oecumenica* receptum fuiſſe: nam Nicolaus I. Epiſt. Adoni Archiepiſcopo Viennenſi anno 863. data *ſex* tantum memorat, admittitque *Synodos*, ut & Epiſt. 7. de Concilio Romae contra Photium coacto, nec non Epiſt. 10. ad Clerum CP. de eodem Photio n. 6., ſic & Hadrianus II. Epiſt. 34. anno 871. Carolo Regi Francorum ſcripta; & Joannes VIII. Epiſt. 247. ad Sfentopulcrum Comitem an. 880., ſic ut & Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus Epiſt. 33. n. 20. contra nepotem Hincmarum Laudun. Epiſcopum, & Adelbertus Morinenſis Epiſcopus in fidei profeſſione coram eodem Hincmaro Rhemen. Archiepiſcopo facta; ſed & ante hos omnes Michael, atque Theophilus Impp. CP. in Epiſt. anno 824. ad Papam Paſchalem I. edita: quinimmo in caeteris Orientalibus Eccleſiis Patriarchalibus *ſex* ſolum *Synodos Oecumenicas* nominari conſueviſſe in publicis profeſſionibus teſtatur Photius Patr. CP. Epiſtola encyclica apud Baronium ad annum 863. n. 6. & 43.

XVI. Caeterum quandoquidem in hac VII. Synodo quaeſitum fuit de *Haereticorum* generatim ordinationibus; & quidam ſunt, qui maximi faciendam edicunt ejus autoritatem in hac etiam Diſputatione, quam ſumus ingreſſi: praeſtat ex Act. 1. ea proferre, quae ibi adducta ſunt; ut appareat, quam appoſite, & quam diſcuſſe factum; quantique demum illa ſint nobis poſthac habenda. Ac primum illud conſtat, multa ibi lecta fuiſſe, quae ad rem iſtam minime faciebant; quae vero quaeſtioni conducebant; nequaquam in medium veniſſe: canon 67. al. 68. *Apoſtolorum*, qui haereticorum Ordinationes aperte profligat, non eſt commemoratus; adductus eſt autem eorumdem *canon* 53. al. 51. qui ſolum de iis agit, qui convertuntur a peccato: mox *Nicaenus canon* de Catharis, de quo dictum eſt jam n. 2. & ſeqq., & *canon* 3. *Epheſinus*, qui ad quaeſtionem non attinebat: ſanxit enim ille non de Clericis a *Neſtorio* ordinatis, ut perperam Witaſſe judicavit; ſed de Clericis a Neſtorio, ejuſque gregariis Sacerdotio, ac honoribus ſpoliatis, aut prohibitis, ut ſuis reſtituerentur ſedibus, ac dignitatibus; quod egit & Coeleſtinus I. Epiſt. 7. ad Joannem Antiochenum Epiſcopum, & Clerum CP.; legiturque etiam c. *Ait Coeleſtinus*, & c. *Aperte* 24. q. 1.; ſic enim multa lecta ſunt, ut vel aliqua probarentur.

Poſt haec lecta eſt *Magni Baſilii* Epiſtola 1. ad Amphilochium c. 1. de Zoe, & Saturnino Encratitis haereticis in Epiſcopos a Catholicis Antiſtitibus ſuſceptis; qua nihil aliud autumatur, quam eos, qui jam in Eccleſia Catholica facti ſunt Epiſcopi, rebaptizari non poſſe: ſiquidem praemiſerat, *Encratitarum* baptiſma ſibi non probari; ſed ad Eccleſiam cum illi venirent, tutius eſſe eos iterum lavacro expurgandos. Alia ejuſdem Baſilii ad *Evaiſenos* data de his tractat, qui de Galatia accerſiti fuerant; quo docerent ſe ſe poenitentiam egiſſe, & ab Haereticis ſeceſſionem feciſſe. Illa denique ejuſdem ad *Occidentales* de Euſtathio Sebaſteno nihil evincit; cum in ea fateatur Baſilius *Euſtathium* a B. Hermogene Caeſarienſi Epiſcopo Catholico ordinatum fuiſſe: quare non eſt hujus noſtrae Diſputationis, etiamſi poſtea ad Haereticos tranſierit non ſemel malus Euſtathius. Exinde productum eſt *Epheſini Concilii* decretum de Meſſalianis; de quo dictum eſt ſupra n. 10., productae ſunt & *Cyrilli Alexandrini* literae ad Maximum, & Gennadium; quae tamen ſuadent quidem communicandum cum his, qui ab Neſtoriana haereſi reverterentur, ſed qui jam a Catholicis Epiſcopis ſacras ordinationes acceperant. Producta tandem eſt *S. Athanaſii* ad Rufinianum Epiſtola, quam paulo ſuperius n. 5. docui nihil ad hanc pertinere quaeſtionem; cum in ea de *lapſis*, non de haereticis agatur.

XVII. Poſtmodum cum Sabbas Monachus, & Egumenus dixiſſet: *ſi placet ſanctae Synodo, videamus; si ordinationes eorum, qui recepti ſunt, ab Haereticis fuerint, an non. S. Synodus dixit: quaerite deinceps de ordinatione*: lectumque fuit ex Hiſtoria Rufini Presbyteri decretum *Concilii Alexandrini* de lapſis, quod refertur & in ſupra memorata S. Athanaſii ad Rufinianum Epiſtola. Mox ex Socratis Hiſtoria *Sardicae in Concilio* redditas eſſe ſedes Paullo, Athanaſio, & Marcello Ancyrano; quod nihil ad rem prorſus attinebat; cum illi ab Haereticis minime ordinati fuiſſent, nec haereſi adhaeſiſſe agnoſcerentur. Tum *Meletii* ordinatio memoratur ab Arianis facta in Sebaſtenum; itidemque *Cyrilli* in Hieroſolymitanum Antiſtitem; & tamen non repudiata aſſeritur. At repudiata non fuit alterutra ordinatio, quia ordinatores *Ariani* nondum fuerant ab Eccleſia ejecti, & ſegregati; ſed mixti cum Catholicis degebant; ideoque & Eccleſiae Miniſtri cenſebantur, & erant; eorumque ordinationes ob id

ra-

ratae, ac validae habebantur; haeretici namque ante ſententiam *degradationis* & ordinant, & conſecrant judice Magiſtro Sentent. in 4. d. 25. Theodoretus autem Epiſt. ad Domnum Antiochenum Epiſcopum anno 449. ſcripta nos ita docet: *In magna enim Synodo, quae Nicaeae fuit congregata, una cum Orthodoxis idem decreverunt etiam illi, qui Arii partes ſectabantur; & Apoſtolicae fidei expoſitioni per manus ſubſcriptionem conſenſerunt. Fuerunt tamen revera hoſtes, nec unquam quievere illam oppugnare, quouſque corpus Eccleſiae conſciderunt: & triginta annis inter ſe communicarunt, atque Apoſtolica dogmata proſequebantur, etiam qui Arii morbo laborabant. Cum vero Antiochiae poſtrema habita eſt Synodus, quando Dei hominem magnum illum Meletium in Apoſtolico illo Throno conſtituerunt* (anno 360)... *& ex eo tempore diviſio, & Schiſma remansit*: & Sozomenus lib. 2. cap. 30. *omnes ſimul Conventus egerunt & communicaverunt inter ſe exceptis ſolum Novatianis, Cataphrygibus, Valentinianis &c.*

XVIII. Sed nec tum quidem damnati ſunt, ſegregatique ab Eccleſia omnes *Euſebiani*, ſive *Semiariani*, qui & *Ariani* quoque vocabantur: ſiquidem S. Athanaſius Epiſt. ad Afros Epiſcopos anno 371. tranſmiſſa inquit: *ſcripsimus dilecto Damaſo Epiſcopo magnae Romae contra Auxentium invaſorem Mediolanenſis Eccleſiae, eumque non ſolum in communione Arianicae ſectae eſſe... miramurque, cur nondum depoſitus, ejectuſque ſit ex Eccleſia*: cum jam ab anno 355. ſedem illam occuparet. Quocirca cum Damaſus Papa anno 372. Synodum Romae convocaſſet, literas ad Illyrici Epiſcopos de Auxentio a ſe damnato dedit ſcribens: *Itaque veſtra integritas manifeſto videt, hanc fidem ſolam, quae autoritate Apoſtolica Nicaeae ſtabilita eſt, ferme perpetuo retinendam eſſe... Porro autem pro certo credimus; eos, qui alia opinione tenentur irretiti, propter ſuum conatum brevi fore & a noſtra ſegregatos communione, & nomine Epiſcoporum privatos: ut tandem populo errore ipſorum liberato detur reſpirandi locus*: igitur Ariani illi nondum tunc erant & communione privati, & exauctorati. Sane & S. Epiphanius, qui anno 376. opus magnum de Haereſibus vulgo *Panarium* conſcribebat, in Compendio doctrinae de fide iſta perhibet de *Arianis*, vel potius Semiarianis: *quum nondum ſit res ex cenſura Synodi, velut dixi, deciſa; eo quod po-*

puli ſint hodieque inter ſe permixti; & multi quidem ſint orthodoxi, verum per ſimulationem Sacerdotibus addicti; donec ſeparatio facta fuerit talis blaſphemae haereſis; & tunc contra ipſam decretum fiet. Sed & Sozomenus lib. 7. cap. 2. de *Macedonianis*, qui alterum peſtis Arianae germen erat, tradit: *At Macedoniani cum caeteri, tum ii maxime, qui degebant Conſtantinopoli, poſt inita cum Liberio pacta non magnopere contendebant cum his, qui Nicaeni Concilii decreta probabant: quin etiam oppidatim cum iis, quaſi cum ejusdem opinionis ſectatoribus commercia, conſuetudinemque colebant. At vero poſt legem a Gratiano promulgatam arrepta impunitatis occaſione nonnulli Epiſcopi ejus ſectae invaſerunt Eccleſias, quibus ſub Valente fuerant excluſi: atque apud Antiochiam Cariae congregati decreverunt &c.* hoc eſt ab anno 365. uſque ad ann. 378. Qui omnes tandem penitus damnati ſunt in Oecumenico Concilio Conſtantinopolitano I. an. 381. can. 1. *Ariani, Semiariani, Macedoniani &c.*

XIX. Et minus mihi probari poteſt, quod habet Baronius ad annum 362. n. 24., Euſebium Vercellen. Epiſcopum agnoviſſe, nullam *Meletii* fuiſſe *ordinationem*, utpote quod ab *Acacianis, Eudoxianiſque* creatus fuiſſet Epiſcopus Antiochiae: quandoquidem antea fuerat *Beroeae* Epiſcopus; indeque ad *Sebaſtenam* translatus Eccleſiam anno 359. ab Acacianis, & Eudoxianis, ſed inſequenti anno 360. ad *Antiochenum* Thronum evectus eſt communi & Arianorum, & Catholicorum conſenſu, teſte eodem Baronio ad ann. 360. n. 48. Quapropter oſtendi non poteſt, Meletium ab *Arianis* fuiſſe Beroeenſem ordinatum Epiſcopum; quod ſi quoque oſtenderetur; id factum probaretur ab Arianis illis, qui cum Catholicis communicabant, nondumque ab Eccleſia ſegregati, exauctoratique fuerant: quibus cum ille plane occaſioni ſerviens colluſiſſe videtur; quemadmodum oſtendit factus Epiſcopus Antiochenus, ubi repente contra ipſos praedicavit ὁμοούσιον. Quod enim *Paulinum*, vivente Meletio, ordinaverit Lucifer Calaritanus Epiſcopus Antiochenis Antiſtitem, ideo factum eſt, quod ipſi Catholici in partes, ſtudiaque diviſi erant; quibusdam eorum maxime Occidentalibus *Meletii* ordinationem perſtringentibus, quod ab Arianis etiam renunciatus eſſet; quibusdam vero ut Orientalibus eidem apprime adhaerentibus, quod & fidei cauſſa illum relegatum, & a Catholicis quo-

que

que promotum conſtaret. Nil ergo fuit, quo *Cyrilli*, & *Meletii* ordinationes penitus repudiarentur; cum ille anno 350., iſte vero ante annum 359. promoti fuerint vel a Catholicis, vel ab his, qui cum Catholicis communicabant.

XX. Poſtremo in eadem VII. Synodo commemorata eſt *Anatholii* in Epiſcopum Conſtantinopolitanum ordinatio velut ab haeretico Dioſcoro patrata: ſed de ea dictum eſt jam Cap. V. n. 40. Tum alia ſubditur *Joannis Marciani* in Antiſtitem Hieroſolymitanum anno 513. ab haeretico Severo Antiocheno Epiſcopo conſtituti: verumtamen *Severus* ille nonniſi anno 518. in Concilio Conſtantinopolitano, aliiſque variis Orientis Synodis damnatus eſt, graduque ſuo motus; ut ex hiſtoriae Eccleſiaſticae Scriptoribus innoteſcit; proindeque anno 513. adhuc ordinandi poteſtate pollebat. Denique refertur, plures, qui in *VI. Synodo* conſederunt, ordinatos fuiſſe ab haereticis *Monothelitis Sergio*, *Pirrho*, *Paullo*, *&* *Petro*: ſed de his neceſſe eſt ſcire, *Sergium* diem obiiſſe anno 638. a nemine damnatum; immo a Romano Pontifice Johanne IV. in Apologia pro Honorio Papa *reverendae memoriae* nuncupatum. *Pyrrhus* ſucceſſit Sergio an 639., annoque 641. dignitate ſe abdicavit ob popularem in creatione Conſtantis Imp. tumultum; & anno 648. a Theodoro Papa condemnatus eſt: cum autem reſipiſcentiae ſigna ſimulaverit, priſtinae dignitati reſtituitur anno 655., paucisque poſt menſibus interiit. *Paullus* anno 641. ſubrogatur Pyrrho, damnatuſque a Martino I. anno 649. Romae in Synodo vivere deſiit anno 654., & *Petrus* tandem anno inſequenti ordinatus Epiſcopus CP. deceſſit ex hac vita anno 666 a nemine proſcriptus ante VI. Synodum anno 680. celebratam. Quare nemo facile probare poterit, eos, qui interfuere memoratae Synodo, promotos, ordinatoſque fuiſſe ab illis duobus Epiſcopis CP. *Pyrrho*, & *Paullo*; aut ſi ordinati; factum id fuiſſe, poſtquam illi condemnati ſunt: cum ordinati potuerint a *Thoma*, *Joanne*, & *Conſtantino* Antiſtitibus CP. Catholicis. Tharaſius vero Patriarcha, aliique in VII. Synodo Act. 1. in hoc unum incubuerunt, ut oſtenderent & *Haereticos* in ſuis fuiſſe receptos ordinibus, & ſuſceptas quoque Haereticorum *ordinationes*; quod quidem permitti poteſt; at non de iis Haereticis, qui prorſus extra Eccleſiam ſunt ejecti; & ab Eccleſia

exauctorati ordine, ac poteſtate ſpoliantur, & Eccleſiae Miniſtri eſſe deſinunt; verbum habere curarunt.

XXI. Obſervavit ſane Morinus, *Tharaſium* in eo Concilio, cum hac de re diſſereret, nunquam ad Sacramenti naturam, & characterem confugiſſe, ſed ad Canones, Eccleſiaeque diſciplinam, quae pro locis, ac temporibus varia eſſe poteſt: nec recte revincitur a Witaſſe Prob. 1. n. 18., dum ait: duo in hac controverſia ſecernenda eſſe, primo an validae ſint, nec iterandae ordinationes ab Haereticis collatae; ſecundo an qui ab Haereticis ita ordinati ſunt, cum ordinibus ſuis recipi debeant, quando ad Eccleſiam redeunt: illud ad dogma ſpectare, & ex charactere pendere: iſtud ad diſciplinam pertinere, quae reipſa non ſemper eadem fuit: de primo non egiſſe Tharaſium, at illud pro certo habuiſſe; ſed alterum expendiſſe. *Tharaſius* enim homo quidem doctus, & a ſecretis Imperatoris, neophitus tamen, & ex Laico ad ſedem Conſtantinopolitanam evectus anno 785. Eccleſiaſticorum dogmatum, ac diſciplinae non multum eruditus anno 787., quo VII. Synodus eſt habita, exiſtimari poteſt: nihilotamen ſecius ea in Synodo duo praeſidente ipſo, diſcuſſa ſunt: *ſcilicet tam de his, qui ab haereſi accedunt ad Catholicam Eccleſiam; quam de his, qui ab Haereticis ſunt ordinati*: ut ipſemet Tharaſius dixit in fine illius Actionis, & Anaſtaſius Bibliothecarius poſt praefationem ſuae translationis Synodi titulos Actionum deſcribens: id autem eſt tam de lapſis in haereſim, ipſiſque haereticis; quam de ordinatis in haereſi. Ac profecto diſcuſſa prima quaeſtionis parte de *Haereticis*, qui in ſuis ordinibus ab Eccleſia ſuſcepti fuerant; *Sabbas Monachus* dixit: *ſi placet S. Synodo, videamus, ſi ordinationes eorum, qui recepti ſunt, ab Haereticis fuerint, annon*: *S. Synodus dixit: quaerite deinceps de ordinatione*: propter quid quaeſitum fuit de Haereticorum ordinatione; niſi quo innoteſceret, an eſſet valida, ac rata, nec ne; quando reciperetur ab Eccleſia, & quando non? idque etiam elicitur ex eo quod cum ſupra productus eſſet canon 8. Nicaenus de *Catharis*; *Monachi dixerunt: cum manus impoſitione recipi canon praecipit*: quibus Tharaſius reſpondit: *forſan in benedictione tantum hic manus impoſitionem dicit; & non ordinationem*: ſi pro conſtanti, & indubitato habebat, ratas, validaſque eſſe Haereti-

reti-

reticorum ordinationes, ut putat Witaſſe; cur dubitanter reſpondit: *forſan in benedictione tantum &c.*? Actum eſt igitur ibi etiam de Haereticorum ordinatione; ſed eo, quem jam expoſui, modo.

§. 3. *Ex S. Leone IX., & aliis.*

XXII. OBjiciunt 13. *S. Leonem IX.*, qui, ut habet S. Petrus Damiani Opuſc. 6. c. 27., *omnes Clericos ab Haereticis venientes in iis quidem, quos jam adepti ſunt, praecipit Ordinibus recipi; ad altiores autem gradus probibet promoveri. Cujus decreti nos titulum contenti ſimus hic breviter adhibere... Quod omnis, inquit; cujuslibet Ordinis Clericus, qui Catholicam deſerens haeretici communioni miſcuerit ſe; ſi ad Eccleſiam reverſus fuerit, in eo gradu, quo erat, ſine promotione permaneat &c.* In quo Leo IX. inquit Witaſſe, Leonem Magnum aemulatus eſt; & aperte ſignificat haereſi *characterem* ordinationis non extingui.

Reſpondetur, quaeſtionem non eſſe de *charactere*, ſed de *poteſtate* Ordinis; quam dicimus perſtante charactere deperdi ab Haereticis illis tamen, qui extra Eccleſiam commorantur, ideſt qui publici ſunt quidem, non autem occulti; quique ab Eccleſia ſunt jam damnati, atque exauctorati. Caeteroquin cum Leo IX. de *Clericis* diſponat in haereſim *lapſis*, non in haereſi *ordinatis*; nihil ad hanc quaeſtionem conducit; in qua diſquirimus de pravorum Ordinationibus, non de lapſorum reparationibus: nam cum illi in Eccleſia a Catholicis rite ordinati fuiſſent; nemini dubium eſſe poteſt; eos etſi in haereſim delapſos, iterum ordinari non debuiſſe; quia vera Ordinatio iterari non poteſt; uti *baptiſmus* verus, & *Chriſma* verum. Eſt enim titulus *decreti*, quem attulit Petrus Damiani, titulus Epiſtolae 3. S. Leonis I. ad Januarium Aquilejen. Epiſcopum c. *Omnis cujuslibet* 1. q. 1. relatus; ideoque videri poteſt, & quod ſupra n. 11. ad eam adnotavi.

XXIII. Objiciunt 14. Concilium Placentinum ab Urbano II. anno 1095, nec non Romanum anno 1099., quae c. 10. decernunt: *Qui vero ab Epiſcopis quondam quidem Catholice ordinatis, ſed in Schiſmate a Romana Eccleſia ſeparatis conſecrati ſunt; eos nimirum, cum ad Eccleſiae unitatem redierint, ſervatis propriis ordinibus miſericorditer ſuſcipi jubemus; ſi vita & ſcientia eos commendat*: & c. 11. *Amodo vero quicunque a praedictis Schiſmaticis,*

 ſan-

ſanctaeque Romanae Eccleſiae adverſariis ſe ordinari permiſerit; nullatenus hac venia dignus habeatur: Quod & confirmavit Paſchalis II. anno 1106. in Concilio apud Guaſtallam illis verbis: *Patrum noſtrorum exemplis, & ſcriptis inſtructi, qui diverſis temporibus Novatianos, Donatiſtas, & alios Haereticos ſuis in ordinibus ſuſceperunt, praefati Regni* (Teutonici) *Epiſcopos in Schiſmate ordinatos; niſi aut invaſores, aut ſimoniaci, aut crimino ſi comprobentur, in officio Epiſcopali ſuſcipimus. Idipſum de Clericis cujuſcunque Ordinis conſtituimus, quos vita, ſcientiaque commendat.*

Reſpondetur primum, his locis agi de *Schiſmaticis*, de quibus dictum eſt paulo ſuperius n. 4. & 7., quare eorum ordinationes, & Sacramenta probari poſſint ab Eccleſia; & quidem Paſchalis Papa proxime laudatus Epiſt. 50. ad Rotardum Moguntin. Epiſcopum ſcripſit: *de ordinationibus Clericorum, qui in noſtri temporis Schiſmate ordinati ſunt; non aliud ſcribendum duximus, quam in Placentina Synodo per S. memoriae Urbanum praedeceſſorem noſtrum deliberatum eſt*. Quoniam autem Cap. IX. n. 7. vidimus, Urbanum II. improbaſſe Schiſmaticorum Sacramenta, eumque in omnibus ſecutum Paſchalem II. ex n. 33. Cap. VIII., poſſit ibi locutos eſſe de mixtis, hic autem de meris, ſimplicibuſque *Schiſmaticis*. Deinde reſponderi poſſet, horum Pontificum, Conciliorumque verba ſpectare non ad hanc quaeſtionem, ſed ad aliam, de qua S. Auguſtinus lib. 2. in Creſcon. cap. 11. dicit: *& de Epiſcopis quidem, vel Clericis recipiendis alia quaeſtio eſt: quamvis enim cum apud vos ordinantur, non ſuper eos invocetur nomen Donati, ſed Dei; tamen ita ſuſcipiuntur, ut videtur paci, & utilitati Eccleſiae convenire. Neque enim Epiſcopi propter nos ſumus, ſed propter eos, quibus verbum, & Sacramentum Dominicum miniſtramus*: agique ibi de ordinatis in Schiſmate ſuſcipiendis, non de eorum ordinationibus ducitur ex cap. 11. jam adducto, nec non ex 12., qui eſt: *quamvis autem miſericordiae intuitu, magnaque neceſſitate urgente hanc in ſacris ordinibus diſpenſationem conſtituerimus; nullum tamen praejudicium ſacris Canonibus fieri volumus, ſed obtineant proprium robur &c.* ita quidem Concilia Placentinum, & Romanum.

XXIV. Objiciunt 15., ac ultimo *Graecos Schiſmaticos*, & *Haereticos*, quos ſemper a Romana, Latinaque Eccleſia ſine iterata ordinatione ſuſceptos eſſe pronunciant: idque ut probet

Wi-

Witaſſe ſect. 7. Prob. 11., Concilii Lateranen. IV. anno 1215. ab Innocentio III. convocati *Canonem* 4. adducit *Graecorum ordinationes* admittentem; qui tamen canon Ordinationes minime commemorat: mox *Innocentii IV.* Epiſtolam Epiſcopo Tuſculano in Cypri Regno ſedis Apoſtolicae Legato profert Graecorum Sacerdotium ut verum, & legitimum recipientis: verum ea Epiſtola, quae in Concil. Collectione decima eſt, agit quidem de Graecorum Sacerdotibus jam ad Romanam, Catholicamque Eccleſiam reverſis, ſed non de eorum Sacerdotio, aut ordinatione: tantumque n. 9. praecipit, eos in poſterum *ſeptem Ordines* ſecundum Eccleſiae Latinae morem conferre. Demum *Alexandri IV.* Cypriam Conſtitutionem anno 1260. editam producit eorundem Graecorum Ordines approbantis: cum tamen Conſtitutio illa tractet, agatque de Graecis Catholicis, non de Schiſmaticis. Una ſane *Clementis VIII.* Conſtitutio 34. proditur anno 1595. facta, quae n. 4. de *Graecis* ita perhibet: *ordinati ab Epiſcopis Schiſmaticis alias rite ordinatis ſervata debita forma recipiunt quidem ordinem, ſed non executionem.*

Reſpondetur igitur, *Graecos* a Romana, Latinaque Eccleſia ſemper habitos eſſe uti meros, ſimpliceſque *Schiſmaticos*, non ut haereticos; niſi quantum *Haeretici* vocabulum ſumitur interdum large, & improprie: ideoque de ipſis dicendum eſt, quicquid de aliis Schiſmaticis *Novatianis, & Donatianis* dixi n. 4. & 7. Etenim non defuerunt, qui Capita diſſidii Graecos inter, & Latinos vel ad ſolam pertinere diſciplinam; vel quaeſtionem de verbis, vocibuſque continere demonſtrarunt: ut illud de *proceſſione Spiritus S. a Patre, & Filio;* quod praecipuum exiſtimatur; ita ſuſcipitur, ut praepoſitiones *per*, & *ex*, vel *a* altera alterius vice fungatur: de qua re legi poſſunt prae caeteris & Gregorius Protosyncellus, & Georgius Scholarius, ſive Gennadius uterque Graecus in ſuis pro Concilio Florentino defenſionibus. Sed & ante eos Antonius Andreae diſcipulus Jo: Scoti in 1. d. 11. q. 1. ſcriptum reliquit: *in iſta quaeſtione videntur diſcordare Latini, & Graeci, forte tamen quod diſcordia iſta eſt potius vocalis, quam realis.*

XXV. Enim vero *Graecos* ſemper nonniſi veluti *Schiſmaticos* a Romana Eccleſia judicatos, eoſdemque etiam Eccleſiae Miniſtros, ex eo colligi, ducique poteſt, quod illorum Antiſtites

titu-

titulis, *Epiſcopi*, *Archiepiſcopi*, & *Patriarchae* ſemper ab ipſa condecorati legantur: ſic S. Leonis IX. Epiſtola I. anno 1053. legitur data *Michaeli Conſtantinopolitano*, *&* *Leoni Acridano Epiſcopis* primis Graecanici Schiſmatis adverſus Latinam Eccleſiam autoribus: nam n. 5. inquit Pontifex: *chariſſime nobis*, *&* *adhuc dicende in Chriſto frater*, *&* *Antiſtes Conſtantinopolitane; tuque Leo Acridane dicimini Apoſtolicam*, *&* *Latinam Eccleſiam nova praeſumptione... damnaſſe*: & Epiſt. 6. eſt itidem data *Michaeli Conſtantinopolitano Archiepiſcopo; honorandumque fratrem* appellat: ſic & S. Gregorius VII. Epiſtolam I. lib. 8. dedit *dilecto in Chriſto fratri Synnadenſi Archiepiſcopo* Armeno Schiſmatico. Innocentius vero III. Epiſt. 354. lib. 1., & 209. lib. 2. tranſmiſit *Patriarchae Conſtantinopolitano*; inquiens ſuper Latinorum, & Graecorum unione, quae tunc agitabatur: *Sanctiſſima*, *quae apud vos eſt*, *Eccleſia non ad Conventum tardabit &c.*, at apud Haereticos nedum non *Sanctiſſima*, ſed ne *Eccleſia* quidem invenitur: ut & Epiſt. 211. Alexio Imp. CP., in qua ſcribit: *ex tenore literarum*, *quas venerabili fratri noſtro Patriarchae Conſtantinopolitano dirigimus &c.*; quin quod in alia ad eundem Imp. directa, quae legitur in Geſtis ipſius Innocentii n. 63., appellat *venerabilem fratrem noſtrum Patriarcham Conſtantinopolitanum magnum quidem*, *&* *honorabile membrum Eccleſiae*: convenit autem inter omnes membris Eccleſiae non accenſeri *Haereticos*: igitur Innocentius III. *Graecos* habuit pro meris, ſimplicibuſque Schiſmaticis. Nec aliter ſenſit *Gregorius IX.* anno 1232., & 1235., quando literas dedit *Venerabili fratri Archiepiſcopo Graecorum*, quibus illum e Schiſmate revocare tentabat: uti & *Gregorius X.* an. 1273. pro unione utriuſque Eccleſiae; nec non Eugenius IV. an. 1438. ſcribens *Venerabili fratri Joſeph Patriarchae Conſtantinopolitano*, ac in aliis literis *piiſſimo fratre noſtro Joſepho Patriarcha Conſtantinopolitano*. Similiter de aliis Schiſmaticis factum fuiſſe videmus; nam *Pelagius II.* ad Hiſtriae Schiſmaticos trium Capitulorum tres miſit Epiſtolas hac epigraphi: *dilectiſſimis fratribus Eliae*, *aliiſque Epiſcopis*, *ac univerſis filiis Hiſtriae partibus conſtitutis*: & S. Gregorius Magnus Epiſt. 32., & 36. lib. 2. Epiſt. 9. lib. 7., atque Epiſt. 11. lib. 11. eosdem Schiſmaticos *Epiſcoporum* titulo cohoneſtavit.

XXVI. Quod

XXVI. Quod ipſum & de ipſis *Haereticis* toleratis, & qui nondum ab Eccleſia proſcripti ſunt, atque exauctorati, factitatum invenimus: Hormiſdae enim Epiſtola 3. data legitur anno 515. *dilectiſſimo fratri Dorotheo Epiſcopo*, & Epiſt. 73. an. 520. *Dorotheo Epiſcopo Theſſalonicenſi*, qui quidem habebatur haereticus: Epiſt. vero 12. ſcripta dicitur *Timotheo Epiſcopo Conſtantinopolitano* haeretico anno 511. Macedonio ab Anaſtaſio Imp. ſubſtituto: & in Commonitorio ab ipſo Hormiſda Pontifice anno 515. Legatis ſuis Conſtantinopolim proficiſcentibus dato de eo ipſo admonuit; ſi Imperator dixiſſet: *ſine Epiſcopo debet eſſe Civitas mea?* reſponſuros: *interim uſque ad eventum cognitionis teneat locum Conſtantinopolitani Sacerdotis*: ut plura alia de hac re monumenta praetermittam.

At de aliis criminoſis, ut *Haereticis* ab Eccleſia damnatis, *Intruſis*, *Invaſoribus*, *Simoniacis*, *exauctoratis*, *degradatiſque*, ipſiſque etiam *Schiſmaticis* permiſtis non item; nunquam Patres, & Concilia, Romanique Pontifices *Epiſcoporum* titulo eos nuncuparunt; ſed aut titulo nullo, aut illo *Pſeudoepiſcopi*; vel *olim Epiſcopi; quondam dicti Epiſcopi; nunc non Epiſcopi &c.* ut legere eſt Epiſtolas praeſertim S. Cypriani, Felicis PP. II. al. III., Simplicii PP., Leonis Magni, Gregorii Magni, Nicolai I., Alexandri II., Gregorii VII. plurimas, nec non Urbani II., & Innocentii III., quae nedum ex titulo, ſed ex reliqua verborum textura etiam utrorumque diſcrimen patefaciunt.

CAPUT XII.

Occurritur Argumentis Scriptorum, Doctorumque Scholaſticae Theologiae.

I. OBjiciunt Algerum Leodienſem Monachum Cluniacenſem, qui florebat anno 1130., quique lib. 3. *de Sacramento Corporis, & Sanguinis Chriſti* cap. 10. ut probet, Sacramenta extra Eccleſiam confecta ſi non *rata*, *vera* tamen eſſe, praeter Auguſtini, & Leonis Magni autoritates affert & S. Hieronymi in Dialogo adverſus Lucifer. effatum: *ſicut hic eſt, qui baptizat Chriſtus; ita hic eſt,*

qui

qui ſanctificat: ergo ordinationes Haereticorum validae cenſendae erunt; uti baptiſmus Haereticorum eſt validus.

Reſpondetur, ad Auguſtini, Leoniſque Magni loca ſatis jam factum eſſe Cap. praeterito n. 7., & ſeqq., ſed ad illud *S. Hieronymi*, quod habetur & c. *Sicut Chriſtus* 1. q. 1., Romani Correctores Gratiani adnotarunt, B. Hieronymum argumentari eo loco, ut ſolent Dialectici, *ad hominem*: neque eum id agere, ut conſtituat aliquid; ſed tantum ut adverſarium modeſtum reddat; quo facto docuit eum, quare, & quomodo recepti fuerint ab Eccleſia lapſi in Concilio Ariminenſi Antiſtites. Quaeſtio enim erat de *lapſis* illis, de quibus ex Epiſtola S. Athanaſii diſſerui Cap. praecedenti n. 5, qui quum Catholici eſſent, & a Catholicis in Eccleſia ante lapſum ordinati: uti & illi *octo Epiſcopi Ariani*, quos ibi Hieronymus tradit ſciri *in Synodo Nicaena, quae propter Arianam perfidiam congregata eſt, ſuſceptos*: non iterum poſt lapſum ordinandi erant; cum jam rite, & valide fuiſſent ordinati. Quare etiam Vaſquez in 3. par. S. Thomae tom. 3. diſp. 243. cap. 1. admonet, male aliquos ex Hieronymi memorato Dialogo probare, Haereticos poſſe conferre Ordines.

II. Inſtabunt: (ut ut ſit de Hieronymi, aliorumque autoritatibus, ac dictis;) Sacramenta nihilominus ſi non *rata*, *vera* tamen eſſe poſſunt extra Eccleſiam: idque probatur ex *Innocentio III.* Epiſt. 50. lib. 2. Ferrarienſi Epiſcopo data, & c. *Quanto* de Divortiis recitata, qua ſcribit: *Nam etſi Matrimonium verum quidem inter Infideles exiſtat; non tamen eſt ratum: inter Fideles autem verum quidem, & ratum exiſtit: quia Sacramentum fidei, quod ſemel admiſſum nunquam amittitur, ratum efficit conjugii Sacramentum; ut ipſum in conjugibus illo durante perduret*: ergo idipſum ſtatuendum eſt de caeteris Sacramentis, ideoque & de Ordinatione.

Reſpondetur, conceſſo, quod fertur de *Matrimonio*; negando de aliis Sacramentis: & ratio a pari non valet; idcirco quod *Sacramenta* reliqua ſunt primum, & omnino a Chriſto inſtituta: *Matrimonium* vero a Deo primum ſub initium Mundi conſtitutum fuit illis verbis: *creſcite, & multiplicamini &c*, poſtmodum a Chriſto Domino in lege nova ad Sacramenti rationem, dignitatemque elevatum: propterea *verum* eſt conjugium, & contractus *verus*, antequam ſit Sacramentum *ratum*. Hinc Gratia-

nus

nus ad c. *Si quis Judaicae* 28. q. 2. ait: *Conjugium enim aliud eſt legitimum, & non ratum; aliud ratum, & non legitimum; aliud legitimum, & ratum: conjugium legitimum eſt, quod legali inſtitutione, vel Provinciae moribus contrahitur: hoc inter Infideles ratum non eſt, quia non eſt firmum, & inviolabile conjugium... inter Fideles vero ratum conjugium eſt &c.* idque ſuper illo Auguſtini: *non eſt ratum conjugium, quod ſine Deo eſt.* Qua de cauſſa nuperrime *Benedictus XIV.* anno 1741. Bulla, quae incipit *Matrimonia*, ſancivit Haereticorum conjugia *vera*, & valida eſſe; & niſi Canonicum quippiam obſtarit, prorſus eſſe firma decrevit. Quantum autem ad alia Sacramenta ob eam, quam attuli, rationem ipſa nequeunt eſſe *vera*, niſi quoque ſint *rata*; & e converſo quaecunque rata ſunt, ſunt etiam vera.

III. Objicient Hugonem Victorinum, qui vivendi finem fecit anno 1142., & in Sent. Tract. 6. cap. 9. in eorum inclinat opinionem, qui putant, traduntque manifeſtos *Haereticos*, eoſque, qui ſunt *extra Eccleſiam*, non conficere *Eucbariſtiae* Sacramentum; etſi alia Sacramenta extra Eccleſiam ab omnibus fieri poſſe arbitrentur: ergo fuit Hugo cum aliis in ea opinione, Haereticos poſſe *valide* ſacros adminiſtrare *Ordines*; uti & eos omnes, qui extra Eccleſiam eſſe dicuntur.

Reſpondetur, Autorem hunc, quandoquidem quorundam opinionem duxit amplectendam, neque a nobis probari poſſe, neque ab his, adverſus quos depugnamus: non iſtis, qui omnium Sacramentorum etiam *Eucbariſtiae* miniſterium extra Eccleſiam haberi poſſe tuentur: non nobis, qui excepto *Baptiſmo* nullum extra Eccleſiam Sacramentum fieri defendimus. Neque enim Hugo ſatis examinis huic quaeſtioni dediſſe videtur; ſed ſola quorundam opinione contentus ad alia mentem, animumque convertiſſe: quoniam ſi tot SS. Patrum, Rom. Pontificum, atque Conciliorum decreta perlegiſſet, quae nos extaſſe demonſtravimus; non talia literis tradidiſset; ſed opinionem eam profecto correxiſset.

IV. Objiciunt Gratianum Monachum veterum Canonum Collectorem, qui ſub Eugenio III. anno circiter 1150. docuit pluribus locis, ac praeſertim ad c. *Quod quidam* 1. q. 1. aliud eſse *poteſtatem* diſtribuendi ſacros Ordines; aliud vero *executionem* illius poteſtatis: unde cum *Sacramenta* ab Haereticis, Schiſ-

ma-

maticis, ſimilibuſque criminoſis adminiſtrata dicuntur *irrita* eſse, & inania; intelligendum dicit, *irrita* eſse non quantum ad ſe, ſed quantum ad effectum, & ad alios: & adminiſtratores privari quidem executione poſse, ſed non poteſtate: ejuſque Collectionem ita probavit *Pontifex Eugenius*, ut eam publice in Gymnaſiis legi mandaverit: ergo Haereticorum, aliorumque criminoſorum Ordinationes verae ſunt, & validae etiam ex Rom. Pontificis ſententia.

Reſpondetur, Gratianum non ſibi ſemper conſtare: poſtquam enim variis in locis, ut Cap. VII. n. 37. retuli, ex pluribus SS. Patribus oſtendit, Sacramenta praeterquam *Baptiſma* per Haereticos minime poſſe adminiſtrari; mox Auguſtini autoritate vel victus, vel emotus; cum neſciret, quo ſe verteret, quidve reſpondendum eſſet; eam commentus eſt diſtinctionem, quae neque *vera* eſſe poteſt; neque *admittenda*; tametſi fere ab omnibus Scholaſticae praeſertim Theologiae cultoribus recepta fuerit. Non quidem *vera;* cum Eccleſia, SS. Patres, & Concilia, Scriptoreſque omnes vocem hanc *irritum* dixerint, dicantque aliud nihil ſignificare, quam inane, vacuum, & nullum, nulliuſque omnino valoris in ſe, atque pro non facto; ut eſt Cap. I. n. 11. & 12. oſtenſum. Nam ſi quod *ratum* eſt, tale quidem non erit quantum ad effectum, niſi & in ſe tale ſit: igitur, quia contrariorum eadem eſt diſciplina, *irritum* non erit aliquid quantum ad effectum, niſi quoque ſit in ſe tale. Neque Gratiani adinventa diſtinctio foret *admittenda;* cum refragetur apertis ſummorum Pontificum, ac Conciliorum, quod eſt Eccleſiae ſenſis, atque determinationibus ſupra relatis maxime Cap. VII. n. 17. & ſeqq. Quantum autem ad *Eugenii III.* approbationem, ejuſque pro Gratiani *Collectione* decretum, Pontifex probavit, quae probanda erant, Eccleſiae videlicet, & SS. Patrum monumenta, non quaſcunque *Gratiani* commentationes; quae nec probari quidem poſſunt; ut obſervarunt jam S. Antoninus in Summa, Antonius Auguſtinus, ac Baluzius; ſubolfeceratque antea & Jo: Scotus in 4. d. 6. q. 8.

Num enim credendum eſt, Eugenium comprobaſſe, quod Gratianus ad c. *Daibertum* 1. q 1. praemiſit, dari in Eccleſia nonnullos *Ordines, qui ſine Sacramentali unctione ſola Epiſcopi benedictione cum quadam vaſorum, vel indumentorum diſtributione*

prae-

praeſtantur, ut ſunt Levitae, & caeteri infra eos conſtituti. Hi quamvis ab Haereticis ordinentur; tamen ad Eccleſiam redeuntes in eodem Ordine, ſi alias digni fuerint, ab Eccleſia ordinentur: nec fiet in eis iteratio muneris; cum ab Haereticis nihil doceatur eis fuiſſe collatum? abſit: etſi quod mireris, id minime caſtigatum legamus ab Romanis Gratiani Codicis emendatoribus.

V. Objiciunt Praepoſitivum veterem Galliae Doctorem, qui ſeculo XII. exeunte clarus fuit, & in Summa Theolog. apud Morinum Exercit. 5. cap. 1. num. 3. ſcriptis prodidit, ſibi *videri conſentienti Auguſtino, quod Haereticus omnia Sacramenta & habet, & conficit; dummodo in forma faciat Eccleſiae... quod dicitur ex auctoritate* VII. *Synodi; ubi Tharaſius Patriarcha dixit, quod in ſede Conſtantinopolitana fuerint Epiſcopi quinque omnes Haeretici unus poſt alium: ordinati tamen ab eis in ordinibus ſuis recepti ſunt*: ergo Haereticorum ordinationes ſunt verae.

Reſpondetur, ſuperiori Cap. n. 7. & 8. dictum eſſe, quomodo *S. Auguſtinus* intelligendus ſit; & de quibus *Haereticis* ſit locutus: n. vero 15., & ſeqq. expoſitum etiam eſſe, quantum ad VII. *Synodum* hac de re pertinet; dictumque de Tharaſio, ac illis Epiſcopis CP. *Monothelitis* haereticis, quomodo ſe res habuerit. Fuerunt, qui apud Magiſtrum ſent. 4. d. 25. reſponderent, *Auguſtinum* verba feciſſe de *Haereticis* occultis, & nondum ab Eccleſia damnatis, praeciſiſque; non autem de eiſdem publicis, damnatis, & ab Eccleſia ſegregatis, qui cum Eccleſiae Miniſtri non ſint, nec poteſtatem Eccleſiae, ac Ordinis habere poſſunt. Gratianus vero ad c. *Quod quidam* 1. q. 1. ait: *de his ergo, qui accepta Sacerdotali poteſtate ab unitate Eccleſiae Catholicae recedunt, loquitur Auguſtinus; non de illis, qui in Schiſmate, vel haereſi poſiti Sacerdotalem unctionem accipiunt: alioquin eſſet contrarius Chalcedonenſi Concilio.. & Innocentio &c.*, etſi paulopoſt aliter reſponderi poſſe demonſtret. Sed adductae profecto reſponſiones labefactantur ex ipſius Auguſtini verbis; nec appoſitior explicatio occurrit, quam quae loco proxime memorato referatur a nobis. Quare hic *Doctor* nihil novi evulgavit.

Alexander Alenſis, quem pro ſe Scriptores contrariae opinionis afferre conſueverunt, par. 4. Summae Theolog. q. 10. mem. 5. art. 1. §. 5. *Haereticos* quidem, & *Schiſmaticos* conſecrare poſſe ex poteſtate Ordinis, non ex officio executionis tuetur;

tur; attamen fatetur etiam aliquos aſſerere, *Haereticos* notorios ab Eccleſia damnatos conſecrare non poſſe; occultos vero nondum ab Eccleſia proſcriptos poſſe: quod illi *poteſtate* ſint exuti, iſti vero nequaquam: ſed quoad *Ordinationes* ſacras aliam eum tenuiſſe ſententiam dictum eſt ſupra Cap. II. n. 60.

VI. Objiciunt ex D. C. 4. d. 25. q. 1. §. ad ſecundum „ „ Epiſcopus in haereſim lapſus, quando reconciliatur, non ite- „ rum conſecratur: ergo non amittit *poteſtatem*, quam habe- „ bat, Ordines conferendi. „

Reſpondetur, conceſso antecedenti, negando conſequentiam ob *fallaciam*, ut ajunt Dialectici, *conſequentis*: ut enim non ſequitur: in haereſim lapſus Antiſtes, dum reconciliatur, non iterato conſecratur: ergo non amiſit *gratiam*: ita non ſequitur: ergo non amiſit *poteſtatem*; quam una cum gratia deperdi poſſe perſtante charactere pluribus probavi Cap. II., & quemadmodum *gratia*, quae amiſſa ſit, ſine nova conſecratione recuperari poteſt, ita quoque *poteſtas*: ut & ſine utraque interdum conſecrationem haberi poſſe eodem Cap. n. 8. demonſtravi. Non igitur iterum conſecratur Epiſcopus in haereſim lapſus, dum reconciliatur; quia jam rite conſecratus fuerat; conſecrationiſque ſignum, ſive *characterem* retinet, qui iterari non debet; ſed illi reſtituitur & *poteſtas*, & *gratia*, quas perdiderat; iſta quidem per Deum; illa vero per homines, dum Eccleſiae reconciliatur.

VII. Objiciunt ex eodem: „ major poteſtas eſt poteſtas con- „ ferendi Ordines, quam poteſtas Ordinum: at poteſtas Ordi- „ num non amittitur propter haereſim, vel aliquid hujuſmodi: „ ergo nec poteſtas Ordines conferendi. „

Reſpondetur, etſi negari poſſit ſumptio; cum non ſit *poteſtas* conferendorum Ordinum, quin ſit *poteſtas* Ordinum; quamquam non e converſo; tamen donetur: & negatur aſſumptum; cum id ſit, quod probandum eſt; ſitque id, quod controvertitur; an *poteſtas* Ordinis amittatur ob manifeſtam haereſim, vel crimen damnatum: & nos tueamur, ab iſtis haereticis, criminoſiſque quibusdam non quidem *characterem* Ordinis, ſed *gratiam*, & *poteſtatem* deperdi; ut ſuis locis abunde demonſtratum eſt.

VIII. Objiciunt ex eodem: „ ſicut baptizans exhibet tan- „ tum miniſterium exterius, ita & conferens Ordines Deo in- „ terius operante: ſed nulla ratione aliquis ab Eccleſia praeciſus

„ amit-

„ amittit baptizandi poteſtatem: ergo nec Ordines conferendi. „

Reſpondetur, omitto maj. (non quod vera non ſit; ſed quia parum, aut nihil conducit ad minorem; non enim ideo baptizandi poteſtatem nemo ab Eccleſia praeciſus amittit; quia tantum exterius miniſterium exhibet; ſed ob aliam cauſſam; ſiquidem in omnibus Eccleſiae Sacramentis Miniſter exterius dumtaxat operatur; & tamen interdum quorundam miniſtrandorum poteſtate denudari poteſt, ut *Matrimonii*, *Poenitentiae*) & diſtinguo min., non amittit baptizandi *poteſtatem* ordinariam nego; extraordinariam concedo: de qua re diſſerui n. 9. Capitis praecedentis. Quippe ratio valde diſpar inter utrumque & *Baptiſmi*, & *Ordinis* Sacramentum intercedit; cum illud neceſſitatis ſit, iſtud vero dignitatis: propter quod illius duplex poteſtas eſt ordinaria, & extraordinaria: iſtius vero ordinaria tantum: quare pereunte in Miniſtro *Baptiſmi* ordinaria poteſtate, remanet ſemper extraordinaria: non ita ſit de Miniſtro Ordinis: hinc eſt propterea non ſequi: quilibet baptizare valet; ergo & quilibet conferre Ordines ſacros.

IX. Objiciunt ex eodem: „ Omnis poteſtas, quae datur aliqua cum conſecratione, nullo caſu contingente tolli poteſt; ſicut nec ipſa conſecratio annullari: quia etiam Altare, vel Chriſma ſemel conſecrata perpetuo conſecrata manent: unde cum Epiſcopalis poteſtas cum quadam conſecratione detur; oportet, quod perpetuo maneat; quantuncunque aliquis peccet, vel ab Eccleſia praecidatur. „

Reſpondetur, nego ſumptionem; nam & *Abbatibus* poteſtas aliqua cum conſecratione confertur, & *Regibus* quoque, dum conſecrantur, ex c. *Cum veniſſet* De ſacra unctione; & tamen ea *poteſtas* utriſque facile prorſus aufertur: ut in Romano Joannis IX. Concilio anno 898. c. 6. *unctionem ſacri Chriſmatis Lamberti Imp.* confirmarunt Patres; illam vero *Berengarii* al. *Arnulſi Aug.* a Formoſo Papa patratam penitus abrogarunt: & poteſtas *juriſdictionis* eadem datur conſecratione, qua poteſtas *Ordinis*; quae nihilominus omnino, ac funditus auferri poteſt. Similiter, & *Viri*, & *Virgines* conſecrantur Deo; & *Eccleſiae*, *Altaria*, *Calices*, *Veſteſque &c.*, & tamen quis ignorat, iſthaec ſaepe execrari, violari, & conſecrationem amittere; iterumque conſecrari poſſe, ac conſueviſſe ex c. *de Fabrica*, *Ad haec*, *Quod in dubiis*, *& Pro-*

poſuiſti de Conſecrat. Ecclef. Sed & Richardus Mediavilla in 4. d. 25. q. 3. art. 1. docet aperte, ***Papam poſſe ab Altari, & Calice auferre conſecrationem abſque illorum deſtructione***: & Vaſquez in 3. par. S. Thomae to. 3. diſp. 243. cap. 2. obſervat, rationem *S. Thomae* inefficacem eſſe ſpectata conſecratione generatim; eo quod cum plura ſint tantum jure Eccleſiaſtico conſecrata; eodem quoque jure tolli poſſet earum rerum conſecratio.

X. Objiciunt ex D. D. 4. d. 25. q. 2. „ Sicut ſe habet *Sacerdos* ad poteſtatem conficiendi, ſic ſe habet *Epiſcopus* ad poteſtatem ordinandi: ſed *Sacerdos* quantuncumque haereticus, ſi habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, vere conficit: ergo & haereticus *Epiſcopus* vere ordinat, ſi formam Eccleſiaſticam ſervat. „

Reſpondetur, data majore, nego minorem prop. de haeretico publico, & ab Eccleſia praeciſo, exauctoratoque: quia ſemel ac extra Eccleſiam truditur Sacerdos, Eccleſiae quoque Miniſter eſſe deſinit; quod ſi Miniſter non eſt, nec Miniſtri *poteſtatem* habere poteſt: ad Sacramentorum autem ratam, veramque confectionem non ſolum *materia*, & *forma* requiruntur; ſed & idoneus *Miniſter*: porro Chriſtus non *haereticos*, eoſque, qui extra Eccleſiae caſtra militant, elegit Miniſtros; ſed *Diſcipulos*, & *Apoſtolos*; quibus dumtaxat dixit: *hoc facite in meam commemorationem*: & *accipite Spiritum S., quorum remiſeritis peccata, remittentur &c.*

XI. Objiciunt ex eodem: „ Si aliquis Catholicus intra Eccleſiam ordinetur, & poſt in haereſim labatur; ſi iterum revertatur, non reordinatur: ergo Ordines labendo in haereſim non amiſit: pari ratione nec Epiſcopus dignitatem, ſive gradum Epiſcopalem: ergo Epiſcopus exiſtens haereticus habet illam dignitatem Ordinis: ergo & operationem conſequentem ipſam de facto: ergo ſi ordinat, ordinatum eſt. „

Reſpondetur, conceſſo ant., nego conſequentiam abſolute: nam *Abbas* cum deponitur, officii ſui *poteſtatem* amittit; uti & *Rex*, aliique hujuſcemodi: & tamen ſi dignitati reſtituuntur, non iterum conſecrantur. Vel diſtinguo conſequens: *ordines* non amiſit, ſumpto Ordine cum Synecdoche conc., extra Synecdochen nego: id autem eſt non amiſit Ordinis *characterem*, qui interdum pro ipſo Ordine, veluti ſignum pro re ſignata ſumitur; aut *ordina-*

tio-

tionem, actionemque; qua Ordo, characterque tribuitur; quaeque proprie Ordo eſt, conc. conſeq., *gratiam*, & *poteſtatem* Ordinis nego conſeq. Verum eſt igitur, transfugis ordinatis in Eccleſia, cum ad Eccleſiam redeunt, *ordinem* non dari, ſed & illud quoque verum, illos *ordinem* ſecum non afferre: aliquid ordinis adducunt; & aliquid ordinis accipiunt; afferunt *characterem*; & accipiunt *poteſtatem*, & *gratiam*: idque per manus impoſitionem, qua ordinationem emendari tradit Autor *Reſponſorum ad Orthodoxos* Juſtino Martyri affixorum n. 14.

XII. Objiciunt ex eodem: „ *Character* aeque vere eſt in „ malis, ut in bonis; & aeque vere imprimitur malis, ut bo„ nis; ergo pari ratione aeque bene datur a malis, ſive perver„ ſis, ut a bonis: ergo cum *eſſentia* Ordinis in charactere con„ ſiſtat; patet &c. „

Reſpondetur concedendo totum; quandoquidem & nos admittimus contra quoſdam Haereticos, & Schiſmaticos, Ordines ſacros, aliaque Sacramenta Eccleſiae conferri, ac miniſtrari poſſe etiam a malis, ac improbis *Miniſtris*, ſed tamen Catholicis, & in Eccleſia degentibus, ideoque adhuc Eccleſiae Miniſtris, non enim iſtis quaerimus aut probitatem, aut fidem, aut quidpiam hujuſmodi; ſed unam *Miniſterii* rationem, ac poteſtatem. Illud tamen minus verum eſse putamus, *eſſentiam* Ordinis in *charactere* conſiſtere; cum character ſit ſignum Ordinis; & ſignum nunquam ad notionem rei ſignatae pertinuerit; ſiquidem alterum ſine altero certum eſt ſtare poſse; ut oſtenſum eſt Cap. II. n. 4., & Cap. I. n. 4. viſum eſt, naturam Ordinis eſse *poteſtatem*; & hanc ſecerni, ac permanere ſine ea characterem poſse. Praeterquamquod poſset negari conſecutio, nam aliud eſt ineſse, & habere; aliud vero dare; quaedam enim haberi poſsunt, quae nullo modo poſsunt dari; eo quod plus requiritur ad dandum, quam ad habendum: hinc quidam alicujus dandi poteſtatem non habent, & tamen illud habent; ſed & aliquando contra; ut quum is, qui baptiſmum non habet, baptiſmum aliis confert.

XIII. Inſtabunt illis Auguſtini verbis lib. 5. de Baptiſmo cap. 20. *cur autem ad verba, quae procedunt ex ore homicidae, poſſit tamen Deus oleum ſanctificare; & in Altari, quod Haeretici poſuerunt, non poſſit; neſcio*: & lib. 2. contra Parmen. cap. 13. *nec ullo modo iſti expedire ſe poſſunt, cum eis proponitur: cur*

ſanctitas Sacramenti & haberi, & dari poſſit ab eo, quem intus ſceleratum jam Deus damnavit; & tunc incipiat ab eo dari non poſſe, cum ab hominibus damnatus fuerit; cum tamen nec tunc eam poſſit amittere?

Reſpondetur ex Nicolao I. ad conſulta Bulgarorum ita cap. 71. reſcribente: *idcirco ab eo* (Presbytero adultero), *uſquequo judicio Epiſcoporum reprobetur, communio percipienda eſt*: & c. *Veſtra devotio* de cohabitat. Clericorum, & Mulier. Lucius III. ſcripſit: *aliud crimen eſt notorium, aliud occultum: notorium definitur, de quo Presbyter canonice condemnatur: occultum, quod adhuc ab Eccleſia toleratur ..... ſine dubitatione itaque teneatis; quod a Clericis, & Presbyteris, quamdiu ab Eccleſia tolerantur, nec eſt crimen evidens; licite audiuntur divina Officia; & alia recipiuntur Eccleſiaſtica Sacramenta*: ſic & c. *Sciſcitantibus* 15. q. 8. Nam dum tolerantur, ſunt adhuc Eccleſiae Miniſtri: damnati vero, atque exauctorati, deſinunt eſſe Miniſtri; ac proinde & ſine poteſtate. Neque tunc dicuntur ab *hominibus* tantummodo damnati, cum damnantur ab Eccleſia; ſed eſt Eccleſiam, quae divinae mentis fidelis interpres eſt, declarare, illos a *Deo* palam eſſe condemnatos. Quocirca recte docet S. Cyprianus, ideo Deum *homicidae* oleum ſanctificare, ſemel atque iſte verba profert; non autem oleum *Haereticorum*: quod iſte quamquam homicida, eſt tamen adhuc in Eccleſia, ejuſque Miniſter; illi vero nequaquam.

XIV. Objiciunt, ut apud Riccardum Mediavillam 4. d. 25. q. 3. art. 1. de *Epiſcopo degradato*: „Illa poteſtas (Ordinis) fundata eſt ſuper aliquid, quod per hominem auferri non poteſt; „ fundata enim eſt ſuper factum eſſe *conſecrationis*, & *decreto* Divinae ſententiae; quod decretum eſt, ut ille, qui ſic conſecratus eſt, talem habeat poteſtatem: ergo &c. „

Reſpondetur negando ſumptionem; & cum aſſeritur decretum Divinum, ſuper quo fundata aſtruitur Ordinis *poteſtas*; eſse, ut ſic ordinatus, ſive conſecratus talem habeat poteſtatem: admitto; ſed nihil probare contendo: quippe Divinum decretum non ſolum vult, ut ita conſecratus eam habeat poteſtatem; ſed etiam ut ipſam amittat; quoties in hoc, vel illud crimen inciderit; ut hactenus allata facta confirmant; & ut ipſe Riccardus ibi reſponderi poſse fatetur. Nam ex Divino quoque decre-

cre-

creto ſuper *conſecrationis* facto fundatur & poteſtas *jurisdictionis*, & utriuſque poteſtatis *executio*; & tamen ad nutum Eccleſiae utraque tolli poteſt.

XV. Objiciunt apud eundem Riccardum: „ Epiſcopus, „ qui reſignavit loco, & dignitate, ſi ordinat, verum Ordinem „ confert; quamvis non habeat Ordinis executionem ex c. *Re-* „ *quiſivit* de Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſco- „ patui; quia, inquit Gloſſa: *reſignatio non abſtulit illi ordinem*, „ *ſed Ordinis executionem*: ſed *degradatus* non eſt magis ſpolia- „ tus dignitate Epiſcopali, quam qui reſignavit: ergo &c. „

Reſpondet quidem Riccardus, per *reſignationem*, ſive abdicationem non poſſe Epiſcopum omnibus ſe privare, quibus poteſt privari idem per *degradationem*, ſive exauctorationem: Nam ſicut *jurisdictione* quis privari poteſt ſolo verbo, ac voluntate, quia haec conferri poteſt ſolo verbo, ac voluntate: ita non poteſt quis privari *dignitate Epiſcopali* ſolo verbo, ac voluntate; quia haec non poteſt ſolo verbo, ac voluntate donari. Sed primum Autor iſte putat per abdicationem omnimodam non auferri poteſtatem ordinandi; quod ego Cap. x. n. 29. falſum eſſe probavi: deinde ſi Ordinis *executio* non datur ſolo verbo, ac voluntate; & tamen tolli poteſt ſolo verbo, & voluntate; cur non & dignitas *Epiſcopalis* tolletur hoc modo; etiamſi non detur hoc modo? Poſtea falſum eſt *jurisdictionem* dari ſemper ſolo verbo, & voluntate; cum detur una cum poteſtate *Ordinis* Epiſcopis, & Presbyteris: qua in re mea quidem ſententia nemo melius judicavit *Gulielmo Rubione*; cujus verba retuli Cap. II. n. 45. Nam ad Autorem *Gloſſae* dico idipſum, quod Cap. x. n. 29. de eodem ſcripſi.

XVI. Objicient ex D. S. 4. d. 13. q. 2. „ 1. q. 1. *Quod qui-* „ *dam*: Nulla cauſſa oſtenditur; cur ille, qui *baptiſmum* non „ poteſt amittere, jus amittere poſſit baptizandi: ergo a ſimi- „ li qui *ordinem* Sacerdotalem amittere non poteſt; nec jus confi- „ tendi amittere poteſt: ſed nullus Sacerdos poteſt amittere *pote-* „ *ſtatem* Sacerdotalem, quia *character* eſt indelebilis: ergo &c. „

Reſpondetur, illud *Auguſtini* pronunciatum: *nulla cauſſa oſtenditur &c.* a me Cap. praecedenti n. 8. expoſitum eſſe, quomodo intelligendum: ideoque mitto antecedens; & diſtinguo conſequens, ſumpto *Ordine* pro poteſtate conc., pro charactere ne-

go conſeq., & aſſumptum cum eo, quo ipſum probari creditur; quaſi *character* ſit aut ipſa poteſtas, aut poteſtati neceſſario connexus; cum ſit tantum poteſtatis ſignum, quod ſine ea permanere poſſe non ſemel eſt & dictum, & oſtenſum. Et ſi Angelus, vel quicunque alius minime ordinatus, aut conſecratus, a Deo tamen electus, atque juſſus ordinare poteſt; ut omnes non diffitentur; liquet *characterem* non eſſe ad naturam, ac eſſentiam Ordinis pertinentem; cum ille characterem non haberet; *poteſtatem* autem ordinandi teneret.

XVII. Objicient ex eodem: „ 1. q. 1. *de his*: Sacramen„ torum ſanctitatem in perverſis hominibus; ſive qui intus ſunt, „ ſive qui foris; conſtat impollutam, atque inviolabilem perma„ nere: ergo quicunque Sacerdos quantuncunque malus poteſt „ habere ſanctitatem Sacramentorum eandem cum bono.„

Reſpondetur, argumentum ſumptum eſſe ex *Auguſtino* lib. 2. contra Parmen. cap. 13., & ex eo quoque ſolutionem haberi; inquit enim: *intelligitur perverſitatem hominum eſſe corrigendam, ſanctitatem autem Sacramentorum in nullo perverſo eſſe violandam. Conſtat enim in perverſis, & ſceleratis hominibus ſive in eis, qui intus ſunt, ſive in eis, qui foris ſunt, impollutam, atque inviolabilem permanere: & quia dicuntur ea mali polluere; quantum in ipſis eſt, dicuntur; cum illa impolluta permaneant; ſed in bonis permanent ad praemium; in malis permanent ad judicium. Nam & de Spiritu, qui nullo modo poteſt extingui, dictum eſt tamen: ſpiritum nolite extinguere: ideſt quantum in vobis eſt, nolite ſic agere, tanquam conemini ſpiritum extinguere; aut tanquam ſpiritum extinctum putetis; & nomen Dei nullo modo pollui poteſt; & tamen dictum eſt; filius, & pater intrabant ad unam puellam, ut pollueremt nomen Dei ſui*. Ex quibus apparet Auguſtinum loqui de *characteribus* Sacramentorum, qui inviolabiles ſemper, & impolluti permanent in bonis, & in malis; aut etiam de ipſa Sacramentorum *ſanctitate;* de qua quidem non diſputamus; nec inficiamur eam haberi poſſe a quocunque Sacerdote malo; ſed de Miniſtri *poteſtate* perquirimus; an in iis, qui foris ſunt, permaneat: nam ſi Sacramentorum *gratia*, quae ſanctitatem efficit, in perverſis hominibus, iiſque potiſſimum, qui extra Eccleſiam ſunt, amittitur; cur non & Sacramentorum *poteſtas*; quae gratiam ipſam plerunque conſequi ſolet?

XVIII. Obji-

Digitized by Google

XVIII. Objiciunt apud Scotum 4. d. 25. art. 2. „ cum hoc, „ quod quis communione privatus, ſuſpenſus, interdictus, *depo-* „ *ſitus &c.* ſit, ſtare poteſt & ratio *Miniſtri*, & *ſuſcipientis*, & „ *intentio*, & alia neceſſaria hinc inde: ergo &c. „

Reſpondetur, ut ibi ſecundum quoſdam §. *ad Argumenta*, non ſufficere intentionem, & alia neceſſaria, *niſi ſit & Miniſter idoneus*; qualis non dicitur eſſe *depoſitus*, *ſuſpenſus*, communione privatus, & ſimiles ab Eccleſia multati. Nam nulli dubium eſt, quin in quibusdam criminoſis ſtare poſſit, & ſtet interdum ratio *Miniſtri*: ſed & illud affirmamus, Eccleſiam aliquando vetare poſſe, ne quis ſit amplius Eccleſiae Miniſter: quemadmodum eſt de *Schiſmaticis* oſtenſum, qui inter Eccleſiae Miniſtros tolerantur; & de *Haereticis*, aliiſque pluribus, qui rejiciuntur. Et ſane cum Dominus *miniſtrum* ſuum a miniſterio deponit; miniſter ille non amplius dicitur, eſtque Miniſter ejus: & erit adhuc *Miniſter* Eccleſiae, quem Eccleſia depoſuit, exauctoravitque? & ſi Miniſter non eſt, quam poteſtatem miniſterii habebit?

XIX. Objicient ex Vaſquez in 3. par. S. Thomae to. 3. d. 243. cap. 2. „ Poteſtas, & conſecratio, quae Divino jure ali- „ cui confertur; ſive ſit Ordinis, ſive non; nullo facto, aut jure „ Eccleſiaſtico ab aliquo auferri poteſt: ſed ſemel collata per- „ petuo cum eo uſque ad mortem manet: hujuſmodi eſt pote- „ ſtas, & conſecratio Epiſcopi: ergo neque degradatione, neque „ ullo modo alio ab Eccleſia tolli poteſt. „

Reſpondetur, jam longe antea Riccardum Mediavillam hujus argumenti nervos incidiſſe, dum 4. d. 25. q. 3. art. 1. reſpondit; quod *ſicut a Deo decretum eſt, ut ille, circa quem ſit talis conſecratio, habeat talem poteſtatem: ita decretum eſt, ut ille, qui degradatur, careat illa poteſtate*; eſt igitur a Deo quidem *poteſtas Ordinis*, & Epiſcopalis; ſicut & *poteſtas jurisdictionis*, & utriuſque poteſtatis *executio*; ſed ita a Deo contributae Eccleſiae ſuae; ut in hujus arbitrio ſit, cum oportuerit, huic, vel alteri & conferre, & auferre; ut etiam proximo n. 14. eſt dictum. Quibus exploditur & argumentum Autoris *rei Sacramentariae*, dum to. 2. lib. 8. par. 1. q. 6. §. 3. negat Eccleſiam potuiſſe, aut poſſe ſacras ea conditione Ordinationes coercere, ut niſi a Miniſtris legitimis datae quantum ad ſubſtantiam non valeant: quia, inquit, non poteſt Canonibus ſuis Eccleſia Divinum opus

infringere; & effectum ex ſacra Ordinatione ita volente Chriſto neceſſario conſequentem in irritum mittere: atqui Ordinatio ſacra Divinum eſt opus Chriſti autoritate characterem neceſſario imprimens ordinato: ergo nihil contra potuit, aut poteſt Eccleſia. Nam nequit quidem Eccleſia Divinum opus infringere. Sed ejus eſt declarare, quae rata ſit, & quae irrita ordinatio: cui danda, cui vera neganda conſecratio: quis nam Miniſter legitimus, & idoneus, quis nam vero nequaquam aptus: huic, vel illi *poteſtatem* auferre, ſi non *characterem &c.*

XX. Objiciunt ex Fraſſen Diſput. Prooem. de Sacram. art. 2. q. 3. Concl. 4. „ Si *poteſtas Ordinis*, quae ſignificatur per „ characterem, poſset deperdi per aliquod peccatum; conſequens „ eſset, quod homines plerunque forent dubii, an valide Sacra- „ menta ſuſciperent; cum nullum habeant indicium; utrum Sa- „ cerdotes, a quibus ſuſcipiunt Sacramenta, ſint in ſtatu gra- „ tiae, nec ne; quod certe urgeret in magnum fidelium detri- „ mentum: ergo &c. „

Reſpondetur, *poteſtatem* Ordinis non amitti per quodcunque peccatum; cum paulo ſuperius dictum ſit, improbos, & malos Clericos, Sacerdoteſque, quouſque tolerantur ab Eccleſia, eſse veros Eccleſiae *Miniſtros*, ideoque vere Ordines, & Sacramenta adminiſtrare; ſed tum amitti, cum crimen tale perpetrant, quo ſecundum Canones ipſis per Eccleſiam adimitur poteſtas: idque univerſis innoteſcat oportet. Quod ſi quibuſdam interdum non innoteſceret; tunc fiet id, quod S. Thomas in 4. d. 24. q. 3., & in Supplem. q. 35. art. 3. §. ad ſec. perhibet de non baptizato; ſi ad Sacerdotium promoveretur, inquiens: *pie credi poteſt, quod quantum ad ultimos effectus Sacramentorum ſummus Sacerdos ſuppleret defectum; & quod non permitteret hoc ita latere, quod periculum Eccleſiae imminere poſſet*: Cum & Theologiae Moralis profeſsores communi conſenſione doceant, errorem communem tribuere *jurisdictionem;* tumque Eccleſiam, & Deum iniquorum hominum defectum ſupplere. Poſtea etiamſi *poteſtas* memorata non amittatur ullo modo per peccatum Miniſtri; adhuc homines poſsent eſse de eodem *Miniſtro* dubii; an intentionem rectam, & requiſitam habuerit; an ficte prorſus, ac ſine fide ad Ordinem ſacrum acceſserit; & conſequenter an *valide* Sacramenta miniſtraverit; ſive an verus Miniſter ſit, aut falſus.

XXI. Obji-

XXI. Objicient etiam ita; ſi *Haeretici* ab Eccleſia ſejuncti: *Apoſtatae*, *exauctorati*, *ſimoniaci*, aliique ſimiles criminoſi Clerici, & Antiſtites *poteſtatem* Ordinis amitterent; *Laici* fierent, aut nihil differrent a Laicis: at ſemel ac quis Sacerdos conſtitutus eſt, Laicus nequit amplius fieri: igitur Haeretici, & Apoſtatae ab Eccleſia deſciſcentes Ordinis *poteſtatem* non amittunt, ergo adhuc extra Eccleſiam Ordines conferre poſſunt. Sumptio ſe ipſa luceſcit; quoniam per Ordinis *poteſtatem* diſcriminantur Clerici a Laicis; qua ſublata illi ad Laicos amandari poſſunt, & debent: aſſumtum probatur ex Tridentino Concilio ſeſſ. 22. can. 4., quo ſtatuit: *Si quis dixerit, per ſacram ordinationem ... non imprimi characterem: vel eum, qui Sacerdos ſemel fuit, Laicum rurſus fieri poſſe: anathema ſit*: igitur &c.

Reſpondetur, conceſſa maj., nego min. propoſ., cujus ad probationem ajo, Concilium Tridentinum ibi etiam cap. 4. habere: *Quoniam in Sacramento Ordinis, ſicut & in Baptiſmo, & Confirmatione Character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt; merito S. Synodus damnat eorum ſententiam, qui aſſerunt, novi Teſtamenti Sacerdotes temporariam tantummodo poteſtatem habere; & ſemel rite ordinatos iterum Laicos effici poſſe; ſi Verbi Dei miniſterium non exerceant*: ideoque hypotheticam ſententiam damnat, non abſolutam. Quod ſi Canonis ſententiam dixeris abſolutam, non autem hypothecam; Concilium definire dico, Sacerdotem fieri non poſſe Laicum quantum ad *characterem*, non quantum ad *poteſtatem*; ſive illum, non iſtam eum deperdere non poſſe; ideoque ratione characteris omnino Laicum dici non debere. Caeterum *Laicos* fieri Sacerdotes, qui aut deponuntur, & exauctorantur; aut extra Eccleſiam transfugiunt, poteſtatemque Ordinis amittunt; quamplures condocent SS. Patres ſupra commemorati, *Optatus* Milevitanus lib. 2. cap. 24., Magnus *Baſilius* Epiſt. 72. ad Evaiſenos: *ſi enim orthodoxus fuit Evippus* (Epiſcopus); *quomodo non Laicus Euſtathius, qui ab illo depoſitus fuit?* & Epiſt. 1. ad Amphilochium n. 1., *S. Cyrillus* Alexandr. Epiſt. ad Atticum CP. Epiſcopum, *Gennadius* CP. Epiſcopus Epiſt. ad Martyrium Antiochenum Antiſtitem; & Clariſſime *Concilium Bituricenſe*, cujus verba recitavi Cap. II. n. 21., quinimmo ipſemet S. Thomas 4. d. 24. q. 2., ac in Supplem. q. 35. art. 2. §. ad ſec. annon ſcripſit: *dicendum, quod quantum-*

tumcunque homo ſe ad Laicatum transferat, ſemper tamen manet in eo character: quod patet ex hoc, quod ſi ad Clericatum revertatur, non iterum ordinem, quem habuerat, ſuſcipit? Quamobrem non ab re notavi Cap. I. n. 5., ut unus *Baptiſmi* character Chriſtianum non efficit, ita non unum *Ordinis* characterem Clericum conſtituere: ſed in illo *fidem*, in iſto *poteſtatem* requiri.

XXII. Objicient tandem ultimo, *Doctores* omnes, vel fere omnes praeſertim Theologiae Scholaſticae, iique praecipui non ſolum, ſed etiam Principes ab initio XIII. ſeculi docuerunt, docentque adhuc mordicus, Sacramenta Haereticorum, Simoniacorum, exauctoratorum, aliorumque criminoſorum etiam extra Eccleſiam, modo in forma Eccleſiae miniſtrata ſint, vera eſſe, & valida: ergo *erroneum* eſt poſt tot Theologorum conſenſum, inquit Hallierus Tract. de ſacris Elect., & Ordin., negare, validum eſſe Sacramentum ab Haereticis, ſimilibuſque etiam ab Eccleſia praeciſis adminiſtratum; quod & *certiſſimum* eſſe non dubitat aſſerere Juenin cap. 3. q. 6. de Sacram.

Reſpondetur conc. ant., nego conſeq., ſciſcitorque, num mihi per illos, alioſque licuerit dicere, quod in ſimili cauſſa S. Auguſtinus lib. 2. contra Creſcon. dixit cap. 30. *Non accipio, quod de baptizandis Haereticis, & Schiſmaticis B. Cyprianus ſenſit; quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua B. Cyprianus ſanguinem fudit?* Cum praeter rationum momenta retulerim & facta, & auctoritates Doctorum veterum, SS. Patrum, Rom. Pontificum, & Conciliorum etiam Oecumenicorum, quod eſt plane univerſae Eccleſiae: non unus ego, qui pene nullus ſum, ſed quotquot illa legerint, & lecta attente perpenderint, non quiverint huic noſtrae non accedere ſententiae; quae quidem vetus, conſtanſque Eccleſiae, atque adeo omnium fuit, ac etiam eſſet; niſi rerum viciſſitudo, & quaedam, quae mox dicentur, ipſam labefactaſſent, ac demum depravaſſent.

XXIII. Ob tria igitur potiſſimum in oppoſitam Theologi, quos dixi, deſcenderunt ſententiam; ob autoritates *S. Auguſtini*, & *Anaſtaſii Papae*, ad quas verba feci Cap. X. n. 22., & XI. n. 7., & 8., ob *monumentorum*, quae ſparſim in Opere produxi, penuriam; & ob *Gratiani Canonum* Collectionem, quam fere ſolam illi pervolvebant, lectitabantque; & quae in Gymnaſiis tanti fiebat; poſteaquam Romani Pontifices ſecundum eam in Tribu-

bunalibus judicari juſſerunt; ut ne digitum quidem tranſverſum ut ajunt, ab ea diſcedere vellent; nefaſque ſecus atque illam ſentire putarent Doctores. Quare cum *Gratianus*, ut & jam n. 4. monui, & Auguſtini autoritate permotus, & monumentis plutibus deſtitutus eam ipſam tradiderit opinionem; nil mirum, ſi & hi, qui poſt eum floruerunt, eique operam plurimam dederunt; ejus quoque pravam alte animis imbiberunt opinionem. Ad haec acceſſit; eosdem, quod legerint quorundam *Haereticorum*, & *Schiſmaticorum*, *Simoniacorum*, *anathemate* ictorum, ſimiliumque ordinationes ab Eccleſia fuiſſe probatas; omnium horum indiſcriminatim Ordinationes eſſe ratas, validaſque credidiſſe, & ſcriptis tradidiſſe. Quae ſane cauſſae fuerunt, cur & obſcura, difficiliſque quaeſtio judicata ſit; & diutiſſime ſit a tot, tantiſque viris erratum in ipſa: quibus nihilominus ob id nolim aliquis exiſtimet quicquam iri detractum; quinimmo maximopere ipſos laudibus cumulandos affirmo: quoniam ſi tanta tantis orbati monumentis egerunt, conſcripſeruntque; ut adhuc eorum nomen clarum habeatur in Orbe; quanta elaboraſſent, ſi eisdem locupletati magis amica literis tempora nacti fuiſſent. Atque haec quidem ſatis pro hac de ſacris quorundam *Ordinationibus* Diſputatione: utinam autem & ad inveteratum errorem extirpandum ſatis.

QUAE-

Digitized by Google

QUAESTIO I.

De Chorepiſcopis.

I. PErlegenti mihi cupidiſſime, & rerum Eccleſiaſticarum in primis antiqua revolventi, perquirentique; quid quaque in re verius haberetur, quidve probabilius; illa de *Chorepiſcopis* occurrit inveſtigatio plane non inutilis; utrum *Epiſcopi* reipſa fuerint, an non: eorum enim, qui de ipſis pertractarunt, aliqui quidem eos *Epiſcopos* extitiſſe tutati ſunt; ſed reliqui fere omnes, praecipueque Galli *Presbyteros* eos tantummodo fuiſſe ſcripſerunt. *Galli* quippe, qui omnium primi in Occidente, & ferme ſoli cum Germanis Chorepiſcopos admiſerunt; primi etiam poſt III. vel IV. ſecula bellum illis inferre coeperunt. Nam cum medio circiter octavo Eccleſiae ſeculo in Gallia *Gauziolenus* quidam Eccleſiam moderatur Cenomanenſem, juſſu Pippini Regis oculis privatur; iccirco quod ipſe Herlemundum ſibi Eccleſiam tyrannide opprimenti ab eodem Pippino ſubſtitutum dolo obcoecaſſet: mox tamen ipſum Gauziolenum quamquam oculis captum ſuam regere Eccleſiam ita permiſit Rex, ut *Seufridum* ordinaret *Chorepiſcopum*, qui vices ſuas in illa ſuppleret Paroecia: quo mortuo ſucceſſere unus poſt alterum *Deſideratus*, & *Berthodus* itidem *Chorepiſcopi* ſub eodem Epiſcopo Gauzioleno: qui poſt obitum Berthodi alium ſibi Chorepiſcopum ordinari a Carolo Magno poſtulavit.

II. Rem Princeps retulit ad *Synodum* Epiſcoporum; quibus abſurdum viſum eſt, quod apud Cenomanos eatenus geſtum fue-

rat;

rat; ſcilicet ut *Chorepiſcopi* peregiſſent omnia, quae Epiſcopi erant: cautumque, ne *Chorepiſcopi* deinceps Chriſma conficerent, Virgines ſacrarent, Spiritum S. traderent, Eccleſias, ſeu Altaria conſecrarent, & Oleum denique ad infirmos ungendos benedicerent, niſi a tribus Epiſcopis eſſent ordinati: ſicque ordinati a titulo villano *Chorepiſcopi* nomen, non *Epiſcopi* ab ordinatione ſortirentur, nec quidquam in Eccleſia citra conſenſum Epiſcopi aggrederentur. His conditionibus a Carolo permiſſum, ut Gauziolenus ſibi Chorepiſcopum ordinare poſſet; inquit Mabillonius Analect. to. 3., & Annal. Bened. lib. 21. n. 74., ſubditque Chorepiſcopum adlectum fuiſſe *Merolum* Sacerdotem, atque a tribus Epiſcopis ordinatum ad titulum Eccleſiae S. Petri in Vico canonico nomine Salico; & poſt *Hodingum*, qui Gauzioleno ad biennnium ſucceſſit ex Chorepiſcopo Cenomanen. Epiſcopum juſſu Caroli Regis creatum, idque circa ann. 772., cum initio inſequentis anni jam eum ſediſſe conſtet; cumque Pippino Regi Carolus ſucceſſerit anno 768., liquet Gallorum *Synodum* de hac re inter ann. 768. & 771. habitam fuiſſe; unde & novum *Chorepiſcoporum* genus, & origo coepit belli Chorepiſcopis inferendi, ob idque & comminiſcendarum *Epiſtolarum Damaſi*, *Leonis M.*, & *Joannis III.*, cum intelligerent ſibi obſtare & canonem 10. Antiochenum, qui ab *uno Epiſcopo* Chorepiſcopum ordinari praecepit; & 3. Regenſem, qui *Chriſma* conferre permiſit Armentario Chorepiſcopo; & alia plura.

III. Qua de re mihi faciendum erit, ut oſtendam *Chorepiſcopos* tam primi, veteriſve generis, & qui ab uno tantum ordinabantur Epiſcopo; quam ſecundi, novique; & a Gallis ſeculo VIII. excogitati generis, qui a tribus conſecraretur Epiſcopis, fuiſſe veros Epiſcopos, minores tamen *Polepiſcopis* dignitate, uti & loco; & partim jure in Gallia, partim vero injuria eſſe perculſos, atque condemnatos, idque ratione primum, ac autoritate; poſtea momentorum adverſariorum confutatione. Itaque 1. quicunque conſecratur ea conſecratione, qua fiunt, conſecranturque Epiſcopi, verus eſt Epiſcopus: ea ipſa conſecrabatur *Chorepiſcopus*: ergo verus erat Epiſcopus. Sumptio & per ſe ipſa liquet, & etiam a ſimili; cum ille verus ſit Presbyter, & verus Diaconus, qui qua Presbyter, & qua Diaconus fieri conſuevit, conſecratione ordinatur. Aſſumtum oſtendit canon x. Antiochenus

nus: *qui Chorepiſcopi vocantur, quamvis impoſitionem manuum acceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint*: inquit paraphraſtes Dionyſius Exiguus, & Iſidorus: ergo &c. Quamobrem Baronius ad ann. 357. n. 67. ex hujus Concilii Canone 8. & 10. ſcribit, Chorepiſcopos *Vicarios* quidem fuiſſe Epiſcoporum; ſed *qui erant Epiſcopi conſecrati, conferreque Ordines ſacros poterant*.

IV. Nec juvat recens quorundam effugium, qui ad hujus argumenti, canoniſque vim praevertendam duplex *Chorepiſcoporum* genus ſunt commenti, unum ut Epiſcopi conſecratum; alterum vero non. Quoniam veteres Galli, quum illos exagitandos ſibi ſumpſerunt, generatim de ipſis, non autem de uno illorum genere tractarunt: atqui omnes affirmant ordinatos fuiſſe conſecratione *Epiſcopali*, ſive qua fit Epiſcopus: ergo illud duplex Chorepiſcoporum genus purum putum quorundam recentiorum dicendum eſt. Aſſumtum probatur: In Capitul. Reg. Franc. anno 803. cap. 6. de eis dictum eſt: *Epiſcopi namque non fuerunt; quia nec a tribus Epiſcopis, nec ad aliquam Epiſcopalem Cathedram ordinati fuerunt*: & cap. 4. decretum dicitur in Synodo Ratiſponen., ut eorum omnia iterentur; *nam Epiſcopi non erant, quia nec ad quandam Civitatis Epiſcopalem ſedem titulati erant; nec canonice a tribus Epiſcopis ordinati*: cujus decreti partem accepiſſe videntur a ſuppoſitis Damaſo, Joannique III. Epiſtolis, quarum in prima legitur: *quod enim Epiſcopi non ſint, qui minus quam a tribus ſunt ordinati Epiſcopis, omnibus patet*: in ſecunda vero: *omnia quoque Concilia affirmant, eum non Epiſcopum eſſe, qui minus quam a tribus Epiſcopis fuerit factus Epiſcopus*: qui quidem non inficiantur, Chorepiſcopos ordinatos ordinatione *Epiſcopali*; ſed non rite facta, ideoque *invalida* factos autumarunt. Cur enim non dixerunt: *Chorepiſcopi* Epiſcopi non ſunt, quia non *Epiſcopali*, ſed *Preſbyterali* ordinatione conſecrati ſunt; id quod cauſſam eviciſſet? at quum eos refelleret aperte canon Antiochenus; iccirco *Epiſcopalem* illos quidem ordinationem habuiſſe ſunt faſſi, ſed prave traditam, ideoque irritam, ac invalidam. Quod quam falſum fuerit, paulo poſt videbitur.

V. Confirmat hoc aſſertum Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus vir doctrina inſignis, qui Epiſt. ad Drogonem Meten. Epiſcopum de *Chorepiſcopis* acriter in eos invehens Epiſcopos, qui eisdem Chorepiſcopis *Epiſcopalia munia* non permit-

te-

tebant, ſed ab ipſis conſecratos *iterum conſecrarent*, inquit: *vanum eſt, quemquam conſecrationem Epiſcopalem habere, ſi miniſterium Epiſcopi ei non licet agere? Ad quid ergo invocatur Spiritus Sanctus ab Epiſcopo ordinatore ... ſi ipſe invocator ... poſt conſecrationem, quam rite peregit, mox reprehenderit? Ad quid enim Epiſcopus cujuslibet Civitatis Chorepiſcopum ſibi vult, ac decernit ordinare; ſi ipſam ordinationem ſuam nullam efficaciam arbitratur habere?* Nec Autor iſte explicari poteſt de *Chorepiſcopis*, qui ut Epiſcopi conſecrati fuerant; non autem de omnibus Chorepiſcopis; quemadmodum interpretatur Witaſſes Obj. 9., cum Rabanus verba fecerit de Chorepiſcopis *cujuslibet Civitatis;* de iis, qui non a tribus Epiſcopis, vel Synodo Provinciae, ſed ab uno *Epiſcopo ordinatore* conſecrati erant, de iiſque, quorum ordinationes a nonnullis *iterabantur:* uno verbo de iis, quos Gallicani Antiſtites, Conciliaque pronunciarunt non eſſe Epiſcopos, ſed *Presbyteros*, & ad LXX. diſcipulorum formam; quod plane de illis, qui juxta Gallos vere *Epiſcopali* ordinatione conſecrati erant, minime dicebatur.

VI. Huc accedat illud *Nicolai I.* Epiſt. 19. Append. 1. ad Rodulfum Bituricen. Archiepiſcopum n. 1. ſcribentis: *A Chorepiſcopis aſſeris multas eſſe in Regionibus veſtris ordinationes Preſbyterorum, & Diaconorum effectas; quos quidam Epiſcoporum deponunt; quidam vero denuo conſecrant. Nos vero dicimus; nec innocentes oportere percelli; nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas conſecrationes: ad formam enim* LXX. *Chorepiſcopi facti ſunt; quos quis dubitet Epiſcoporum habuiſſe officia? ſed quia ſacri Canones vetant, ne omnes ſibi omnia vendicent; ac per hoc dignitas Epiſcoporum ad Chorepiſcopos ſuos videatur transferri; fiatque vilior honor Epiſcopi; decernimus nihil in hoc praeter regulas ulterius fieri*: Quibus edocuit, Chorepiſcopos vi ordinationis potuiſſe, ſed non debuiſſe illas peragere *ordinationes*. Neque ſuppoſitionis pars haec Epiſtolae poſtulari poteſt, ut aeſtimat Thomaſſinus; ſiquidem unus eſt totius Epiſtolae ſtylus; & nihil Pontifex aſtruit, quod non ſenſerint multi SS. Patres, Jo: Chryſoſtomus, Hieronymus cum Antiocheno Concilio. Nec etiam minus veriſimile videtur Archiepiſcopum Rodulfum poſt tot Sedis Apoſtolicae, Conciliorumque decreta de *Chorepiſcopis* iterum conſuluiſſe Nicolaum I., cum extet aliud ejuſdem Nicolai

colai reſponſum ad conſulta Arduici Veſontion. Archiepiſcopi in Append 3. ejus Epiſtolarum cap. 5. hujuſcemodi: *de Chorepiſcopis, de quibus conſulis; utrum Presbyteros, & Diaconos valeant conſecrare; ſacri te Canones ſatis poterunt edocere. Quomodo autem Chorepiſcopos poſſe dicemus Eccleſias conſecrare, quas nulli Epiſcoporum licet ſine noſtro praecepto ſecundum ſanctas regulas dedicare? Inde vos Epiſcopos tanquam terminos a Patribus poſitos transferentes merito reprehendimus.*

VII. Quo dicto Pontifex ſine dubio reſpexit, innuitque illud *Gelaſii I.* Epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniae &c. n. 4. & 25. ubi prohibet, *Baſilicas, Eccleſias, & Oratoria dedicari* ab Epiſcopis *ſine praecepto Sedis Apoſtolicae;* quod innovavit & Nicolaus c. *Eccleſia* d. 1. de Conſecrat., & quanquam Gelaſius Epiſcopis *Suburbicariis* ſcribens videri poſſit, id voluiſſe illis non licere ſine *Metropolitani* Antiſtitis facultate, atque permiſſu: Nicolaus tamen de quibuſcunque Epiſcopis intelligendum aut putavit, aut voluit: certe Siricius Papa Epiſt. 4. ad Afros n. 1. nomine *Sedis Apoſtolicae* aſſerit intelligi *Primatem*. Quo tamen loco notare eſt, Nicolaum ſcribere Arduico de Chorepiſcopis: *ſacri te Canones ſatis poterunt edocere*: cur non adduxit decretales ſuorum praedeceſſorum *Damaſi, Leonis M., & Joannis III.* Epiſtolas, aut *Leonis III.* ad Carolum M. reſponſum, Galliarumque *Concilia*; niſi quia aut illa non vidit, aut non multum illis detulit? Porro quanti facienda ſit Nicolai I. autoritas, ediſſerit Adrianus II. Epiſt. 35. ad Adonem Viennen. Archiepiſcopum anno 868. ſcripta hiſce verbis: *ſiquidem acta praefati Pontificis* (Nicolai) *tanto a nullo patimur quolibet pacto convelli; quanto ipſe nobis poſt longa tempora inter nubila praeſentis vitae quaſi quoddam novum ſidus apparens & vitae, vel doctrinae ſuae fulgore, auctore Deo, errorum tenebras abigens non quod abolendum, ſed quod imitandum ſit, & fecit, & docuit.*

VIII. Probatur 2. Diſcrimen illis praeſertim temporibus *Epiſcopum* inter, & *Presbyterum* ſola *ordinatio* conſtituebat; uti perhibent SS. Jo: Chryſoſtomus homilia II. in Epiſt. 1. ad Timoth., & Hieronymus Epiſt. 101. al. 83. ad Evagrium: atqui *Chorepiſcopis* jus erat conferendorum ordinum nedum Minorum, ſed etiam Majorum: igitur Epiſcopi vere illi erant, non autem Preſbyteri: aſſumtum habetur ex Conciliis Ancyrano, & Antioche-

no,

no; illo can. 13. *Fas non eſt Chorepiſcopos ordinare Presbyteros, vel Diaconos, ſed neque urbis Presbyteros, niſi cum literis ab Epiſcopo permiſſum fuerit, in aliena Parochia*: iſto can. 10. *Conſtituant autem Lectores, & Subdiacones, & Exorciſtas; & eorum promotionem ſibi ſufficere exiſtiment: Presbyterum autem, & Diaconum ordinare non audeant ſine Epiſcopo Civitatis, cui ipſe, & pagus ſubjicitur*. Quod ſi quis opponat, etiam *Presbyteros* ordines vel minores olim conferre potuiſſe ex c. *Requiſivit* de Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit &c. Diſcat id delegata eos feciſſe poteſtate, non autem ordinaria, ut Chorepiſcopi; quapropter Gelaſius proxime commemoratus Epiſt. 9. n. 6. de Presbyteris edixit: *nec ſibi meminerint ulla ratione concedi, ſine ſummo Pontifice Subdiaconum, aut Acolytum jus habere faciendi*: tres alios vero inferiores forſan illis aliqua ratione permiſit: ſed non *majores Ordines* unquam Presbyteris, ut conferrent, legitur permiſſum. Erratque Morinus par. 3. de Sac. Ordinat. Exercit. 4. de Chorepiſcopis cap. 3., dum *ſimplices Presbyteros* putat Eccleſiaſtica Chorepiſcopali ornatos dignitate per Canones Ancyranum, & Antiochenum fuiſſe delegatos ad conſecrandum Presbyteros in pagis, & villis: neque tamen id mirum; Gallus enim erat.

IX. Confirmatur ex Magni Baſilii Epiſtola ad *Chorepiſcopos*, qua perſpicue ſcribit, eos quidem conſueviſſe *Sacerdotalem* conferre dignitatem; ſed ipſos increpat, quod indiſcuſſos, & ſine examine miniſtros promoverent, ac ſine ſuo aſſenſu; minaturque deinceps tales deponendos fore; nam inquit: *Eos, qui Eccleſiae miniſtrant, recepta olim in Eccleſiis conſuetudo diligentiſſime probatos admittebat; & omnis eorum vitae agendae ratio curioſe inquirebatur ... & haec quidem examinabant Presbyteri, & Diaconi, qui cum eis verſabantur: referebant autem ad Chorepiſcopos; qui acceptis ſuffragiis a ſinceris teſtibus, & eorum admonito Epiſcopo, miniſtrum deinde in Sacerdotalem numerum cooptabant*. Verum quidem eſt, Graecum exemplar habere ἱερατικῶν, quod etiam *Sacratorum* ſonat, nedum *Sacerdotalem*; attamen id clare probat, *Chorepiſcopos* conſueviſſe *Sacratos* ordines aliis conferre; Baſiliumque tradere ea, quae valde ſunt Antiocheno Concilio conſentanea. Cui maxime conſonat Ebbo Rhemenſis Archiepiſcopus in deſcriptione Officii Eccleſiae Rhemen. Miniſtro-

R rum,

rum, quae ad calcem Hiſtoriae Flodoardi habetur; ubi de *Epiſcopi officio, ordinationibus, confirmatione*, aliiſque tractans ait: *quibus in cauſſis niſi juſſus Chorepiſcopus nullatenus excedat*: igitur juſſus poteſt ordinare, confirmare &c. Neque autem quod interdum quibuſdam ex cauſſis *Chorepiſcopis* interdicebantur Ordinationes; inde duci poteſt, eos veros non fuiſſe Epiſcopos; uti quum Synodus VII. can. 14. prohibuit, ne iidem ſine conſenſu Epiſcopi *Lectores* conſtituerent; quod & de omnibus Ordinibus edixiſſe videtur Laodicena Synodus can. 32. Nam & Gelaſius, qui ſupra, n. 4. & 25. interdixit *Epiſcopis* Suburbicariis uti Metropolitanus; ne *Eccleſias*, *Oratoria*, ac *Altaria* ſine ſuo dedicarent praecepto: & Synodus Carthagin. II. can. 9., ac Hiſpalenſis II. c. 7. vetuit, ne *Presbyteri*, praeſente Epiſcopo *agenda celebrare*, aut *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti conficere* praeſumerent; ut & Neocaeſarienſis can. 13.

X. Probatur 3. Nomen ipſum *Chorepiſcopi* dignitatem prodit; ipſumque nequaquam ſimplicem Presbyterum eſſe manifeſtat: nam quid eſt *Chorepiſcopus*, niſi ruris, aut Regionis Epiſcopus? ita namque latine redditur Graeca vox χώρα, vel χώριον: & propterquid *Epiſcopi* titulum hic retulit; niſi quia velut Epiſcopus conſecratus fuit; & officia Epiſcopalia exercere poterat? Quapropter & in Conciliis Nicaeno I., Neocaeſarienſi, Epheſino, Chalcedonenſi, Noviomen., Cariſiacen. I., Sveſſionen. III., & Duziacen. *Chorepiſcopos* legimus ſubſcriptos, memoratoſque inter *Epiſcopos* non quidem ſemper ſuorum Epiſcoporum loco, cum id non oſtendatur; ſed tanquam & ipſi Epiſcopi: qui enim aliorum loco, atque nomine ſive Chorepiſcopi, Epiſcopique, ſive Presbyteri intererant, id Acta ſignificabant, ut illa *Chalcedonenſis*; & ſi quae ſunt, quae occurrant: igitur cum *Chorepiſcopi* non dicantur quampluribus in Synodis aliorum nomine interfuiſſe: id factum aſſerere, eſt nullo monumento, temereque rem interpretari, atque referre. Quòd autem in Epheſino, & in Chalcedonenſi Conciliis *Jacobus* quidam dicatur modo *Chorepiſcopus*, & modo *Presbyter*, nequaquam noſtram expugnat opinionem, ut quidam arbitrantur; nam ibi Jacobus Presbyter alius eſt a Jacobo *Chorepiſcopo*: qui quoniam ab Eutychio Principe vocatus eſt *Epiſcopus*; recte Lupus Act. VI. Appendicis ad Epheſinum Concilium adnotat id eo factum, quod Chorepiſcopi *conſecra-*

ſecratione non ſimplices Presbyteri, ſed veri Epiſcopi eſſent. Quare duo, qui in Synodo Neocaeſarienſi interfuiſſe leguntur *Chorepiſcopi Cappadociae*, a Sozomeno judicati ſunt *Epiſcopi*; dum lib. 6. cap. 4. memorat Prapidium apud *Cappadoces in multis pagis munere Epiſcopali* functum eſſe: Et quid eſt, quod in magna illa Carthagin. Catholicos inter, & Donatiſtas Collatione anno 411. Alipius Tagaſten. Epiſcopus de *Donatiſtis Epiſcopis* cum objiceret, improperaretque: *ſcriptum eſt, omnes iſtos in fundis, vel in Villis eſſe Epiſcopos ordinatos, non in aliquibus Civitatibus:* numeri oſtentandi cauſſa; Petilianus Conſtantien. Donatiſtarum Antiſtes repoſuit: *ſic etiam tu multos habes per omnes agros diſperſos ſane, & crebros ſine populis*: Collat. 1. n. 181. & 182., niſi *Epiſcopos* dicere, qui Chorepiſcopi erant? Nec omittendum eſt, *Caeſarium Civitatis Alcae*, al. *Arcae Chorepiſcopum* inter Epiſcopos Conciliorum Epheſini, & Chalcedonen. ſubſcripſiſſe Act. 1. *Chorepiſcopum* quoque fuiſſe cenſeo *Leonem* illum, quem Gulielmus Malmesburien. lib. 2. de Reg. cap. 10. dicit *Epiſcopum Trevirenſem*; ſed Epiſtola Joannis XV. anno 990. edita apud eum appellat *Leonem vice Epiſcopum S. Trevirenſis Eccleſiae:* nam & Ferrandes Diaconus *Chorepiſcopos* dicit Epiſcoporum *Vicarios*.

XI. Confirmatur hoc ipſo, quod ſemper *Chorepiſcopi* ſuperiores Presbyteris in omnibus monumentis inveniantur, cum eiſdem ſemper praelati referantur; ut in Actis Nicaeni Concilii I. can. 8. de *Catharorum* Epiſcopo ad Eccleſiam Catholicam redeunte legitur ſtatutum, ut Epiſcopus Catholicus *provideret ei aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterii locum; ut in Clero prorſus eſſe videatur*. Similiter *Ancyrana* Synodus can 13. conceſſit *Chorepiſcopis* jus ordinandi Presbyteros, & Diaconos, nec non urbicos Presbyteros cum literis tamen Epiſcopi; & *Neocaeſarienſis* itidem can. 13. non minimum diſcrimen poſuit inter ruris Epiſcopum, & ruris Presbyterum: *Antiochena* vero can. 10., ut viſum eſt n. 8., vel idem, vel amplius quam *Ancyrana* eis tribuit. Sed Chalcedonenſe Concilium can. 2. dicit: *ſi quis Epiſcopus ... propter pecunias ordinaverit Epiſcopum, vel Chorepiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum &c.*, & S. Athanaſius Apol. 2. n. 85. habet: *Mareotes Regio eſt Alexandriae, in qua nunquam Epiſcopus fuit, aut Chorepiſcopus; ſed univerſae illius Regionis*

Eccleſiae Alexandrino parent Epiſcopo. Presbyteri autem ſinguli ſuos habent vicos maximos, qui decem circiter ſunt, immo plures numero: Etiam S. Baſilius M. Epiſt. ad Chorepiſcopos de Eccleſiarum Miniſtris ſcribit: *haec quidem examinabant Presbyteri, & Diaconi, qui cum eis verſabantur: referebant autem ad Chorepiſcopos &c.* Ac ut plures aliorum autoritates praeteream, illud ſolum Synodi Regenſis anno 439. coactae memorabo, quo can. 3. Armentarium *Chorepiſcopum* monet; meminerit ſe agere uti *ſuperiorem Presbyterorum, & inferiorem Epiſcoporum*, nempe Civitatum; uti pagus, & rus Civitate noſcitur inferius: unde Antiochena Synodus can. 8. eis permiſit poſſe dare pacificas Epiſtolas, quod Epiſcoporum eſt.

XII. Hactenus & ratione, & autoritate oſtenſum eſt, *Chorepiſcopos* vere fuiſſe Epiſcopos; reſtat nunc, ut reſpondeatur argumentis, quibus oppoſitum probare conantur contrariae ſententiae defenſores; quorum agmen ducit Sorbonicus Doctor *Witaſſe* Tract. 6. de Sacramento Ordinis par. 2. q. 1. Append. de *Chorepiſcopis*: probatque 1. ex Synodo *Ancyrana*, quae omnium prima (ſi verum eſt, eam anno circiter 314. habitam fuiſſe) *Chorepiſcopos* memoravit, & can. 13. al. 12. de iiſdem ita ſanxit: *Chorepiſcopis non licet Presbyteros, & Diaconos ordinare*: igitur, inquit Witaſſes, *Epiſcopi* non erant illi; cum inauditum ſit, Epiſcopis legitime inſtitutis, nec officio interdictis Presbyteros, & Diaconos ordinare non licuiſſe.

Reſpondetur primum, Autorem hunc parum ſibi conſtare, cum *Epiſcopos* fuiſſe non diffiteatur Prob. 3. eos Chorepiſcopos; de quibus agit *Antiochena* Synodus: quae tamen can. 10. decrevit de eiſdem, ut *Presbyterum, & Diaconum ordinare non* auderent: ſimiliter Prob. 4. *Epiſcopos* dicit eos, de quibus diſponit Leodicena Synodus can. 57., & ex Epiſcopis Chorepiſcopos factos autumat ita, ut *nihil agerent ſine conſenſu Epiſcopi* ex eadem Synodo. Deinde eſt etiam inauditum, *Presbyteros* offerre non poſſe; & tamen id illis ruris vetuit Synodus *Neocaeſarienſis* can. 13. facere in Civitate praeſente Epiſcopo, vel Preſbyteris urbis tanquam in loco alieno. Poſtea ſi inauditum eſt, *Epiſcopis* Civitatum non licere Presbyteros, & Diaconos ordinare; inauditum non eſt, id non licere Epiſcopis ruris, ſive *Chorepiſcopis*; qui ſunt Epiſcopi minores, & Epiſcopis urbium ſubjecti;

ſti; proindeque in aliena Paroecia, atque Dioeceſi: quamobrem uti non licet Epiſcopo vulgo *titulari*, & alicujus Epiſcopi Civitatis *coadiutori* ordinare quemquam ſine permiſſu Epiſcopi; ut ex Concilio Trident. oſtenſum eſt ſupra Cap. IV. n. 13. *de Sacris Ordination.*, ita nec Chorepiſcopo licere poteſt; eapropter Rigboldo *Chorepiſcopo* Rhemen. crimini datum eſt, quod in *Preſbyteram* ordinarit *Gothſcalcum Sueſſonicae Paroeciae Monachum inſcio Civitatis ſuae Epiſcopo* ex Actis Concilii Cariſiacen. I. an. 849.

XIII. Nec eſt, quod dicat, Synodum *Antiochenam* interdixiſſe quidem Chorepiſcopis Presbyteros, & Diaconos ordinare *ſine Epiſcopo Civitatis*; ſed non cum ejuſdem Epiſcopi permiſſu. Nam quid aliud edixit *Ancyrana* Synodus? *Fas non eſt Chorepiſcopos ordinare Presbyteros, vel Diaconos; ſed neque urbis Presbyteros, niſi cum literis ab Epiſcopo permiſſum fuerit, in aliena Parochia*: quam lectionem & textus Graecus, & vulgaris Dionyſii tralatio, Simeon Logotheta, Ariſtenus, Zonaras, Balſamon, & Blaſtares Graeci conſtanter retinent; etſi complures alii, ut corrigerent, eam depravarint. Cujus Canonis ſenſus non is eſt, quem ſibi effinxit Witaſſe, ſed non licere Chorepiſcopis nedum in ſua Paroecia Presbyterum, & Diaconum ordinare, ut habet & Antiochenus Canon; ſed neque vocatis a populo alienae Dioceſis vel ſede vacante, vel Epiſcopo illius Dioeceſis impedito urbis illius *Presbyteros* ordinare, aut etiam urbis ſuae *Presbyteros* ad alienam Paroeciam ſe transferentes, ut ibi ordinarentur, fas non erat ordinandi ſine literis, ac permiſſu *Epiſcopi*. Refert Witaſſes inter varias hujus *Ancyrani* Canonis verſiones & illam, inquit, *Adriani I.* Papae ex *Epitome Canonum*, quam Carolo Magno obtulit anno 774. antiquiſſimae verſioni adhaerentis; quae eſt: *ut Chorepiſcopi Presbyterum, vel Diaconum non ordinent: nec Presbyter aliquid agat in Parochia ſine praecepto Epiſcopi*. Verum illa Canonum *Epitomes* non eſt Adriani PP., ſed alicujus Galli ex integra Canonum Collectione ab eodem Adriano anno ut creditur 787. Carolo M. oblata, deſumta, interpolata, vel potius depravata poſt ſeculum VIII. in odium, ut videtur, Chorepiſcoporum; cum canonem X. Antiochenum his verbis exhibeat: *quod Chorepiſcopi ordines inferiores uſque ad Subdiaconatum dare non poſſunt*: quod prorſus falſum eſt: & Carolus M. anno 789. in Capitul. Aquiſgran. integros Ca-

 nones

nones *Antiochenum*, & *Neocaeſarien.* de Chorepiſcopis Iſidorianae verſionis adduxit. Deinde quoquo modo ſe habeat lectio Canonis Ancyrani; longe praeſtat, potiorque eſt *Antiochenus* illo; haec enim Synodus poſterior eſt, & ex 97. Epiſcopis conflata; *Ancyrana* vero ex ſolis 18. Epiſcopis.

XIV. Probat 2., & quidem efficacius, inquit ille, ex Synodi *Neocaeſarien.* Canone 13. *Presbyteri ruris in Eccleſia Civitatis Epiſcopo praeſente, vel Presbyteris urbis ipſius offerre non poſſunt... Chorepiſcopi quoque ad exemplum quidem, & formam ſeptuaginta videntur eſſe; ut comminiſtri autem propter ſtudium, quod erga pauperes exhibent, honorentur;* al. *offerant honorati:* ſed dum in eo maxime ſiſtit, quod Chorepiſcopi dicantur ad *formam* LXX. diſcipulorum Chriſti fuiſſe, qui Presbyteri extitiſſe creduntur; & in voce *quoque*, quaſi dixerit & ipſos Chorepiſcopos fuiſſe Presbyteros: obſervare eſt, Synodum non affirmare, Chorepiſcopos eſſe, ſed *videri* ad formam ſeptuaginta eſſe; & quid Chryſoſtomus, Hieronymus, Hilarius Diaconus Romanus, Theodoretus, Nicolaus I., aliique plures de Presbyteris, ac LXX. Diſcipulis edixerint. Quantum autem ad vocem *quoque*; uſus eſt Doctor Sorbonicus Dionyſii verſione; ſed Iſidorus, & Hervetus tranſtulerunt *autem*, & forſan verius; cum Graeca lectio habeat δὲ, quae vox Latinis ſonat *autem*, *ſed*, *vero*, *porro &c.* plerumque. Ut ut igitur vertatur; nihil efficacius eruitur ex hujus Synodi Canone pro ea opinione, quod *Chorepiſcopi* non ſint Epiſcopi: praeſertim cum ibi dicantur Epiſcoporum *Comminiſtri*, al. *Conſacerdotes*; & pluſquam Presbyteri honorari praecipiantur. Poſtea *Synodus* ea fuit dumtaxat 17. Epiſcoporum coetus; ideoque videat; an conferri cum *Antiochena* 97. Antiſtitum poſſit, ac debeat.

XV. Probat 3. ex Synodi Antiochenae canone x., qui ita habet: *ii, qui ſunt in vicis, & pagis, vel qui Chorepiſcopi nominantur; etiamſi impoſitionem manuum Epiſcoporum acceperint, placuit S. Synodo, ut ſuum modum ſciant; & ſibi ſubjectas Eccleſias adminiſtrent, earumque cura, & moderamine contenti ſint. Conſtituant autem Lectores, & Subdiaconos, & Exorciſtas; & eorum promotionem ſibi ſufficere exiſtiment: Presbyterum autem, & Diaconum ordinare non audeant ſine Epiſcopo Civitatis, cui ipſe, & pagus ſubjicitur... Chorepiſcopus autem fiat ab Epiſcopo Civitatis,*

cui

cui ſubjicitur: aitque, ex eo duo colligi; & Chorepiſcoporum *duo* fuiſſe genera, quorum alii ut *Epiſcopi* conſecrati erant, alii vero non; & Chorepiſcopum non fuiſſe *verum Epiſcopum*, cum ab uno tantum Epiſcopo conſecraretur; quando verus Epiſcopus a tribus ſaltem Epiſcopis conſecrari deberet ex Nicaeno Concilio.

Reſpondetur utrumque falſum eſſe; *primum* quidem exploſum eſt, & confutatum jam n. 4., praeſertim cum hoc Concilium nonniſi de uno Chorepiſcoporum genere diſponat: ſi duo extabant; quomodo differendum, diſponendumque de alio, quis unquam pertractavit? *alterum* quoque falſum apparet; cum quis ab uno tantum Epiſcopo in Epiſcopum ordinatus *illicite* quidem promotus aſſeratur, ſed non *invalide*; ut multa facta demonſtrant tam in Graeca, quam in Latina Eccleſia: *Nicaenus* enim canon 4. ad diſciplinam pertinet, non autem ad fidem; quapropter aliquando certis de cauſſis nil vetat, quin relaxari queat. Poſtea non de *ruris* Epiſcopo ſancit ille, ſed de Epiſcopo *Civitatis*; qui ſane ordinatione pares erant, impares tamen dignitate; quamobrem antonomaſtice nomine *Epiſcopi* Civitatis Antiſtes ſignificabatur loci cauſſa, ſicut *Archiepiſcopus*, vel Metropolitanus Antiſtes comparate ad alios Epiſcopos ratione loci; ob quem non ordinatione, ſed dignitate, ac juriſdictione major erat; etſi omnes veri Epiſcopi agnoſcerentur.

XVI. Probat 4. ex Laodicena Synodo ex 32. Epiſcopis conſtituta, quae can. 57. edixit; *Non oportet in vicis, & pagis Epiſcopos conſtitui, ſed circuitores: eos autem, qui prius conſtituti fuerunt, nihil agere ſine conſenſu Epiſcopi Civitatis: ſimiliter autem & Presbyteros nihil agere ſine conſenſu Epiſcopi*: putatque loqui Synodum de Epiſcopis *Vicorum* non inſtituendis; de quibus agunt & Sardicenſe Concilium can. 6., & Leo Magnus Epiſt. 87. ad Mauros Epiſcopos; cum verba faciat de *Chorepiſcopis*: annon enim ita habet & Canon Antiochenus proxime commemoratus: *ii, qui ſunt in vicis, & pagis; vel qui Chorepiſcopi nominantur &c.*? idque etiam elicitur ex his, quae eadem Synodus Laodicena ſubjungit: *eos autem, qui prius conſtituti fuerunt, nihil agere ſine conſenſu Epiſcopi Civitatis*: nam ubi reperire eſt, ut Epiſcopi Vicorum, Caſtellorumque ſubeſſent imperio Epiſcoporum urbium? nullibi gentium: cum tamen hujuſcemodi eſſent

in Aſia, Africa, & Europa, immo in Italia quoque *Vicoſabinas*, *Vicobabentinus*, *Vicofeniculenſis*, *Vicoaequenſis &c.* Epiſcopatus multo poſt eam Synodum erecti. Quocirca falſum eſt, Canonem hunc Laodicenum utraque in Eccleſia Graeca ſcilicet, & Latina poſthac firmius obtinuiſſe; ſive de Epiſcopis Vicorum, Caſtellorumque; ſive de Chorepiſcopis ſit ſermo: quemadmodum & falſum eſt, ex eo Canone haberi, Epiſcopos Vicorum factos eſſe *Chorepiſcopos*, ut vult Witaſſe; nam ob quam noxam multati ſunt illi, ut ex Epiſcopis veris, ac liberis, minimeque ſubjectis fierent, ut ipſe communiſcitur, non veri, aliiſque Epiſcopis ſubjecti, atque miniſtri? ſtatuit igitur Laudata Synodus, non oportere *Chorepiſcopos* conſtitui; ſed cum fuerit Synodus Provincialis, ac privata; nonniſi Provinciae ſuae Antiſtites obligabat. Et quum adjecit; eos, qui jam extabant, *Chorepiſcopos nihil agere ſine conſenſu Polepiſcopi*, ſive urbis Epiſcopi; nihil pronunciavit, quod oſtenderet *Chorepiſcopos* non eſſe veros Epiſcopos; ſiquidem etiam illi, qui *titulo tenus* tantum ſunt Epiſcopi, & aliorum adjutores, nihil agere poſſunt ſine conſenſu Epiſcopi, cui opitulantur; & tamen veri ſunt Epiſcopi.

XVII. Probat 5. ex Theodoreti Epiſtolis 113. ad Leonem Papam, & 116. ad Renatum Romanum Presbyterum, quibus mittere ſe ſcribit *Presbyteros Hypatium, & Abramium Chorepiſcopos*: ergo, inquit, omnes *Chorepiſcopi* veri nominis Epiſcopi non erant, ſed tantum vulgo Presbyteri.

Reſpondetur conc. antecedenti nego conſequentiam; & inquiro; ſi *Chorepiſcopi* non erant, quin etiam eſſent Presbyteri; cur Chorepiſcopos dixit *Presbyteros*, ſi ſatis erat dicere *Chorepiſcopos?* errorem igitur exputent interpretis; qui, quoniam *Presbyter* Graece modo dignitatem, & modo aetatem ſignificat, eſtque Latinis *ſenior*; cum *ſeniores* vertere debuiſſet, *Presbyteros* exiſtimavit, conſcripſitque. Praeterquamquod antiquitus *Epiſcopi* quoque urbium praecipuarum leguntur dicti *Presbyteri* a Scriptoribus magni nominis; ſic S. Irenaeus prae caeteris apud Euſebium Hiſt. lib. 5. cap. 24. ad Victorem PP. ſcribens inquit: *Presbyteri ante Soterem, qui Eccleſiae, cui jam tu praees, praeficiebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Teleſphorum, Sixtum &c.*, niſi ibi quoque vertendum fuiſſet *Seniores*, ut & apud alios, quoniam & vetus Metenſium Chronicon ita habet:

bet: *qui ab Apoſtolis ordinabantur Presbyteri, caeteris praeeminebant ut Epiſcopi*. Utcumque ſit; nihil nos urget Theodoreti dictum, & autoritas & ob ea, quae jam ſunt expoſita; & quae ulterius dicenda ſuperſunt.

XVIII. Probat 6. ex Hiſpalenſi II. Synodo a S. Iſidoro circiter anno 619. celebrata, in qua cap. 7. legitur: *Septimo examine relatum eſt nobis, veneratiſſimum quondam Agapium Cordubenſis urbis Epiſcopum frequenter Chorepiſcopos, vel Presbyteros deſtinaſſe* (*qui tamen juxta Canones unum ſunt*) *qui abſente Pontifice Altaria erigerent, Baſilicas conſecrarent: quod quidem non eſt mirum id praecepiſſe virum Eccleſiaſticis diſciplinis ignarum; & ſtatim a ſeculari militia in Sacerdotale miniſterium delegatum:* ergo Chorepiſcopi ſunt meri Presbyteri.

Reſpondetur, primas quidem hujus Synodi editiones ita habere; ſed caſtigatior editio a Loaiſa ad MSS. codicum antiquorum fidem facta, & in ſequentibus Conciliorum collectionibus vulgata neque *Chorepiſcopos*, neque *parentheſim* habet; & profecto recte, ut ut repugnet Witaſſe. Nam Chorepiſcopi aut nunquam in Hiſpania fuerunt, ut verius nonnulli ſcripſerunt; aut non eo quidem tempore: ſiquidem *Martinus Bracarenſis*, qui eodem tempore vixit, ac Agapius Cordubenſis Antiſtes, quique anno 572. Canonum Graecorum Collectionem pro Hiſpanis adornavit, accomodavitque; Canonem Neocaeſarienſem 13. convertens alteram partem, quae de *Chorepiſcopis* agit, praetermiſit non alia de cauſa, quamquod in Hiſpania non erant: inquit enim can. 56. *Foraſticis Presbyteris praeſente Epiſcopo, vel Presbytero Civitatis offerre non licet, nec miniſtrare in populo, niſi forte illis abſentibus*: & S. Iſidorus junior Hiſpalen. Epiſcopus circa ann. 630. Epiſt. ad Leudefridum Cordubenſem Antiſtitem de *Eccleſiaſticis Officiis* conſcripta nullum Chorepiſcoporum verbum habuit, legiturque c. *Perlectis* d. 25. Quod enim idem Iſidorus lib. 2. de *Divinis Officiis* canonem x. Antiochenum de *Chorepiſcopis* produxerit; id egit eo, quod opus illud non tam pro Hiſpanis, quam pro univerſali Eccleſia condiderat: cur in tot, tantiſque Hiſpaniae Conciliis nunquam occurrit *Chorepiſcoporum* nomen; niſi quia eo in Regno nunquam ſunt admiſſi, & nunquam inſtituti? Codices igitur Synodi Hiſpalenſis II. corrupti fuerunt ex commentitia Epiſt. 86. al. 88. Leoni Magno affixa de

Chore-

Chorepiſcopis; quae magna ex parte cum ex hac Synodo, ſeu Synodi cap. 7. conflata fuerit; addiderítque conſictor ea, quae ad *Chorepiſcopos* attinent; inde ab aliquo rerum Eccleſiaſticarum imperito in Acta Synodi intruſa ſunt, & etiam adinventa; ut illa (*qui tamen juxta Canones unum ſunt*): qui nam ſunt hi Canones? nulli prorſus, niſi aliqui Gallorum Conciliorum longe poſt hanc Synodum coactorum.

XIX. Probat 7. ex Epiſtolis *Damaſi*, *Leonis Magni*, *& Joannis III.*, quarum etiam partem duarum exhibet Gratianus c. *Chorepiſcopi*, & c. *Quamvis* d. 68., eaſque etſi ſuppoſititias eſſe non diffitetur Witaſſe; tamen cum prodierint, inquit, *ſeculo* ſaltem VIII., & magnam apud omnes autoritatem obtinuerint; ex eo colligit, eo ſaltem ſeculo, ac deinceps vulgatiſſimam hanc fuiſſe de Chorepiſcopis fidem: cum non ſit credibile, Autorem, qui illas effinxit, aliter de *Chorepiſcopis* docuiſſe, quam communis ferret opinio.

Reſpondetur falſum eſſe, vel ſaltem valde incertum, tres illas Epiſtolas intra ſeculum VIII. eſſe confictas; cum de ipſis eo tempore nemo verba fecerit, & nemo eis uſus fuerit. *Zacharias* enim Papa anno 747. Pippino Majori domus Franciae, Francorumque Antiſtitibus ſcribens Epiſt. 7., qua 27. eorum Capitibus reſpondit, ad illud de *Chorepiſcopis* nil aliud attulit niſi *Neocaeſarienſem*, & *Antiochenum* Canones verſionis Dionyſii Exigui; & *Carolus Magnus* in Capitul. Aquiſgran. anno 789. edito lib. 1. cap. 9. Gallicanis Praeſulibus adduxit canonem 13. *Ancyranum*, & 10. *Antiochenum* integrum verſionis Iſidori Mercat.; qui Canones haud parum Gallorum Conciliis adverſantur. Concilium pariter Pariſien. VI. anno 829. cap. 27. lib. 1. de *Chorepiſcopis* exhibuit Canonem *Neocaeſarien.*, & *Antiochenum* quamvis mutilatum Dionyſianae translationis. Sed & *Nicolaus I.*, ut retuli n. 6. & 7., reſpondens duobus Archiepiſcopis Galliarum Bituricenſi, & Veſuntionenſi de *Chorepiſcopis* Canones tantummodo commemoravit, non ſuorum anteceſſorum Epiſtolas: & *Leo VII.* anno 937. Epiſt. 3. ad Germaniae, Galliarumque Epiſcopos reſcribens ſolum *Antiochenum X.* Canonem produxit. Primum, quod ſciam, trium harum Epiſtolarum mentio occurrit in *Metenſi* Concilio anno 888. convocato, ubi c. 8. dictum eſt, *Chorepiſcopos* eſſe *Presbyteros* juxta decreta *Damaſi*, *Innocentii*, *& Leo-*

& Leonis; & loco *Joannis* dixit Innocentium. Verum eſt, in Capitul. Reg Franc. lib. 7. c. 187. legi, *Leonem III. PP.* reſcripſiſſe, *Chorepiſcopos* non ſemel a *praedeceſſoribus ſuis damnatos* fuiſſe; quibus memoratas Epiſtolas innuiſſe videri poteſt; ſed de hac re num. ſequenti diſſero.

XX. Probat 8. ex communi Sedis Apoſtolicae, nempe *Leonis III.*, & Eccleſiae Gallicanae de *Chorepiſcopis* decreto an. 803. in Ratiſponen. Concilio publicato, ut habetur ex Capitul. Reg. Franc. lib. 7. cap. 187., ubi definitum eſt, *Chorepiſcopos* non eſſe Epiſcopos; nihilque miniſterii Epiſcopalis ab eis peragi potuiſſe; ſed inter *Presbyteros* conſtituendos eſſe, conſtitutoſque fuiſſe; quod & confirmatum fuit in pluribus Conciliis *Pariſienſi VI.* an. 829., *Meldenſi* anno 845., *Pariſienſi* anno 849., & *Metenſi* anno 888.

Reſpondetur, non minimam ſubeſſe rationem ſuſpicandi, eos, qui ad *Chorepiſcopos* deprimendos confixerunt tres Rom. Pontificum Epiſtolas, aliqua quoque *Capitularia* ob eam rationem aut excogitaſſe, aut corrupiſſe: ſunt enim quaedam, quae neque ſapientiae, neque integritati, atque conſtantiae & Romani Pontificis, & Galliarum Epiſcoporum congruere videntur. Vidimus ſuperius n. 2., *Concilium Pariſienſe* vel aliud anno circiter 770. decreviſſe, ne deinceps *Chorepiſcopi* fierent, niſi a tribus Epiſcopis ordinarentur, quotieſcunque munia Epiſcopalia exercere vellent: quo facto novum eſt *Chorepiſcoporum* genus exortum; cui ſimile, vel idem fere eſt, quod hodie dicitur *Titularium*, *Suffraganeorum*, aut *Coadjutorum*: & quidem Agobardus *Chorepiſcopus* Lugdunenſis a tribus ordinatus Epiſcopis aſſeritur apud Adonem ad annum 814., quod ſi ita fuit: cur igitur dubitare de eorundem Chorepiſcoporum Eccleſiaſticis actionibus, ut neceſſe fuerit legare Romam ad Summum Pontificem *Arnonem* Salisburgen. Archiepiſcopum pro rei definitione? & quo pacto Pontifex reſpondere potuit; quicquid a *Chorepiſcopis* actum fuerat *de Epiſcopali miniſterio*, nihil eſſe; ſed omnia *a canonice ordinatis Epiſcopis* iteranda eſſe, ac reformanda; *nam Epiſcopi non erant;* inquit, ſi a tribus fuerant Epiſcopis ordinati?

XXI Sed demus, quoſdam, vel omnes ad antiquum *Chorepiſcoporum* genus rediiſſe, eorum ſcilicet qui ab uno tantum Epiſcopo ordinabantur: qua ratione in dicto Capitulari Carolus Magnus dixit, ſe ob Chorepiſcoporum quaeſtionem miſiſſe

Ro-

Romam *Arnonem* Archiepiſcopum ad Leonem Papam, *qui* (Arno) *nobis*, *& ſcriptis ab eo* (Leone III.) *renuncians haec non eſſe neceſſe iterare, vel definire, quia ſaepiſſime a ſuis praedeceſſoribus, & a multis SS. Epiſcopis, atque ſynodalibus ſanctionibus eos eſſe prohibitos, atque damnatos; & ideo non eſt neceſſe ventilare, ſed definita tenere. Dixit enim nullum fore Presbyterum, vel Diaconum, aut Subdiaconum ab eis ordinatum; nec Eccleſiam ab eis dedicatam; nec Virginem conſecratam; nec quemquam confirmatum &c.?* quinam ſunt hi Leonis III. *praedeceſſores*; qui *SS. Epiſcopi*; & quae *Synodales* ſanctiones, quae *ſaepiſſime* Chorepiſcopos prohibuerint, atque damnaverint? tres tantum ſuppoſititiae, & ſupra memoratae leguntur Epiſtolae *Damaſi*, *Leonis M.* *& Joannis III.* ne ab ipſis quidem Gallis in tot eorum contra Chorepiſcopos determinationibus unquam adductae niſi an. 888. in Metenſi Concilio. Qua veritate *Leo III.* vir & ſapientia, & integritate magnus quivit affirmare, *ſaepiſſime* Chorepiſcopos a ſuis praedeceſſoribus eſſe prohibitos, & damnatos; ſi Papa Zacharias paucis ante eum annis ad Gallos ſcribens attulit, confirmavitque x. Canonem *Antiochenum*, qui nedum Chorepiſcopos probat, ſed & illis ordinationem permittit *ſacrorum* etiam *Ordinum*; modo Civitatis Epiſcopus admitteret: attulit inſuper, confirmavitque XIII. Canonem *Neocaeſarienſem*; qui jubet Chorepiſcopos *honorari*? ſi, ut dixi n. 19., ipſe Carolus Magnus anno 789. Aquiſgran. in Capitular. obtulit Antiſtitibus Galliarum integros Canones *Aucyranum*, & *Antiochenum* de Chorepiſcopis obſervandos? & erit, qui credat, ad ann. 803. vere potuiſſe dici a Rom. Pontifice, *ſaepiſſime a ſuis praedeceſſoribus, & a multis SS. Patribus, atque Synodalibus ſanctionibus Chorepiſcopos eſſe prohibitos, atque damnatos?* non ego ſane: *credat Judaeus apella*, aut ſoli Chorepiſcoporum oſores.

XXII. Ulterius in eo Capitulari refertur, dixiſſe Leonem III., *nullum fore Presbyterum, vel Diaconum, aut Subdiaconum* a Chorepiſcopis *ordinatum; nec Virginem conſecratam, nec quemquam confirmatum*. Sed Synodus Ancyrana, & Antiochena tantummodo Presbyteros, & Diaconos ordinare *ſine conſenſu Epiſcopi* Civitatis prohibet Chorepiſcopis, non omnino, non *Subdiaconos*; quos etiam *Presbyteris* aſſentiente Pontifice ordinare conceſſit Gelaſius I. Epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniae &c., validamque

que eam ordinationem fore etiam inconſulto Pontifice ſenſit Alexandr. III. c. *Requiſivit* de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcop. *Virgines conſecrare*, & *Neophytum confirmare* Regenſis in Gallia Synodus anno 439. permiſit Armentario *Chorepiſcopo*: & Stephanus II. anno 757. in Privilegio Fulrado *Abbati* S. Dionyſii Pariſien. conceſſo facultatem *Tabulas*, *& Chriſma conſecrandi* attribuit; eſt autem *Tabula* lapis in medio Altaris, ſuper quo ſacrum celebratur; ut habetur ex Capitulis Rhemen. Archiep. Hincmari: & ut omittam vetera alia de hac re decreta; veriſimile quidem eſt, eos *Chorepiſcopos* omnia, quae ad munus Epiſcopale peragebant, cum ſuorum Epiſcoporum aſſenſu feciſſe; non igitur nulla, neque iteranda erant; & ſi quoque ſine conſenſu Epiſcoporum egiſſent; *illicite* facta, ſed non *invalide* cenſeri poterant; proptereaquod ſive ab uno, ſive a tribus conſecrati fuiſſent Epiſcopis, *Epiſcopalem* obtinuerant conſecrationem; ideoque vere *Epiſcopi* erant.

Utique Iuenin in Comment. de Sacram. diſſert. 8. q. 6. de *Subdiaconatu* cap. 3. ſentit, Leonem III. a Gallicis Antiſtitibus conſultum reſpondiſſe, locutumque eſſe de ordinationibus a Chorepiſcopis praeter Epiſcoporum, quibus ſubjecti erant, conſenſum factis; non autem de iis, quas de eorundem nutu, ac conceſſione celebrarant; ſed non probat. Adeone bardi Galli, rerumque Eccleſiaſticarum ignari, ut in re tam aperta Pontificio conſulto indigerent? quis enim neſcit, ſine conſenſu Epiſcopi illicitas eſſe ordinationes ejus in Dioeceſi? Poſtea dixiſſet ne Pontifex nullas eſſe eas ordinationes, ac iterandas? Sic & quum ibi dictum eſt, eos *Epiſcopos* non fuiſſe, *quia nec ad aliquam Epiſcopalem Cathedram ordinati fuerant*, refellitur ex Innocentio III. c. *Inter corporalia* tit. de translat. Epiſcopi, qui ait: *cum quis Epiſcopali praeditus dignitate nullius tamen Eccleſiae poſſit eſſe Epiſcopus*. Et S. Gregorius VII. Epiſt. 73. lib. 2. ad Boleslaum Poloniae Ducem ſcribit: *Illud nobis primo attendendum eſt, quod Epiſcopi terrae veſtrae non habentes certum Metropolitanae ſedis locum, nec ſub aliquo poſiti magiſterio huc, & illuc pro ſua quiſque ordinatione vagantes ultra regulas, & decreta SS. Patrum liberi ſunt, & abſoluti*: de qua re dictum eſt Cap. IV. n. 14. & ſeqq., aliquando fuiſſe *illicitum* tantummodo; & aliquando etiam *invalidum* juxta variam Eccleſiarum diſciplinam.

XXIII.

XXIII. Tandem lib. 6. cap. 119 eorundem Capitul. legitur: *Placuit, ne Chorepiſcopi a quibuſdam deinceps fiant, quoniam hactenus a neſcientibus SS. Patrum, & maxime Apoſtolicorum decreta; ſuiſque quietibus, ac delectationibus inhaerentes facti ſunt*: & lib. 7. cap. 187. tit. 4. c. 1. refertur Leonem III. juſſiſſe eos in exilium amandari, ſed miſericordiae intuitu inter *Presbyteros* collatos fuiſſe: & tamen Concilium *Pariſien. VI.* anno 829. lib. 1. cap. 27. agit de ipſis; affertque Canonem Neocaeſarien., & Antiochenum mutilatum, ac ſine Ordinationum poteſtate: Concilium *Meldenſe* anno 845. cap. 44. concedit illis *Ordines minores* uſque ad *Subdiaconatum* conferre, ſed jubente Epiſcopo: & *Pariſienſe* Concilium anno 849. nihil quidem memorat de *Chorepiſcopis* in Concil. Collectionibus; attamen in eo *non ſolum Audradus Modicus* Senonen. Archiepiſcopi *Chorepiſcopus, ſed & omnes alii Chorepiſcopi, qui etiam in Francia erant, in eodem Concilio depoſiti ſunt*: inquit Chronicon Alberici Triumfontium. Memorat eoſdem & Concilium *Aquiſgranen.* anno 836., & anno 837. Agobardus Lugdunen. Archiepiſcopus *dedicationem* Eccleſiae SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli Sentonaten. in agro Viennen. permiſit, ſive demandavit *Audino* ſuo *Chorepiſcopo*, ut refert Mabillon. lib. 31. Annal. Benedict. n. 72. *Metenſe* demum Concilium anno 888. coercuit hos Chorepiſcopos, edixitque *Presbyteros* eſſe juxta *decreta Damaſi, Innocentii* (leg. Joannis), *& Leonis*. Quorum Conciliorum nemo mentionem fecit *Ratiſponen.* Concilii, ejuſque in Chorepiſcopos decreti; ſed primus, vel unus, qui retulit, partemque illius exſcripſit, fuit *Iſaac* Lingonen. Epiſcopus, qui anno 870. ſedebat, in ſuis Capitulis: Certe nec Nicolaus I., nec Leo VII. ſupra n. 6. & 7. relati illud recitarunt; nec alterum Leonis III., aut alicujus ex ſuis praedeceſſoribus. Poſtremo *Durandus* Aymonis Bituricen. Archiepiſcopi *Chorepiſcopus* anno 1040. legitur interfuiſſe Bituricen. Synodo; ut habet Mabillonius lib. 58. Annal. Benedict. n. 24., qui & n. 25. obſervat ex literis praedicti Aymonis, & Widonis Archiepiſcopi Rhemen. intelligi eouſque in Gallia extitiſſe, ac perduraſſe *Chorepiſcopos*, quos poſtea *Lanfrancus* Cantuarien. Antiſtes in Anglia penitus ſuppreſſerit; quibus nihilominus paulopoſt ſucceſſere *titulares* Epiſcopi. Sed in Hibernia extaſſe adhuc anno 1152. teſtatur Simon Epiſc. Midenſis in ſuis

Con-

Conſtitutionibus an. 1216. editis, & in nupera Conciliorum Angl. & Hiber. collectione a Dan. Wilkius evulgatis to. 1., in quibus refert, eo anno a Jo: Paparone S. R. E. Card. in Hibernia Legato conſtitutum; *ut decedentibus Chorepiſcopis, & exiliorum Sedium Epiſcopis in Hibernia in eorum locum eligerentur, & ſuccederent Archipresbyteri a Dioceſanis conſtituendi*.

XXIV. Probat 9. Witaſſes Chorepiſcopos eſſe *Presbyteros*, non autem *Epiſcopos* autoritate *Canonum Arabicorum*; quorum 54. al. 58. Canon deſcribit electionem, & conſecrationem *Chorepiſcoporum* longe diverſam ab illa Epiſcoporum: canon 57. primum locum tribuit Archidiacono, 2. Chorepiſcopo, 3. Archipresbytero: can. 58. & 65. *Chorepiſcopus*, & Archidiaconus dicuntur duae manus, & duae alae Epiſcopi, nec non filii Epiſcopi; & can. 60. tradit *Chorepiſcopum*, & Archidiaconum examinare ordinandos, eoſque ad Epiſcopum adducere, qui Ordines illis conferat.

Reſpondetur primum, horum Canonum autoritatem, etſi apud Orientales adhibeatur, a Latinis, & Occidentalibus populis floccifieri: deinde ſi ita res ſe haberet, ut illi habent, & ut interpretantur; etiam *Archipresbyter* non eſſet verus Presbyter, cum illum ibi *Archidiaconus* praecedat: & can. 58. habet, *Epiſcopum* non poſſe in pagis, & Oppidis conſtituere Sacerdotem, vel Monachum niſi praeſente *Chorepiſcopo*: cap. vero 1. de *Templorum conſecratione* aſſeritur, ſolum Epiſcopum, & Chorepiſcopum jus conſecrandorum Templorum habere, non autem inferiores gradu. Quae plane Gallicani Praeſules nunquam admiſerunt, nec admiſuros exiſtimo; tantum abeſt a vero, eos Canones Arabicos recepturos; quare non eſt, cur laborem refutare ea, quae aut nullius momenti ſunt, aut nullius autoritatis.

XXV. Probat denique ultimo ex ipſa *Chorepiſcoporum* conſecratione, quam ex libro rituum Maronitarum accepit; ubi legitur *Chorepiſcopi* conſecratio inter eam Archipresbyteri, & eam Epiſcopi collocata, atque inſcripta: igitur, inquit, Chorepiſcopus non eſt Epiſcopus.

Reſpondetur, cum eo in libro legantur etiam conſecrationes Diaconi, & *Archidiaconi*, Presbyteri, & *Archipresbyteri*, Epiſcopi, & Archiepiſcopi, ſive *Patriarchae*, neminem non intelligere ibi potius officia, ac dignitates diverſas Eccleſiaſticas deſcri-

ſcribi, quam Ordinationes, ſeu conſecrationes; nec inde poſſe duci, Archidiaconum non eſſe Diaconum, & Archipresbyterum non eſſe Presbyterum, Patriarchamque non Epiſcopum; ſed diverſas eſſe dignitates; uti & *Chorepiſcopum*; qui ita ſe ad Epiſcopum habet, ut Epiſcopus ad Patriarcham: quinimmo cum ſupra Archipresbyterum recenſeatur; praeſefert potius Epiſcopis, quam Presbyteris accenſeri: praeterquamquod parum ille liber diſtare videtur ab *Arabicis Canonibus*; atque adeo & ab eorundem autoritate parum.

Et haec ſunt, quae de *Chorepiſcopis* mihi dicenda fuerunt; quorum quidam, quoniam autoritatis plus ſibi arrogaſſe poſſunt; ut inconſultis urbium Epiſcopis Epiſcopale munus exercerent; jure, ac merito a Galliarum Antiſtitibus ſunt caſtigati; quia tamen indiſcriminatim omnes in crimen vocati fuerunt; dicti non Epiſcopi, ſed *Presbyteri*, ob idque ſolum eorum Ordinationes, atque conſecrationes aut irritae judicatae, aut iteratae non ſemel; propterea a Nicolao I. & Gallorum nonnulli reprehenſi ſunt, & Chorepiſcopi *innocentes* declarati.

QUAESTIO II.

De Diaconis.

I. INter complura, atque diverſa, quae de *Diaconis* inquiri, & agitari conſueverunt; illud etiam eſt, quod in quaeſtionem venit: an illi aliquando ſibi Corporis, Sanguiniſque Chriſti conficiendi, conſecrandique poteſtatem arrogaverint: & hujus inquirendi cauſſam praebuit canon xv. Concilii Arelatenſis I. illis verbis: *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere*: quae tametſi quidam de licentia, quam ſibi Diaconi vindicabant, ſacrificandi more Sacerdotum, ac panem, & vinum Altaris conſecrandi interpretantur; quamplures tamen, quos inter nuperus Autor Honoratus Tournely Doctor Sorbonicus, Scriptorque perilluſtris, oppoſitum defendere conantur; & Diacones non ſacrum feciſſe, Deoque hoſtiam incruentam obtuliſſe uti Sacerdotes; ſed obtuliſſe, ſive diſpenſaſſe Corpus, & Sangui-

nem

Digitized by Google

nem Chriſti ſine Presbyterorum, Sacerdotumque conſcientia, Patres Arelatenſes indicare contendunt. Contra quos mihi probandum ſumam, Canonis memorati verba de Diaconis conſecrantibus, non diſpenſantibus eſſe intelligenda.

II. Et primum ex ipſius Canonis verbo *offerre* demonſtrari poteſt: quoniam etſi plura, variaque ſignificata verbum hoc obtinere noſcatur: tamen a SS. Patribus, & Conciliis potiſſimum, quoties de re ſacra ſermo habetur; accipi ſemper ſolet pro actu conſecrandi corporis Chriſti, praecipuoque Sacerdotum munere; praeſertim tum quidem, quum ſine adjectu pronunciari contingit. Quocirca Tertullianus lib. de velandis Virginibus cap. 9. dixit: *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui; ſed nec docere; nec tingere; nec offerre; nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii ſortem vendicare:* & S. Cyprianus Epiſt. 9. Martyribus, & Confeſſoribus ſcripta conqueritur: *ante actam poenitentiam, ante exomologeſim ... offerre pro illis* (lapſis), *& Euchariſtiam dare ... audeant Presbyteri:* in alia vero ipſis Presbyteris, & Diaconis tranſmiſſa inquit: *communicent cum lapſis, & offerant, & Euchariſtiam tradant ... interim prohibeantur offerre acturi apud nos Presbyteri &c.*, & in 11. Fratribus in plebe conſiſtentibus ſcribit: *audio quoſdam tamen de Presbyteris ... jam cum lapſis communicare coepiſſe, offerre pro illis, & Euchariſtiam dare:* Epiſt. etiam 63. ad Caecilium de Sacramento Dominici calicis ait: *ut Calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur:* crebroque ibi ſumit *offerre* pro ſacrificandi, conſecrandique Chriſti corporis actu.

III. Sed omnium apertius Nicaenum Concilium I. edocet, dum can. XVIII. haec habet: *Pervenit ... quod Diaconi dant Presbyteris Euchariſtiam; quod nec canon, nec conſuetudo tradidit; ut qui offerendi poteſtatem non habent, iis, qui offerunt, dent corpus Chriſti:* Ancyrana vero Synodus, quae paulo ante creditur celebrata, can. 1. de Presbyteris lapſis ita conſtituit: *viſum eſt, eos Cathedrae quidem honoris eſſe participes, non licere autem ipſis offerre; ſeu ſermonem conferre:* & can. 2. de ſimilibus Diaconis hoc modo: *honorem quidem habeant; ceſſare vero ab omni ſacro miniſterio, ſive a pane, ſive a calice offerendo:* ubi primum ſine adjectione ponitur *offerre:* ſecundum autem cum adjectu *panis*, vel *calicis*; quia non ſacrificare, ſed diſtribuere, ac miniſtrare ſigni-

ficat: ita & S. Cyprianus Tract. de lapſis ait, *Diaconum calicem praeſentibus offerre*. Similiter Neocaeſarienſe Concilium can. 12. al. 13. ſanxit: *Vicani autem Presbyteri non poſſunt in Dominico offerre praeſente Epiſcopo, vel urbis Presbyteris; neque panem dare precationis, neque calicem ... Chorepiſcopi autem ... offerant honorati* juxta Graecam lectionem, & Herveti verſionem: & S. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 14. ſcribit de Sacramento Altaris: *neque poteſt id rite offerri niſi per Sacerdotem juſtum, & ſanctum: nec niſi ab eis accipiatur, quod offertur, pro quibus offertur; atque id ſine vitio ſit, ut pro vitioſis mundandis poſſit offerri*. Epiſt. vero 118. Januario ſcripta c. 2. habet: *alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur: alibi Sabbato tantum, & Dominico; alibi tantum Dominico*: & non multo poſt: *ſi vero etiam in aliqua patria, cum peregrinaretur ... vidit verbi gratia bis offerri quinta Sabbati hebdomadae ultimae quadrageſimae & mane, & ad veſperam &c.* Quae dicta, quandoquidem plura etiam adduci poſſent, abunde oſtendunt, verbum *offerre* pro re ſacra facienda accipi conſueviſſe: igitur & Patres Arelatenſes idipſum in hoc ſenſu uſurpaſſe cenſendum eſt.

IV. Etenim ſi Canonis Arelatenſis *offerre* ſignificaret adminiſtrare, ac aliis diſpenſare; quo pacto illius Concilii Patres id Diaconibus prohibuiſſent; ſi iſtud tunc erat eorum munus, & officium? quia, reſpondebunt, id ſine *Presbyterorum* permiſſu perficiebant. At id canon non perhibet; & quod ille non exponit, temere, & inconſulto effari dicam. Dicent fortaſſis, hoc ipſum elici perſpicue ex ejuſdem Concilii Arelat. can. XVIII. *De Diaconibus Urbicis ut non ſibi tantum praeſumant; ſed honorem Presbyteris reſervent; ut ſine conſcientia ipſorum nihil tale faciant*: Quid enim ajunt, ſibi praeſumebant *Diacones*, niſi quod canon XV. dicit *offerre* nimirum ſine licentia *Presbyterorum*? quod ſi canone XVIII. vetatur illis id agere *ſine conſcientia* Presbyterorum; igitur id poterant iiſdem conſciis: ſi autem poterant, non quidem conſecrare corpus Dominicum; igitur canonis Arelat. ſenſus eſt, eos dare, ac diſpenſare potuiſſe panem, & calicem ſanctificatum plebi. Verum *Canonem* XVIII. non appellare *Canonem* XV. facile demonſtrari poteſt; nam iſte de *Diaconibus* generatim agit; ille vero de *Urbicis* tantummodo Diaconibus; nec veriſimile apparet, voluiſſe Patres Arelatenſes, ut illud *nihil tale* canonis XVIII.

refer-

referretur ad verbum *offerre* canonis xv., & nihil attuliſſe, quo id innoteſceret; & poſt plures canones iterum decernere de eadem re, de qua ſtatuere uno canone poterant; quin quod ſi xv. canon generalis eſt, ideoque pro omnibus Diaconibus; cur poſtea pro Diaconibus *Urbicis* alium condere canonem neceſſe erat?

V. Quapropter Canon xviii. Arelatenſis diſſerit de ſolis *Diaconibus Urbicis* videlicet *Romanis*, ut fere omnes interpretantur; de quibus S. Hieronymus Epiſt. 85. ad Evagrium ſcribit: *caeterum etiam in Eccleſia Romae Presbyteri ſedent, & ſtant Diaconi: licet paulatim increbreſcentibus vitiis inter Presbyteros abſente Epiſcopo ſedere Diaconum viderim; & in Domeſticis conviviis benedictiones Presbyteris dare. Diſcant, qui hoc faciunt, non ſe recte facere*: & in cap. 48. Ezechielis de iiſdem: *ignorant humilitatem ſtatus ſui; ultra Sacerdotes hoc eſt Presbyteros intumeſcunt; & dignitatem non merito, ſed divitiis aeſtimant. Certe qui primus fuerit Miniſtrorum* (ideſt Archidiaconus), *quia per ſingula concionatur; & a Pontificis latere non recedit, iniuriam putat, ſi Presbyter ordinetur*. Autor vero perantiquus Quaeſtionum ex utroque Teſtam. mixt. inter Opera S. Auguſtini q. 101., cui titulus: *Quomodo contra Levitas Romanos diſceptandum ſit*, qui contendunt Levitas Sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris coaequare: inquit: *quamquam Romanae Eccleſiae Diaconi modice inverecundiores videantur, ſedendi tamen dignitatem in Eccleſia non praeſumunt... nunc enim videmus Diaconos temere, quod Sacerdotum eſt, agere per convivia; & in oratione id velle, quod reſpondeatur illis: cum iſtud ſolis liceat Sacerdotibus*: & alia, quae in hanc rem ibi congerit; & quae videri poſſunt apud Baronium ad ann. 402. n. 44. & ſeqq., & Lupum in notis ad Con. Nicaeni canonem xviii., & can. 1. Con. Turonenſis, etſi cenſeri poſſit, id non *Romanorum* Diaconorum dumtaxat vitium fuiſſe, ſed etiam aliarum urbium, locorumque Diaconorum.

VI. Siquidem in memorato Nicaeni Concilii canone xviii. legimus: *Pervenit... ſed etiam hoc quoque innotuit, quod quidam Diaconi ante Epiſcopos contingant Euchariſtiam. Omnia igitur haec amputentur; & maneant Diaconi in proprio Ordine... ſed nec ſedere eis in medio Presbyterorum liceat*: & Laodicenum Concilium, quod aliquot poſt annis congregatum eſt, can xx. edixit: *quod non oportet Diaconum coram Presbytero ſedere; ſed juſſione*

Presbyteri ſedeat &c., cui conſonat Carthaginienſe IV. can. 39. *Diaconus ſedeat quolibet loco jubente Presbytero:* & Carthaginienſe VI. can. 18., nec non Andagavenſe I. can. 3. ſanxerunt: *Ut Diaconi Presbyeris omni humilitate noverint deferendum eſſe*. Gelaſius I. Pontifex. Rom. Epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniae &c. n. 8. Diaconis non permittit *in Presbyterio reſidere; cum Divina celebrantur, vel Eccleſiaſticus habetur quicunque tractatus. Sacri corporis praerogationem ſub conſpectu Pontificis, ſeu Presbyteri, niſi his abſentibus jus non habeant exercendi:* ſimiliter Arelatenſe II. Concilium can. 15. habet: *In ſecretario Diacono inter Presbyteros ſedere non liceat; vel corpus Chriſti praeſente Presbytero tradere non praeſumat*: Barcinonenſe vero anno 540. coactum ita can. 4. ſtatuit: *ut Diaconus in conceſſu Presbyteri nullatenus ſedeat*: & Toletanum IV. anno 633. can. 38. haec dixit: *Nonnulli Diaconi in tantam erumpunt ſuperbiam; ut ſe ſe Presbyteris anteponant, atque in primo Choro ipſi priores ſtare praeſumant, Presbyteris in ſecundo Choro conſtitutis*: Tandem magna Synodus Trullana anno 692. can. VII. decretum tale condidit: *Quoniam in nonnullis Eccleſiis Diaconos officia Eccleſiaſtica habere didicimus: & ex hoc nonnullos eorum arrogantia, & licentia fretos ante Preſbyteros ſedere: ſtatuimus, ut Diaconus, etiam ſi in dignitate ideſt in quovis ſit officio Ecclesiaſtico, ante Presbyterum ne ſedeat; praeterquam ſi proprii Patriarchae, vel Metropolitani vicem gerens adſit in alia Civitate ſuper aliquo capite &c.*

VII. Sed quod ad XV. Canonem Arelatenſem, de quo diſſeritur, ejuſque intelligentiam attinet; Diaconos olim etiam officium conſecrandi corporis Chriſti in Altari more Sacerdotum ſibi arrogaſſe, colligi videtur pluribus ex locis; ac potiſſimum ex Epiſt. 9. Gelaſii I. ad Lucaniae &c. Epiſcopos n. 7., ubi Pontifex ſic loquitur: *Diaconos propriam conſtituimus ſervare menſuram; nec ultra tenorem paternis Canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus: Nihil eorum ſuo miniſterio penitus applicare, quae primis Ordinibus proprie decernit antiquitas: abſque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare non audeant; niſi ..: extrema neceſſitas compellat*: quo loco Gloſſa pro *primis ordinibus* interpretatur & quidem recte *Epiſcopatum, & Presbyteratum*: erat autem primorum Ordinum munus ſacrum facere; quod eſt *offerre* Deo immaculatam hoſtiam: igitur hoc ſuo Diacones miniſterio

ſterio

Digitized by Google

ſterio applicare tentarunt; vel certe potuerunt. Nam & antea Concilium Toletanum I. anno 400. can. xx. *ſtatutum eſt*, inquit, *Diaconum non chriſmare. ſed Presbyterum abſente Epiſcopo; praeſente vero non, niſi ab ipſo fuerit praeceptum*: cur enim id cavetur; niſi quia Diaconi non ſolum *baptizare*, ſed etiam *chriſmare*, ſeu confirmare baptizatos uſurparant in Hiſpania: certe eodem tempore S. Innocentius I. Epiſt. 1. ad Decentium Eugub. Epiſcopum n. 6. percontantem *de Energumenis baptizatis, ſi a Presbytero, vel Diacono poſſint, aut debeant confirmari*: reſpondit: *quod hoc nonniſi Epiſcopis praecipere non licet*.

VIII. Inſuper ſi *Presbyteri* ea, quae Epiſcoporum ſunt, multoties olim ſibi aſſumſiſſe leguntur; cur non & ea, quae muneris ſunt Presbyterorum, *Diaconi* ſibi attribuiſſe quiverunt? Concilium namque Carthagin. II. can. 3. habet: *Chriſmatis confectio, & Puellarum conſecratio a Presbyteris non fiat: vel reconciliare quemquam in publica Miſſa Presbytero non licere*: & Carthaginienſe III. can. 36. *Presbyter inconſulto Epiſcopo Virgines non conſecret: Chriſma vero nunquam conficiat*. Toletanum vero I. proxime relatum can. xx. ait: *Quamvis pene ubique cuſtodiatur, ut absque Epiſcopo Chriſma nemo conficiat: tamen quia in aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chriſma conficere; placuit ex hac die nullum alium niſi Epiſcopum Chriſma facere*. Gelaſius I. itidem Epiſt. 9. ad Lucaniae &c. Epiſcopos n. 6. ſcribit: *Presbyteros ultra ſuum modum tendere prohibemus; nec Epiſcopali faſtigio debita ſibimet audacter aſſumere, non conficiendi Chriſmatis, non consignationis Pontificalis adhibendae ſibimet accipere facultatem*: ut omittam canonem 5. Concilii II. Romani S. Sylveſtro Papae affixum: *ut nemo Presbyter Chriſma conficiat*: utpote fictitium; quandoquidem & vera, & certa hac de re monumenta non deſunt.

IX. Anno quippe 531. circiter Palaeſtinae Dioeceſis Presbyteros vacante ea Eccleſia Paſtore *Chriſmatis* conficiendi ſibi arrogaſſe licentiam elucet ex literis Montani Epiſcopi Toletani poſt Concilium Toletanum II. evulgatis: legimuſque in Bracarenſi Synodo II. anno 563. convocata can. 19. *Placuit, ſi quis Preſbyter poſthac interdictum auſus fuerit Chriſma benedicere; aut Eccleſiam, aut Altarium conſecrare, a ſuo officio deponatur: nam & antiqui hoc Canones vetuerunt*: & c. *Nullus Presbyter* diſt. 1. de

Conſecrat. habetur: *Nullus Presbyter in Eccleſia conſecrata aliud Altare erigat, niſi quod ab Epiſcopo loci ſanctificatum eſt, vel permiſſum: ut ſit diſcretio inter ſacrum, & non ſacrum*. Sed & poſt tot Canones, & Rom. Pontificum decreta nihilotamen ſecius oportuit, Innocentium III. Epiſt. 22. lib. 11. *Priori Piſanorum* Conſtantinopoli commoranti directa exprobrare, ſimulque revocare collatum ab illo *Chriſma;* quod diceret jus eſſe tantummodo Epiſcoporum: uti & c. *Quanto* tit. de Conſuetud., ubi Presbyteris id prohibetur; diciturque ab illis non licere conferri niſi *inaniter*, & *cum umbra*, non autem *in effectu*. Et poſt eum Gregorius IX. c. *Aqua per Epiſcopum* de Conſecrat. Eccleſiarum increpavit Provinciae Bracarenſis *Presbyteros*, quod Aras, Altariaque conſecraſſent; cum id Ordinis Epiſcopalis eſse; atque ideo Presbyteris committi non poſse Pontifex aſsereret. Si, inquam, haec, quae Epiſcoporum ſunt, ſibi aliquando uſurpabant *Presbyteri;* cur non & quae Presbyterorum eſſe noſcuntur, ſibi arrogare potuerunt *Diaconi?*

X. Amplius ſi *Foeminae* ipſae non ſemel deprehenſae ſunt attentaſſe, & aſſumſiſſe munia nonnulla, quae Sacerdotum ſunt; quanto magis id factitatum a Diaconibus veriſimile putari poteſt? Etenim in Capitul. Aquiſgran. an 789. condito n. 76. invenitur: *Auditum eſt, aliquas Abbatiſſas contra morem Sanctae Dei Eccleſiae benedictiones cum manus impoſitione, & ſignaculo S Crucis ſuper capita virorum dare; nec non velare Virgines cum benedictione Sacerdotali, quod omnino a vobis SS. Patres in veſtris Parochiis illis interdicendum eſſe ſcitote:* & in Pariſienſi IV. Concilio anno 829. lib. 1. cap. 43. ſcriptum fuit: *Statuimus, ut ſi Abbatiſſa, aut quaelibet Sanctimonialis poſt hanc definitionem in tantam audaciam proruperit; ut aut viduam, aut puellam virginem velare praeſumat; judicio canonico uſque ad ſatisfactionem ſubdatur:* referturque etiam c. *Statuimus* 20. q. 3., ſed perperam ex Eutychiano Papa. Quinimmo ſub initium ſeculi XIII. nonnequaedam *Abbatiſſae* ſibi jus benedicendarum Monialium; & ad illas habendi *conciones;* earumque inſuper *Confeſſiones* Sacramentales excipiendi arrogarunt; ut c. *Nova quaedam* de Poenit., & Remiſs. Innocentius III. & ſcribit, & objurgat? Quod ſi ſacrarum Virginum *Maxima*, quae nullum Eccleſiaſticum Ordinem obtinet, tantum ſibi convenire poſſe exiſtimavit; eo magis *Diaco-*

conus, qui ſacro Ordine inſignitur. Et quidem eodem fere tempore non defuit ex Diaconis unus, qui ſacrum facere, & Sacramentum *Eucbariſtiae* conficere non dubitavit, ob id acriter increpitus ab Urbano III. c. *Ex literis* de non ordinato miniſtrante.

XI. Quod factum prope finem ſeculi XII. patratum valde credibile reddit, id magis accidiſſe ſub initium IV. Eccleſiae ſeculi, quo nondum diſciplina Eccleſiaſtica ubicunque ſatis firmata fuerat, & nondum tot inhibitiones, ac in contrarium decreta, Canoneſque praeceſſerant tum maxime, quum Diaconibus Eccleſiae commendabantur adminiſtrandae cum jure *baptizandi*, ac interdum etiam quippiam circa *ſacras confeſſiones*; ut ex Epiſt. 13. lib. 3. S. Cypriani Presbyteris, Diaconiſque ſcribentis: *non expectent praeſentiam noſtram, quin apud Presbyterum quencunque praeſentem; vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus coeperit, apud Diaconum quoque exomologeſin facere delicti ſui poſſint; ut manu eis in poenitentiam impoſita veniant ad Dominum in pace*: quibus Sacramentum Poenitentiae ſolent aſtruere, & probare Theologi. Certe in *Synodo Romanorum*, reſcriptoque ad Gallos Epiſcopos, quod a Sirmondo conjicitur eſſe *Innocentii I.*, & ob id in Concil. Collection. legitur poſt ejuſdem Pontificis Epiſtolas hoc titulo, *Canones Romanorum &c.*, can. 7. extat: *Paſchae tempore Presbyter, & Diaconus per Parochias dare remiſſionem peccatorum, & miniſterium implere conſueverunt etiam praeſente Epiſcopo: in fontem quoque ipſi deſcendunt: illi in officio ſunt: ſed illius nomen* (al. *ſed Epiſcopi nomini*) *facti ſumma conceditur. Reliquis vero temporibus, ubi aegritudinis neceſſitas conſequi unumquemque compellit; ſpecialiter Presbytero licentia eſt... Diaconis vero nulla licentia inventitur conceſſa &c.* ut omittam Concilii Eliber. canonem 32. *Apud Presbyterum, ſi quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit poenitentiam agere non debere; ſed potius apud Epiſcopum: urgente tamen infirmitate neceſſe eſt Presbyterum communionem praeſtare debere; & Diaconum, ſi ei juſſerit Sacerdos*: & Autorem Synopſis Canonum Eccleſ. Adriano I. PP. attributae Canonem 2. Ancyrani Concilii ſic exponentem: *Idem de Diaconis* (ac de Presbyteris) *fiat, ſi ſimiliter peccaverint; ſic ut digne poenitentibus parcere poſſint*: Antiquus Ordo Romanus, ac vetus Theodori *Poenitentiale* apud Burchardum, & Juonem habet: *Sicut enim Sa-*

crificium offerre non debent niſi Epiſcopi, & Presbyteri, quibus claves Regni Caeleſtis traditae ſunt; ſic nec iſta Poenitentium judicia alius uſurpare debet. Si autem neceſſitas evenerit, & Preſbyter non fuerit praeſens, Diaconus ſuſcipiat poenitentem, & det ſanctam communionem: quod exſcripſit & Alcuinus de Divin. Offic. Cap. jejunii.

XII. Similiter c. *Fures* 13. q. 2., nec non c. etiam *Fures* tit. de Furtis habetur: *Fures, & latrones ſi in furando, vel depraedando occiduntur; viſum eſt pro eis non eſſe orandum: ſed ſi comprebenſi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus.* Et licet ſecundo loco dicatur ſumptum ex *Concilio Triburienſi*, quod canone 31. ait: *Deo, & Sacerdoti confitetur &c.*, tamen cum verbis valde diverſis totum hoc enuncietur ibi; liquet ſimilem quidem eſſe canonem, ſed non eundem: idem autem canon eſt *Concilii Turonenſis* v. anno 1163. ab Alexandro III. celebrati inter eos praetermiſſos a Martene to. 4 Theſauri Anecd. publicatos n. VII. Nam Sac. Poenitentiae Miniſterium poſſe interdum exerceri a Diaconis permiſit & Concilium Eboracenſe anno 1194. inquiens: *Decernimus etiam, ut nonniſi ſumma, & gravi urgente neceſſitate Diaconus baptizet; vel Corpus Chriſti cuiquam eroget; vel poenitentiam confitenti imponat: ut juxta paternorum tenorem Canonum huic Ordini Sacerdotali proprio convenire decrevit antiquitas:* nec non Concilium Londin. anno 1200. can. 3. hoc modo: *Ut non liceat Diaconibus baptizare, vel poenitentias dare niſi duplici neceſſitate, videlicet quia Sacerdos non poteſt, vel abſens eſt; vel ſtulte non vult; & mors imminet puero, vel aegroto:* quod confirmavit canon 31. *Concilii incerti loci* in noviſſima Conciliorum Ven. Collectione ex Cod. MS. Corbejenſi publicati to. 13. ſub ann. 1200. his verbis; *De baptiſmate vero, & poenitentia praecipimus; quod Diaconi poenitentias dare, vel baptizare non praeſumant niſi in duplici neceſſitate, videlicet &c.* Et circa idem tempus *Conſtitutiones Synodicae* Odonis Epiſcopi Pariſien. inter praecepta Synodalia n. 56. haec habent: *Item probibetur diſtricte, ne Diaconi ullo modo audiant confeſſiones niſi in arctiſſima neceſſitate: claves enim non habent; nec poſſunt abſolvere:* poſſuntne igitur in neceſſitate ob delegatam illis poteſtatem? Certe Stephanus Aeduenſis cap. 8. de Ordinatione Diaconorum ait: *Diaconi in quibusdam habent vicem Sacer-*

cer-

Digitized by Google

cerdotis, ut in miniſterio baptizandi, communicandi, delicta poenitentium miſericorditer ſuſcipiendi. Unde in Statutis etiam Synodalibus Richardi II. Epiſcopi Ciceuſtren. anno 1246. editis, & nuper Londinenſibus typis a Daniele Wilkius an. 1737. ampliſſimae Conciliorum Britanniae, Hiberniaeque collectionis auctore vulgatis dicitur: *Prohibemus etiam, quod Diaconi Confeſſiones audire, poenitentias injungere, pueros baptizare non praeſumant, niſi Sacerdote abſente; & mors puero, vel aegroto immineat*: & Pictavienſis Synodus anno 1280. decrevit can. 5. *Abuſum erroneum, qui in noſtra Dioeceſi ex pernicioſa ignorantia inolevit, eradicari volentes inhibemus; ne Diaconi confeſſiones audiant; & ne in foro poenitentiali abſolvant: cum certum, & indubitatum ſit ipſos abſolvere non poſſe; cum Claves non babeant, quae in ſolo Sacerdotali Ordine conferuntur*. De qua re tamen conſuli poteſt, quid ſenſerit, ſcripſeritque Petrus Cantor tempore Innocentii III.

XIII. Accedit id, quod habet Eliberitanum Concilium can. 77. *Si quis Diaconus regens Plebem ſine Epiſcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit; Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit*: & quod ſcribit S. Hieronymus in Dialogo contra Lucifer., *banc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem; ut ad eos, qui longe in minoribus Urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati ſunt &c.*, aut Tarraconenſe Concilium anno 517. can. 7. decernens: *De Dioeceſanis Eccleſiis, vel Clero id placuit definiri; ut Presbyteri, vel Diaconi, qui inibi conſtituti ſunt, cum Clericis Septimanas obſervent; ideſt ut Presbyter unam faciat bebdomadam; qua expleta ſuccedat ei Diaconus*. Autor etiam libri Pontificalis in Vita Bonifacii V. tradit: *Hic conſtituit, ut in Lateranis Acolythus non baptizaret cum Diacono, ſed Subdiaconi ſequentes*: & Paulus Diaconus lib. 5. de Geſtis Longobard. cap. 10. al. 27. de his, quae ad annum 668. egit Rex Grimoaldus, commemorat tantam Civitati Foropompilii cladem intuliſſe Regem *in ipſo ſacratiſſimo ſabbato Paſchali ea bora, qua Baptiſmus fiebat; ut etiam Diaconos ipſos, qui Infantulos baptizabant, in ipſo ſacro ſonte perimeret*. Quin quod Epiſcopus conſecrans Diaconos ſecundum veterem Ritual. Romanum inquit: *Diaconum enim oportet miniſtrare ad Altare, baptizare, praedicare &c.*, & Innocentius I. a Decentio Eugubino Epiſcopo interrogatus fuit de *Energumenis*

ba-

baptizatis, ſi a Presbytero, vel Diacono poſſint, aut debeant confirmari ex ejusdem S. Pontificis Innocentii Epiſt. I.

XIV. Cum igitur antiquitus *Diaconi* ordinarie *baptizarent*; Plebes, & *Eccleſias*, regerent; *hebdomadam* alternatim cum Presbyteris agerent; & alia circa *Sacramentum poenitentiae* nonnunquam adminiſtrarent; Ordoque ſacer eſſet; eoque inſignitus caſtitatem, & continentiam profiteri teneretur uti & Presbyteri: nil mirum, ſi quod Presbyteri munus, & officium eſt, ſacrum nempe facere, & *Euchariſtiae* Sacramentum miniſtrare ſibi quandoque vindicarint: propterea quod tum Poenitentiae, tum Euchariſtiae Sacramenta, quae ad ſolos Sacerdotes pertinere noſcuntur, ad aeternam ſalutem olim aeque ita neceſſaria aeſtimabantur; ut etiam Infantibus una cum baptiſmo Euchariſtiam porrigerent. Quare faciente neceſſitate, ut Presbyter abeſſet, & mors nonnullis immineret; exiſtimarunt *Diaconi* ſibi licere Sacramentum Euchariſtiae conficere, ac miniſtrare poſſe. Nec enim illis deerat praeter ea, quae dicta ſunt, aliud argumentum, quo id ſibi attribuerent; quoties legerant apud S. Clementem Papam Epiſt. I. ad Corinthios: *Apoſtoli ... Epiſcopos, & Diaconos conſtituerunt*: ac S. Ignatium Mart. Epiſt. ad Trallianos n. 2. *oportet Diaconos myſteriorum Jeſu Chriſti Miniſtros omni modo omnibus facere*: & in alia ad Magneſios n. 6. de iisdem aſſerentem: *quibus commiſſum eſt miniſterium Jeſu Chriſti*: in illa vero ad S. Polycarpum: *ego vitam profunderem pro iis, qui ſubjecti ſunt Epiſcopo, Presbyteris, & Diaconis*.

XV. Nam & S. Polycarpus Epiſt. ad Philippenſes ait: *Diaconi inculpati eſſe debent ſicut Miniſtri Chriſti, & Dei; & non hominum*: & paulopoſt: *ſubjecti eſtote Presbyteris, & Diaconis ſicut Deo, & Chriſto*: ſed & Autor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 30. *Epiſcopum*, inquit, *ut Deum habete; & Diaconum ut Prophetam ejus: ut enim Chriſtus ſine patre nihil agit; ſic neque Diaconus ſine Epiſcopo &c. Quare Diacones in conſpectu Epiſcoporum ſtant*; juxta Concilium Toletanum IV. cap. 4., ubi celebrandi Concilii ordo declaratur: hinc S. Hieronymus lib. 14. ſuper Ezechiel. cap. 48. de Archidiaconis teſtatur; *quod per ſingula concionarentur; & a Pontificis latere non recederent*: & ſane Nicaeni Canones Arabici tamen canon 57. primum locum poſt Epiſcopum tribuunt *Archidiacono* ante Chorepiſcopum, &

Ar-

Archipresbyterum: nec diverſum eſt, quod de Archidiacono Romano ſcribit Gulielmus Malmesburienſis de Synodo Barenſi ab Urbano II. convocata verba texens. Quo factum puto id, quod idem S. Hieronymus Epiſt. 85. ad Evagrium ſcripſit: *Audio quendam in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris ideſt Epiſcopis anteferret*: cum & in c. 2. Epiſt. ad Titum dixerit: *Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi debent maxime providere, ut cunctum populum, cui praeſident, converſatione, ſermone, ac ſcientia praecedant*: S. vero Leo M. Epiſt. 4. ad Anaſtaſium Theſſalonicen. Epiſcopum: *cognovimus a quibusdam fratribus ſolos Epiſcopos tantum diebus Dominicis ordinari: Presbyteros, & Diaconos, circa quos par conſecratio fieri debet, paſſim qualibet die &c.* Igitur tunc Diaconi inter tot encomia quid ſibi non licere crediderint? & quidni verum erit, quod habet memoratus canon xv. Arelatenſis; *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre &c.*, ut expoſitum eſt?

QUAESTIO III.

De Subdiaconis.

I. A Diaconis ad Subdiaconos ſermonem transferre juvat; quo communem, inveteratumque de hujus Ordinis tractatu errorem aperiam: & a ſcriptis aliquando, ſcriptoribuſque penitus ipſum eliminem; & quoad ejus fieri poteſt, elidam: dicturoque; quando, & quomodo Subdiaconatus Ordo *ſacer* ſit pronunciatus; id mihi liceat praemittere, quod S. Thomas 4. d. 24. q. 2. art. 1. tradidit his verbis: *Ordo dicitur ſacer dupliciter: uno modo ſecundum ſe; & ſic quilibet Ordo eſt ſacer ... alio modo ratione materiae, circa quam habet aliquem actum; & ſic ordo ſacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam conſecratam: & ſic ſunt tantum tres Ordines ſacri ſcilicet Sacerdos, & Diaconus, qui habent actum circa corpus Chriſti, & ſanguinem conſecratum; & Subdiaconus, qui habet actum circa vaſa conſecrata: & ideo etiam eis continentia indicitur, ut ſancti, & mundi ſint, qui ſancta tractant*: a quo non multum diſſidet S. Bonaventura eodem loco art. 2. q. 1., dum

dum

dum ait: *quod omnes Ordines ſigna ſunt ſacra, & rei ſacrae: ſed ab hac ratione non dicuntur Ordines ſacri, ſed a conſecratione Miniſtri; & quia ipſi Ordines diſponunt ad contingendum, & miniſtrandum vaſa conſecrata*. Qua in re quod ad primum Ordinis ſacri modum attinet, nulla unquam fuit, & nulla poteſt eſſe dubitatio de *Subdiaconatus* Ordine; ſed quantum ad ſecundum modum; ad quem de primo translatus aliquando fuit; inquiri poteſt, & inquiſitum invenitur; a quo demum, & ob quam cauſſam *ſacer Ordo* declaratus fuerit.

II. Inter omnes autem convenire legimus, *Subdiaconatum* ab Urbano II. *ſacrum Ordinem* eſſe definitum Innocentii III. teſtimonio c. *A multis* de aeta. & qualit. praeficiend., & c. *Miramur* de Servis non ordinandis: quorum in primo is ſcribit: *A multis multoties, an Subdiaconus in Epiſcopum eligi valeat, haeſitatur: ſiquidem Urbanus Papa primus decrevit, ut nullus in Epiſcopum niſi in ſacris Ordinibus religioſe vivens inventus fuerit, eligatur: ſacros inquit, Ordines Diaconatum dicimus, & Presbyteratum; hos ſiquidem ſolos primitiva Eccleſia legitur habuiſſe*: quo autumavit Canonem I. Beneventani Concilii anno 1091. ab Urbano II. celebrati relatum a Gratiano c. *Nullus in Epiſcopum* d. 60., qui quidem Urbanus II. in Claromontano Concilio an. 1095. itidem decrevit can. 5. *Nullus Laicus, Clericus, vel tantum Subdiaconus in Epiſcopum eligatur*: tametſi in praedicto Beneventano Concilio can. 1. addiderit: *Super his* (Diaconatu, & Presbyteratu) *ſolum praeceptum habemus Apoſtoli. Subdiaconos vero, quia & ipſi Altaribus adminiſtrant, opportunitate exigente concedimus; ſed rariſſime: ſi tamen ſpectatae ſint religionis, & ſcientiae: quod & ipſum ſine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia non fiat*. Decretumque iſtud non *Urbanus* hujus nominis *primus*; ut quidam per errorem legi apud Innocentium exiſtimarunt; ſed *Urbanus II.* fuit Romanorum Pontificum *primus*, qui de Subdiacono, aliiſque Ordinibus ita decreverit.

III. Subjungit Innocentius III. *Verum cum hodie Subdiaconatus inter ſacros Ordines computetur; ſicut Urbanus ſecundus ſub his verbis expreſſit: Erubeſcant impii, & aperte intelligant, judicio Spiritus Sancti eos, qui in ſacris Ordinibus Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu ſunt poſiti, ſi caſte non vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate*: & Canon hic addu-

ci-

citur a Gratiano c. *Erubeſcant* d. 32., qui poſteaquam retulit *Urbani II.* canonem 12. in Melphienſi Concilio anno 1089. conſtitutum: *Eos, qui in Subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni ſacro Ordine removemus &c.*, continuo ſubjecit: *Item Dominico Patriarchae Gradenſi. Erubeſcant impii, & aperte intelligant, judicio Spiritus Sancti eos, qui in ſacris Ordinibus Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu ſunt poſiti, niſi mulieres abjecerint, & caſte vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate &c.*, perinde ac ſi decretum iſtud eſſet ſimiliter *Urbani II.*, quod palam, ac omnino falſum; cum ſit *Alexandri II.*, qui quinque ſupra decem annos Urbani II. Pontificatum antevertit.

IV. Etenim inter fragmenta Epiſtolarum *Alexandri II.*, quae in Conciliorum Collectionibus habentur, legitur n. *quartum*, quod datum dicitur *Dominico Gradenſi Patriarchae* hiſce verbis: *Erubeſcant impii, & aperte nos intelligant judicio Sancti Spiritus eos, qui in tribus ſacris gradibus Presbyteratu ſcilicet, Diaconatu, & Subdiaconatu poſiti mulierculas non abjecerunt, & caſte non vixerunt, excludere ab eorundem graduum dignitate &c.*, & quidem reſcriptum Alexandri eſſe, non autem Urbani, liquido conſtat; cum datum ſit *Dominico Gradenſi Patriarchae*: Dominicus porro *Cerbonus* Gradenſis Antiſtes ſedit ſub Alexandro, non ſub Urbano II., nam anno non 1094., ut cum errore ſcripſit Ughellus, ſed 1084. jam illi ſuffectus fuerat *Joannes Saponarius* ex monumentis illius Patriarchatus in Veneta *Italiae ſacrae* editione to. x. memoratis in *Equil.* Epiſcopis n. v. Cui plane reſcripto, vel fragmento IV. aliud in Concil. Collection. fragmentum ejusdem Alexandri II. ſequitur Clero Mediolanenſi miſſum non alieni argumenti n. v. *Si quis vero Sacerdotum, Diaconorum, vel Subdiaconorum officium contumaciter deſerens foeminam ſibi potius elegit &c.* etiam a Gratiano exſcriptum c. *Si quis* d. 81., apud quem cum error irrepſerit c. *Erubeſcant*; legendumque eſſet: *Item Alexander II. Dominico Patriarchae Gradenſi. Erubeſcant impii &c.*, omiſſo Alexandri II. nomine, error fluxit ad Innocentium III., & inde ad alios omnes, ut Urbani II. decretum cenſeretur.

V. Praeterea idem Innocentius, ut oſtenderet *Subdiaconatum* eſſe Ordinem *ſacrum*, adjunxit: *& iterum* (Urbanus II. dixit)

xit): *Nemo ad ſacrum Ordinem permittatur accedere,niſi aut virgo; aut probatae caſtitatis; & qui uſque ad Subdiaconatum unicam, & virginem uxorem habuerit*: qui eſt canon 3. ſupramemorati Concilii Melphienſis recitatus c. *Nemo ad* d. 32. Mox adduxit *Synodi ſextae* conſtitutum: *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, nuptiali jure mulieri voluerit copulari, hoc ante Subdiaconatus ordinem faciat*: eſtque canon 6. Trullanus; & habetur c. *Si quis* d. 32. Denique ad idem attulit *B. Gregorii* autoritatem, quae noſcitur illa relata & c. *Ante triennium* d. 31. Siquidem c. *Miramur* de Servis non ordinand. inquit: *Nam licet ſacer ordo non reputaretur* (Subdiaconatus) *in Eccleſia primitiva; tamen a conſtitutione Gregorii, atque Urbani ſecundum moderna tempora ſacer gradus eſſe minime dubitatur*. Quibus videtur Innocentius ſentire, *Subdiaconatum* non tam ab Urbano II., quam a Gregogorio Magno Epiſt. 42. lib. I. Petro Subdiacono Siciliae directa, & a Gratiano ex parte relata, ut dixi c. *Ante triennium* d. 31. Ordinem *ſacrum* fuiſſe declaratum, ſemel ac legi continentiae, & caſtitatis eo inſignitus addiceretur.

VI. Quamquam non Gregorius I., ſed Pelagius II. eam de continentia Subdiaconorum conſtitutionem pro ſolis Siciliae Epiſcopis promulgavit; quandoquidem S. Gregorius Papa Epiſt. 34. lib. 3. Leoni Cataniae in Sicilia Epiſcopo ſcripſit: *Multorum relatione comperimus, hanc apud vos olim conſuetudinem tenuiſſe, ut Subdiaconi ſuis licite miſcerentur uxoribus: quod ne denuo quiſquam praeſumeret, a Servo Dei ſedis noſtrae Diacono ex autoritate noſtri deceſſoris eſt iſto modo prohibitum; ut &c.*, hunc autem ejus deceſſorem fuiſſe Pelagium II., habemus ex Epiſt. 42. lib. 1. proxime commemorata, & ab eo data anno 590. Petro Siciliae Subdiacono; qua inquit: *Ante triennium Subdiaconi omnium Eccleſiarum Siciliae prohibiti fuerant, ut more Romanae Eccleſiae nullatenus ſuis uxoribus miſcerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur; ut qui uſum ejuſdem continentiae non invenit; neque caſtitatem ante promiſit, compellatur a ſua uxore ſeparari: atque per hoc, quod abſit, deterius cadat. Unde videtur mihi; ut a praeſenti die Epiſcopis omnibus dicatur; ut nullum Subdiaconum facere praeſumant, niſi ſe victurum caſte promiſerit &c.*, ejuſque decreti obſervantiam inculcat Epiſt. 5. lib. 3. Bonifacio Rhegino Epiſcopo tranſmiſſa, & etiam relata c. *Subdia-*

diaconis d. 32., idque poſtmodum in Occidente toto invaluiſſe ducitur ex c. *Aliter* d. 31., ubi Stephanus Papa III. Romana in Synodo anno 769. effatur: *Aliter ſe Orientalium traditio habet Eccleſiarum, aliter hujus S. Romanae Eccleſiae: nam earum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi matrimonio copulantur; iſtius autem Eccleſiae, vel Occidentalium nullus Sacerdotum a Subdiacono uſque ad Epiſcopum licentiam habet conjugium ſortiendi.*

VII. Longe tamen ante & Gregorium I., & Pelagium II. non ſolum *Eccleſiae Romanae* diſciplina uxores arcebat a Subdiaconis; ſed & complures aliae Eccleſiae hoc ipſum obſervabant. Quid namque ſibi vult canon 25. al. 27. Apoſtolorum: *De promotis ad Clerum, ſi velint, uxorem ducant, ſed Lectores, & Cantores ſoli*: quod habet & canon 14. Antiochenus: *Quoniam in quibusdam Provinciis conceſſum eſt Lectoribus, & Pſalmiſtis uxores ducere &c.* niſi Subdiaconibus non licere vel poſt ordinationem conjugium inire? ac ut omittam ſuppoſitum S. Silveſtro Papae Concilii Rom. canonem 8. *Nullum Subdiaconorum ad nuptias tranſire praecipimus*: certe Concilium Eliberitanum can. 33. hujuſmodi condidit ſtatutum: *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, ac Subdiaconibus poſitis in miniſterio abſtinere a conjugibus ſuis; non generare filios: quod quicunque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur*: & S. Epiphanius haer. 59. de Catharis c. 4. circa annum 374. affirmat, ſcribitque: *quin eum inſuper, qui in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi unius uxoris vir ſit, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit Eccleſia; ſed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris conſuetudine continuerit, aut ea ſit orbatus. Quod in illis locis praecipue ſit, ubi Eccleſiaſtici canones accurate ſervantur*: nimirum Romae potiſſimum.

VIII. Sed & Concilium Carthaginienſe II. anno 390. coactum perhibet, *Epigonium* Epiſcopum in eo pronunciaſſe c. 2. *Cum in praeterito Concilio ... gradus iſti tres conſcriptione quadam caſtitati per conſecrationes annexi ſunt, Epiſcopos inquam, Presbyteros, & Diaconos; ita placuit, ut condecet, Sacroſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas; vel qui Sacramentis Divinis inſerviunt, continentes eſſe in omnibus*: extatque & c. *Cum in praeterito* d. 84., ubi perperam attribuitur *Aurelio* Epiſcopo; & Gloſſa notavit, eos, *qui Sacramentis Divinis inſerviunt*

viunt, intelligi *Subdiaconos*. Et ſane Carthagin. Concilium III. an. 397. congregatum can. 19. ſanxit: *Lectores, cum ad annum pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere; aut continentiam profiteri*: c. *Lectores* d. 32., nimirum ut ita ad Subdiaconatum, alioſque Ordines majores promoveri poſſent: & etiam Carthaginienſe V. anno circiter 400. factum edixit can. 3. *Placuit Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos ſecundum priora ſtatuta etiam ab uxoribus abſtinere &c.* juxta can. 25. Codicis Can. Afric., quem adduxit, confirmavitque Synodus Auguſtana anno 952. can. 1. his verbis: *Sicut in Carthaginenſi tenetur cap. 25.*, licet vox *Subdiaconos* abſit a variis codicibus Concilii Carthagin. & etiam a nonnullis Gratiani c. *Placuit* d. 32., & c. *Cum de quorundam* d. 84.

IX. Poſteaquam autem Leo Magnus Epiſt. 82. al. 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicen. Epiſcopum cap. *Omnium Sacerdotum* d. 32. reſcripſit: *Cum extra Clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum; ad exhibendum tamen perfectae conſcientiae puritatem nec Subdiaonibus quidem carnale connubium conceditur &c.* Veneticum in Gallia Concilium anno 465. conſtituit can. X. *Presbyteri, Diaconi, atque Subdiaconi; vel deinceps quibus ducendi uxores licentia non eſt; etiam alienarum nuptiarum evitent convivia &c.*, qui eſt & canon 39. Concilii Agathenſis anno 506. congregati; recitaturque a Gratiano c. *Presbyteri* d. 34. Concilium vero Gerundenſe anno 517. can. 6. ita decrevit: *De converſatione vitae id ſtatuere placuit; a Pontifice uſque ad Subdiaconatum poſt ſuſcepti honoris officium ſi qui ex conjunctis fuerint ordinati, ut ſine conjuge habitent &c.*, & Toletanum II. anno 531. can. 3. *Illud praeterea ſpeciali ordinatione decrevimus, quod nec antiqua Concilia in univerſis Canonibus ſiluerunt: ut nullus Clericorum a gradu Subdiaconatus, & ſupra in conſortio familiaritatis habeat mulierem, vel ingenuam, vel liberam, vel ancillam: ſed ſi ſunt ei ejuſmodi ſervitia, matri, vel ſorori, vel alii propinquae contradat.* Nec audiendus eſt Lupus, cum Differt. I. Prooem. de Latinorum Epiſcoporum, & Clericorum continentia cap. 3. putat, reponendum eſſe *a gradu Diaconatus*: nam can. 1. dicitur: *De his, quos voluntas parentum a primis infantiae annis Clericatus officio manciparit, ſtatuimus obſervandum... ubi* XVIII. *aetatis ſuae* com-

compleverint annum; *coram totius Cleri, plebiſque conſpectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Epiſcopo perſcrutetur. Quibus ſi gratia caſtitatis Deo inſpirante placuit, & profeſſionem caſtimoniae ſuae absque conjugali neceſſitate ſe ſpoponderint ſervaturos... primum Subdiaconatus miniſterium habitu probationis ſuae a* xx. *anno ſuſcipiant &c.*, & paulopoſt: *itaut cum perfectae aetatis in conjugio poſiti renunciaturos ſe pari conſenſu operibus carnis ſpoponderint*; *ad ſacratos gradus aſpirent*: extatque & c. *De iis* d. 28.

X. Similiter Concilium Aurelianenſe III. anno 538. can. 2. prohibuit; *Ut nullus Clericorum a Subdiacono, & ſupra, qui uxores in propoſito ſuo accipere inhibentur, propriae, ſi forte jam habeat, miſceatur uxori. Quod ſi fecerit, laica communione contentus juxta priorum canonum ſtatuta ab officio deponatur*: & Turonenſe II. anno 567. can. 20. ſtatuit, ut ſequitur: *Si inventus fuerit Presbyter cum ſua Presbytera; aut Diaconus cum Diaconiſſa; aut Subdiaconus cum ſua Subdiaconiſſa*; *annum integrum excommunicatus habeatur; & depoſitus ab omni officio Clericali inter Laicos ſe obſecrare cognoſcat*. Autiſiodorenſe vero anno 578. convocatum can. 20. edixit: *Quod ſi Presbyter, quod nefas eſt dicere; aut Diaconus; aut Subdiaconus poſt acceptam benedictionem infantes procreaverint*; *aut adulterium commiſerint ... deponantur*: & canone 21. *Non liceat Presbytero poſt acceptam benedictionem in uno lecto cum Presbytera ſua dormire; nec in peccato mortali miſceri*: *nec Diacono; nec Subdiacono*: can. vero 22. *Non licet relictae Presbyteri, nec relictae Diaconi, nec Subdiaconi poſt ejus mortem maritum accipere*: adeo ſemper Subdiaconatus ordo Preſbyteratus, ac Diaconatus Ordinibus ſociatur. Sic & Matiſconenſe I. Concilium anno 581. habitum can. 11. pronunciavit: *Epiſcopi, Presbyteri, vel univerſi honoratiores Clerici cum ſublimi dignitatis apice ſublimantur ... quiſquis ille eſt, Divino munere benedictione percepta, uxori prius ſuae frater illico efficiatur ex conjuge &c.*, quiſnam autem ſunt illi honoratiores Clerici niſi *Diaconi*, & *Subdiaconi?* Perſpicuum eſt igitur, ante Gregorii I., & Pelagii II. tempora plurimis in locis *Subdiaconos* continentiae legibus addictos fuiſſe.

XI. Sunt aliqui quidem, quos inter Vaſquez in 3. par. S. Thomae to. 3. diſp. 237. cap. 2., & diſp. 238. cap. 6., qui ſcripto tradiderunt, Urbanum II. c. *Nullus* d. 60. *Ordinis ſacri* no-

mine non intellexiſſe *Sacramentum*, vel Ordinem a Chriſto inſtitutum; ſed eum Ordinem, cui annexum eſſet *votum perpetuae continentiae*; & hac ratione inter ſacros Ordines primitivae Eccleſiae non enumerare *Subdiaconatum*, quia eo tempore tale votum non habuit hic Ordo. Verum quo pacto innuere potuit Urbanus *Ordinem ſacrum* primitivae Eccleſiae, cui *votum continentiae* annexum eſſet; ſi ejuſmodi Eccleſia votum illud forſitan non agnovit? non quidem univerſa Eccleſia; cum Graeca, & Orientalis etiamnum continentiae legem non admittat: nec etiam particularis; quoniam etſi Romana ab initio uſque continens fuiſſe dicatur; illud tamen votum non fuit, aut lex, ſed magis mos ab Apoſtolis, ut volunt, inductus, qui curſu temporis in legem, votumque tranſiit. Et ſane idem Urbanus c. *Nullus* non aliam attigit rationem, cur *ſacros Ordines* diceret Preſbyteratum, & Diaconatum; niſi quia *hos ſolos primitiva Eccleſia legitur habuiſſe*: & *ſuper his ſolum praeceptum habemus Apoſtoli*: atqui Apoſtolus *Sacerdotibus*, & *Diaconis* non continentiam, ſed *monogamiam* indixit obſervandam; igitur Urbanus II. *Ordinis ſacri* nomine non potuit intellexiſſe eum *primitivae Eccleſiae* Ordinem, qui votum continentiae annexum haberet; ſed qui aut a Chriſto fuit inſtitutus, aut ab Apoſtolis exhibitus, publicatuſque: quorum in numero quia *Subdiaconatus* non invenitur; icirco *ſacer Ordo* non appellatur ab illo. Quod enim memoretur a Mart. Ignatio Epiſt. ad Antiochenos, nihil eſt; cum Epiſtola ea valde ſuſpecta ſit utpote Hieronymo, Euſebioque ignota.

XII. Non igitur, uti dicebam, Urbanus II. *Subdiaconatum* appellavit Ordinem *ſacrum* ullo modo, ſed Innocentius III. ex Gregorii, & Urbani Rom. Pont., inquit ille, Conſtitutionibus c. *Miramur* de Servis non ordinan., non ob votum *continentiae*, quod eo Ordine initiatus emitteret; ſed *quia & ipſi Altaribus adminiſtrant* ex Urbano ſupra n. 2. commemorato; & *Vaſa ſacra* tangere debent, ut SS. Thomas, & Bonaventura docent n. 1. relati. Non enim *Ordo ſacer* eſt, & dicitur; quia quis continens, & caſtus eſt; ſed quia rem ſacram aut facit, aut adminiſtrat, aut attingit rei ſacrae vaſa; cui propterea conſequitur, ut continens, caſtuſque exiſtat, juxta illud Iſaiae c. 52. *mundamini, qui fertis vaſa Domini*. Cum itaque, ut viſum eſt n. 7. & ſeqq., multo ante Urbani, & Gregorii Magni decreta *Subdia-*

diaconi continentiae rigori pluribus locis Romana praeſertim in Eccleſia adſtringerentur: nulli dubium, quin quoque id temporis Ordo ille *ſacer* aeſtimaretur non quidem primo, ſed ſecundo modo; ſive non quia inſtitutus a Chriſto, vel ab Apoſtolis, eoque quis aut rem ſacram ageret, aut miniſtraret; ſed quia rei ſacrae vaſa tangeret. Quo circa Toletanum Concilium VIII. anno 653. can. 9. dixit: *Relatum eſt nobis, quosdam Subdiaconos, poſtquam ad ſacrum hujus Ordinis pervenerunt gradum, non ſolum carnis immunditia ſordidari... ſed etiam, quod dictu nefas eſt, novis uxoribus copulari &c.*, & Eugenius II. in Synodo Romana anno 826. a Leone IV. in alia Synodo Romae an. 853. confirmata can. 15. ſancivit: *Si quiſpiam Sacerdotum ideſt Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus de quacunque foemina crimine fornicationis ſuſpectus poſt primam, ſecundam, & tertiam admonitionem invenitur fabulari cum ea, vel aliquo modo converſari; excommunicetur &c.*, eſtque & c. *Si quiſpiam* d. 81., & de Cohabit. Cleric. etſi nonnihil interpolatum.

XIII. Sed cum bifariam ſumatur *Ordo ſacer*, ut eſt dictum n. 1., poſſet quis inficiari, aut ſaltem dubitare; an autoritates commemoratae, & alia ex can. 25. Octavae Synodi contra Photium verſionis Anaſtaſii, *ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, qui invaſori Photio conſenſerunt, depoſiti ſint, & omnino Sacerdotali operatione privati; quemadmodum nec multum ante B. Papa Nicolaus judicavit; & nequaquam tales in Sacerdotii Catalogo recipiantur*: nec non & illa Alexandri II. c. *Erubeſcant*, intelligendae ſint de Ordine ſacro ſecundo modo accepto, ac *ratione materiae*; quemadmodum ſumuntur Presbyteratus, & Diaconatus. Verum enim cum in Lateranenſi I. Concilio Oecumenico anno 1123. celebrato ſtatutum ſit can. XXI. *Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, & Monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab hujuſmodi perſonis disjungi; & perſonas ad poenitentiam debere redigi juxta ſacrorum Canonum definitionem judicamus*: & apertius Lateranenſe II. anno 1139. ſub Innoc. II. congregatum can. 7. Conjugia a *Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis* contracta *matrimonia non eſſe* pronunciarit, eo quod *contra Eccleſiaſticam regulam* conſtaret irrita eſſe; & ut *lex continentiae in ſacris Ordinibus dilataretur*: apparet manifeſto; jam tum *Subdiaconatum*

Digitized by Google

tum dictum eſſe *ſacrum Ordinem* ſecundo modo aeque ac Preſbyteratum, & Diaconatum; propterea quod ſolus *Ordo ſacer* eo modo rite, valideque acceptus contractum matrimonium dirimit cum ratione voti, tum ex lege praecipientis Eccleſiae: non autem *Ordo ſacer* primo modo, uti ſunt *Ordines* vulgo *minores*.

XIV. Objici tamen poſſet *Innocentii III.* Epiſtola 81. libri x. Roffenſi Epiſcopo data, qua *Johannem* quemdam; qui poſt acceptum *Subdiaconatum* matrimonium cum quadam contraxit; inde & in Diaconum ordinari ſe fecit; *Officio, & beneficio privatum* cohabitare cum uxore praecepit: igitur ſi *Subdiaconatus* ordo *ſacer* eo modo ſecundo reputatus fuiſſet a Pontifice; is matrimonium illud diſſolviſſet, non confirmaſſet. At ſcire eſt primum, de *Subdiaconatus* ordine ab illo ſuſcepto non ſatis conſtaſſe, neque probari potuiſſe: poſtea eam eſſe legem Eccleſiaſticam, non Divinam; ideoque ab Eccleſia, ejuſque Principe Rom. Pontifice relaxari poſſe; ac definiri; ut ſecus fiat, ac olim conſtitutum eſſet. Sic quoque ſtatuendum de *Alexandri III.* reſcripto Hipponenſi, Salernitanoque Epiſcopis miſſo; quod habetur in Appendice Concilii Lateranen. III. anno 1179. celebrati par. XVIII. *De Clericis matrimonio copulatis &c.* cap. IV. in hunc modum: *Super eo, quod aſſeris, quoſdam viros tuae juriſdictionis in ſacris Ordinibus conſtitutos matrimonium contraxiſſe; hoc tuae prudentiae reſpondemus: quod ſi qui in Diaconatu, & ſupra matrimonium contraxerint; cogendi ſunt uxores dimittere, & continenter vivere; ita quod poſt actam poenitentiam ex diſpenſatione poſſint in ſuis Ordinibus miniſtrare: Si vero Subdiaconi contraxerint matrimonium; eos, dummodo ante tales fuerint, quod timendum ſit, ne pro una pluribus abutantur; diſſimulare poteris cum ſuis mulieribus permanere: quia tolerandum eſt malum, ut pejora vitentur.* Nec diſſimilia tradit cap. XIII. Oxonienſi Epiſcopo reſpondens; ubi etiam adjungit: *ita tamen quod ad Altaris miniſterium non accedant; nec Eccleſiaſtica beneficia percipiant: veruntamen ſi tales aliqui Eccleſiae perſonas gerunt; aut Eccleſias, aut uxores prorſus dimittere ſunt cogendi.* Quibus Subdiaconatum inter *ſacros Ordines* ſecundo modo Pontifex aperte collocat; ſed tamen diſpoſitione recitata ipſum ab aliis haud parum ſecernit.

XV. Prae-

XV. Praeterea idem Alexander III. c. *Clericos* de Cohabit. Cleric. ſcripſit Archiepiſcopo Salernitano: *Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, qui publice tenent concubinas... debes perpetuam excommunicationis ſententiam proferre &c.*, & quos Clericos intelligeret, clare ibidem expreſſit c. *Sicut ad extirpanda* Cantuarien. Archiepiſcopo, ejuſque Provinciae Epiſcopis reſcribens: *Fraternitati veſtrae mandamus; quatenus Clericos veſtrae jurisdictionis, qui in Subdiaconatu, & ſupra fornicarias habuerint &c.* Nec dubium, quin eodem recidat c. *Cum H. lator* De eo, qui furtive &c., quo Clemens, vel Caeleſtinus III. reſpondit; *H., cum quatuor Minores Ordines ſuſcepiſſet, eis non contentum Subdiaconatum etiam temerario auſu recepiſſe;* mandavitque Pontifex, *eum in minoribus dumtaxat Ordinibus celebrare*: Quare liquido conſtat, ante tempora Innocentii III. *Subdiaconatum* unum ex Ordinibus majoribus, vel ſacris ſecundo modo habitum fuiſſe: proindeque patere poterit, qua ratione Petrus Cantor, qui obiit anno 1197. lib. de Verbo mirifico cap. 54. *de novo inſtitutum* ſcripſerit *Subdiaconatum ſacrum Ordinem;* & Durandus Mimatenſis Epiſcopus lib. 2. Rationalis Divin. Off. cap. 8., nec non Autor Pontificalis contra Pariſien. haud multo poſt editi tradiderint, *Innocentium III.* fuiſſe primum, qui *Subdiaconatum* eſſe Ordinem *ſacrum* pronunciaverit: quando Ivo Carnotenſis Epiſcopus par. 5. cap. 72., Ugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis par. 3. cap. 13., Magiſter Senten. in 4. d. 24., & Philippus Abbas Bonaeſpei lib. de Continentia Clericorum cap. 107., qui ante illos floruerunt, duos tantum *Ordines* eſſe *ſacros Presbyteratum, & Diaconatum* cum Urbano II. conſcripſerunt ob varium ſcilicet, ut jam commonui, Ordinis ſacri diſcrimen & inſtitutionis diverſae, & miniſterii conſimilis.

XVI. Illud inſuper addendum erit, obſervandumque, Alexandrum III. c. *Subdiaconos* tit. de temp. Ordin., quum Bathon. Epiſcopo reſcriberet, docere: *Subdiaconos autem nulli niſi Romano Pontifici liceat diebus Dominicis ordinare; quamvis conſecrandi Deo dicatas Virgines, & Minores Ordines his diebus habeant licentiam celebrandi &c.*, & c. *De eo autem* ibidem Hereford. Epiſcopo reſpondens: *an liceat extra jejunia quatuor temporum aliquos in Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere*: inquit: *quod licitum eſt Epiſcopis Dominicis,*

cis, & aliis feſtivis diebus unum, aut duos ad minores promovere; ſed ad Subdiaconatum nonniſi in quatuor temporibus, aut Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Paſſione nulli Epiſcoporum praeter Romano Pontifici liceat aliquos ordinare: idque quia jam tunc *Subdiaconatus* habebatur unus e ſacris, & majoribus Ordinibus: quod perſpicue prodidit Joannes Beleth ad annum 1165. ſcribens lib. Explicat. Divin. Offic. cap. 92., dum inquit, *Sabbata primae, & quartae* hebdomadis Quadrageſimae iccirco eſſe donata privilegio, *quod in eis celebrentur Ordines*: quorum *Minores* Apoſtolorum feſtis, Dominiciſque diebus quibuſcunque; *Majores* vero *in ſex tantummodo Sabbatis* conferrentur. Merito itaque Innocentius III. c. *Miramur* de Servis non Ordin. ait, Subdiaconatum *ſecundum moderna tempora ſacrum Ordinem* eſſe non dubitari.

XVII. Ex quibus & illud manifeſtum eſt, Romanorum Pontificum primum inveniri *Leonem Magnum*, qui memoriae prodidit, *ne Subdiaconibus quidem carnale connubium* concedi; ut oſtenſum eſt n. 9., *Eugenium* vero *II.*, aut *Alexandrum II.* primum etiam occurrere, qui Subdiaconatum *Ordinem ſacrum* appellavit non minus quam Presbyteratum, & Diaconatum, quemadmodum n. 4., & 12. eſt demonſtratum. Nam *Urbanus II.* primus indulſit, ut *Subdiaconus*; etiamſi Ordo ſacer non eſſet primitivae Eccleſiae uti Presbyter, & Diaconus; tamen *quia Altaribus adminiſtrat*, in Epiſcopum eligeretur *opportunitate exigente*, ſed *rariſſime*, nec ſine licentia vel *Romani Pontificis*, vel *ſui Metropolitani*; ut n. 2., & *Alexander III.* primus praeſcripſit, neminem Epiſcoporum poſſe ad *Subdiaconatus* Ordinem quemquam promovere niſi in quatuor temporibus, aliiſque duobus Sabbatis praeter Romanum Pontificem; ut n. praecedenti eſt dictum: ſed *Innocentius III.* primus fuit, qui clare, & aperte ſcripſit, *Subdiaconatum hodie inter ſacros Ordines computari; proptereaque libere valere in Epiſcopum eligi ſicut Diaconum, vel Sacerdotem* ex c. *A multis* ſupra n. 2. expoſito; quae eſt Epiſtola 164. lib. x. ejusdem Innocentii Papae. Quibus quidem ex dictis palam innoteſcit, quid reſpondendum ſit iis; qui hac de re aut pugnantia ſecum referre videntur; aut *Urbanum II.*, vel *Innocentium III.* Ordinem ſacrum declaraſſe *Subdiaconatum* perſcripſerunt.

QUAE-

QUAESTIO IV.

De jejunii quatuor Temporum origine, ac inſtitutore.

I. Quia praeterita in Quaeſtione ſermo factus eſt, & mentio jejunii *quatuor anni temporum*, in quibus potiſſimum Ordinationes ſacrae haberi debent, & ſolent; & nos de *Ordine*, ac Ordinatione ſacra paullo ante multa diſſeruimus: haud ab re duxi factum etiam de his temporum intervallis ſcripto mandare, quae nec omnibus adhuc aut explorata, aut literis aliquando prodita; nec a veritate, ut arbitror, aliena cenſeantur: cum viderim hanc rem non ita diſcuſſam hucuſque fuiſſe; quin aliorum dictis & aliquid addi queat, & aliquid quoque demi. *De jejuniis quatuor Temporum* librum quidem edidit, & ad Trevirenſes miſit Sigebertus Monachus Gemblacenſis, ut ipſe teſtatur in lib. de Viris Illuſtr., ſed fortaſſis non extat: magnus vero, idemque eminentiſs. Annalium Eccleſiaſticorum conditor Baronius ſub anno aerae Chriſtianae LVII. de jejuniis Eccleſiae verba faciens n. 106. de hoc ipſo *Quatuor temporum* ſermonem inſtituit; docuitque ipſum ex inſtitutione *Apoſtolica* in Eccleſiam effluxiſſe, non autem ex *Calliſto Papa*; ut cum Autore libri Pontificalis alii tradiderunt; idque ſine ulla dubitatione S. Leonem Magnum confirmare: quod & ſenſit Card. Bellarminus lib. de Bonis Operibus 2. cap. 19., & poſt iſtos omnes alii; ſi unum excipias, quod quidem legerim, Chriſtianum Lupum, qui in Schol. ad Florentinum Victoris II. Papae Concilium hujus jejunii inſtitutionem a *S. Sylveſtro Papa* originem traxiſſe conjicit, & arbitratur; quem etiam *Sabbatici jejunii* inſtitutorem aſſerere non dubitat. Quorum ego pronunciata, uti & aliorum quorundam obiter effata, quae in hanc rem vulgata reperiuntur, in examen vocare conſtitui.

II. Quod ad faciendum, mihi veterrima, naſcentiſque Eccleſiae priora tempora perſcrutari neceſſe eſt; ut ex priſcis illius moribus id, quod certius eſt, hauriri poſſit. Itaque quatuor prima Eccleſiae ſecula percurrenti, perquirentique nonniſi duo jejuniorum genera, quae ab omnibus Chriſtifidelibus ſervaren-

tur, occurrunt *Quadrageſimale*, & annuum *feriae quartae*, & *ſextae*: de quibus agit memoratus Baronius n. 193., & ſeqq. ex Epiſt. Ignatii Mart., Tertulliano, Irenaeo, Clemente Alexandr., & Origene, ex Canonibus Apoſtol., & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ex Petro Alexandrino Mart., Baſilio Magno, Ambroſio, Epiphanio, Teophilo Alexandr., Hieronymo, & Auguſtino: quorum nonnullorum dicta dumtaxat, quae e re noſtra eſſe noſcuntur, afferam; ut can. 68. Apoſtol. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor Sanctam Paſchae Quadrageſimam non jejunat; vel quartam diem, vel paraſceven; praeterquam ſi propter imbecillitatem corporalem impediatur; deponatur: ſi ſit autem Laicus, ſegregetur*: & Conſtitutionum Apoſtol. lib. 5. cap. 14. *Dominus nobis praecepit quarta feria, & ſexta jejunare: illa quidem propter proditionem; hac verò propter paſſionem*: ſicut & cap. 19. *Praecepimus vobis quartis, & ſextis feriis jejunare*: nec non Origenis hom. 10. in Levit. *habemus Quadrageſimae dies jejuniis conſecratos: habemus quartam, & ſextam ſeptimanae dies, quibus ſolemniter jejunamus*: ac Magni Baſilii Orat. 2. de jejunio Quadrageſ. *Jejunium per omne tempus utile eſt his, qui illud ſuſcipiunt ... ſed multo magis hoc tempore, quo per univerſum terrarum orbem undique denunciatur jejunii praeconium: nec ulla eſt Inſula, nec terra continens, non Civitas &c.*

III. Sic S. Epiphanius haer. 75. loquitur cap. 6. *Quis eſt uſpiam terrarum, qui non in eo conſentiat, quartam, ſextamque feriam ſolemni in Eccleſia jejunio conſecratam? Quod ſi ex Apoſtolorum conſtitutione repetenda nobis autoritas eſt; cur illis quartae, & ſextae feriae jejunium perpetua lege ſancitur, excepta Pentecoſte?* Et in Catholicae fidei Expoſitione cap. 22. *Item quarta, & ſexta feria jejunium ad horam uſque nonam indictum; propterea quod quarta feria comprehenſus eſt Dominus, & ſexta in Crucem ſublatus*: Similiter Autor Comment. in cap. 4. Epiſtolae ad Galatas inter Opera S. Hieronymi dicit: *Nos quoque ſimile crimen incurrimus quartam Sabbati obſervantes, & paraſceven, & jejunium Quadrageſimae &c.*, & Abbas Apollo in Lauſiaca Palladii Hiſtoria cap. 52. ait: *Catholica, & generalia jejunia non licet ſolvere ſine ingenti neceſſitate: in quarta enim feria traditur Servator, & in paraſceve crucifigitur: qui ea ergo ſolvit; Servatorem una tradit, & una crucifigit*: quod poſt interpo-

la-

latum exſcripſit ſeculo x. Atto Vercellenſis Epiſcopus in ſuo Capitulari cap. 70., & xii., Ivo Carnotenſis Antiſtes in Decreto par. 4. cap. 32., nec non Gratianus c. *Jejunia* de Conſecr. d. 3., etſi corrupte ex dictis *S. Apollonii*: ut alios omittam, qui apud alios rerum harum tractatores videri poſſunt; qui & arbitrantur alterum feriarum 4., *&* 7. *jejunium* penitus exoleviſſe, ſed ego non evanuiſſe, verum immutatum fuiſſe demonſtrabo.

IV. Primum tamen praemittendum eſt, ſeculo Eccleſiae quarto audiri coepiſſe *Sabbati jejunium*; ac in primis ex can. 26. Eliberitani Concilii tametſi ambiguae apud aliquos intelligentiae: *Errorem placuit corrigi; ut omni Sabbati die jejuniorum ſuperpoſitionem celebremus*: deinde ex Epiſt. SS. Hieronymi 28. ad Lucinium Baeticum, Auguſtini 86. ad Caſulanum, 19. ad Hieronymum, 1. Innocentii I. Papae ad Decentium Epiſcopum Eugub., & ex Caſſiani lib. 3. de Canonico Diur. Orat., & Pſal. modo cap. 10., ac Collat. xxi. cap. 27. Scribit quidem Hieronymus, *Hippolytum virum diſertiſſimum*, & carptim diverſos Scriptores e variis autoribus edidiſſe de *Sabbati jejunio*, & de Euchariſtia quotidie ſumenda; ſed cum virum diſertiſſimum ſolummodo, non Martyrem, non Epiſcopum appellet; & cum in lib. de Scriptor. Eccleſ., uti & Euſebius in Hiſt. lib. 6. inter Opuſcula *Mart. Hippolyti* illud de *Sabbati jejunio* non memoret; vereor, ne non idem & unus ſit, uti Baronius, aliique plures opinantur; nam ille *Martyr* floruit ſub initium ſeculi Eccleſiae tertii; quo tempore hoc Sabbati jejunium nondum invaluiſſe videtur colligi ex illis Tertulliani verbis lib. de jejuniis cap. 14., ubi contra Pſychicos effatur: *cur ſtationibus quartam, & ſextam Sabbati dicamus; & jejuniis paraſceven? quanquam vos etiam Sabbatum, ſi quando continuatis, nunquam niſi in Paſchate jejunandum ſecundum rationem alibi traditam*: docetque, tantummodo a Catholicis *Paſchale Sabbatum*, quod nempe Paſchatis diem praecedit, jejunio tranſigi: quod ſemper in univerſa Eccleſia obſervatum liquet ex multis, iiſque perantiquis diverſorum Autorum monumentis.

V. Scimus Nicolaum I. anno 867. Epiſcopis Galliarum dediſſe 70. Epiſtolam ſuper calumniis Photii, ac dixiſſe: *de jejunio Sabbati tempore S. Silveſtri Confeſſoris Chriſti ſatis diſcuſſum eſt, & diſputatum; atque, ut celebraretur, per omnia definitum: nulluſque poſt haec auſu temerario contra iſtud ſtatutum venire, aut ſal-*

ſaltem mutire praeſumpſit: quod exſcripſit & Petrus Damiani Epiſt. 39. lib. 6. ad ſuae Congregationis Eremitas, & in Vita S. Romualdi Abbatis; idque videri poteſt deſumtum ex Vita, actiſque *S. Sylveſtri Papae* Euſebio perperam aſcriptis; Ex his profecto Lupus in Scholiis ad can. 55. Trullanum exiſtimavit, Sylveſtrum Papam primum *Sabbati jejunium* inſtituiſſe. Verum quis non in dubium vocaverit Vitam, actuſque illos; aut potius falſitatis non poſtulaverit: quando nedum Hieronymum, & Auguſtinum latuerunt, ſed & Innocentium I. non longe a Sylveſtri aetate ſcribentes? quando non ſolum definitioni, ſtatutoque Sylveſtri non obtemperarunt plerique, verumetiam oppoſitum ſibi probari dixerunt; ut Auguſtino, qui ad Caſulanum Presbyterum reſcripſit: *ſentio ad ſignificandam requiem ſempiternam, ubi eſt verum ſabbatum, relaxationem, quam conſtrictionem jejunii aptius convenire*. Simeon plane Metaphraſtes, qui paulo poſt Nicolaum I. florebat, in Vita S. Sylveſtri Papae contrarium literis tradidit; ſcilicet decreviſſe eum, *ne jejunaretur Sabbatis* excepto uno, quo Chriſtus in ſepulchro fuit: & etiam S. Nilus junior Calaber negavit ſe credere, S. Sylveſtrum *Sabbati jejunium* praecepiſſe; ut Autor ejus Vitae apud Baronium habet ad ann. 980. num. 8.

VI. Quinimmo ſeculo XII. Jo: Beleth Divin. Offic. Explic. cap. 78., & inſequenti Durandus Mimatenſis Epiſcopus lib. 6. cap. 24. tradiderunt, *Melchiadem Papam*, & *Sylveſtrum* ejus ſucceſſorem ſtatuiſſe; *ut bis quoque Sabbato comederetur*: & inde *in redemptionem Sabbatorum* ortum habuiſſe *Sexageſimam*. Hinc neque libri Pontificalis Autor antiquus, neque Iſidorus Mercator, vel quis alius Decretalium Epiſt. Pontificum Rom. confictor tale commentum Sylveſtro legitur affixiſſe: ſed locus conjecturae eſt; Autorem illum Vitae S. Sylveſtri PP., qui paulo ante Nicolai I. tempora ſcripſiſſe videtur, memoria lapſum pro *Innocentio I.*, de quo Libri Pontificalis Autor habet: *hic conſtituit Sabbato jejunium celebrari, quia Sabbato Dominus in ſepulchro poſitus eſt, & Diſcipuli jejunarunt*: *Sylveſtrum I.* poſuiſſe. Sed quoquo modo incoeperit hoc *Sabbati* jejunium, (cum non defuerint, qui ipſum etiam haereſiarchae *Montano* attribuerint): illud eſt quidem certum, extitiſſe non univerſale; at *exceptis Romanis, & adhuc paucis Occidentalibus* a nemine ſervatum fuiſſe,

in-

inquit S. Auguſtinus Epiſt. 86. ad Caſulanum; qui & Epiſt. 19. ad Hieronymum inquirit, *tot Eccleſias Orientis, & multo majorem Orbis partem qua temeritate criminabimur jejunium Sabbati* non tenentem? Certe S. Iſidorus Hiſpalen. lib. 1. de Divin. Offic. cap. 42. *Sabbati* die prodit jejunari tantum *a pleriſque* nimirum in Hiſpania, ac Occidente: & Conventus Aquiſgranen. an. 817. c. 77. ſtatuit: *ut Fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepta ſexta feria, & diebus octo ante Natale Domini, & a Quinquageſima uſque ad Paſcha*: igitur Monachi *Sabbato* non jejunabant ſemper, quod confirmat idem Auguſtinus Epiſt. 86. illis verbis: *Si & quater, vel etiam ut nullus dierum excepto Sabbato, & Dominico praetermittatur; in hebdomade quinquies jejunetur: quod multi in vita ſua faciunt maxime in Monaſteriis conſtituti &c.*

VII. Cum igitur ultra quartum Eccleſiae ſeculum nonniſi duo jejuniorum genera obtinuerint, reperianturque, *Quadrageſimae* unum, alterum vero *feriarum quartae, ſextaeque*, quae ubique, ac ſemper ab omni Eccleſia tum Orientali, tum Occidentali obſervabantur: cumque primum ex S. Leonis I. Pontificis, qui ab an. 440. ad an. uſque 461. regimen Eccleſiae Romanae tenuit, ſermonibus *Quatuor temporum* jejunium nobis innoteſcat maxime ex 8. ſermone decimi menſis, dum inquit: *ſiquidem jejunium vernum in Quadrageſima, aeſtivum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale in hoc, qui eſt decimus, celebramus*: nec amplius in Eccleſia Latina, potiſſimumque Romana legatur obſervatum *feriarum* 4. & 6. jejunium hebdomaticum, ſed trimeſtre hoc, quod in Occidentali, Latinaque ſolum Eccleſia conſtat obtinuiſſe, nunquam vero in Graeca, Orientalique: perſpicue quoque conſtare poterit, *Quatuor temporum* jejunium & paullo ante Magni Leonis tempus, ac Pontificatum initium habuiſſe ab Romanae Eccleſiae Pontifice; &, ut conjectura aſſequi poteſt, a *S. Caeleſtino I.*, qui biduum jejunium hebdomaticum, ſeu feriarum *quartae*, & *ſextae* cujuſcunque hebdomadis praeter Pentecoſten convertit in biduum trimeſtre, ſive ut ſingulis tribus menſibus feria *quarta*, & *ſexta* jejunaretur.

VIII. Etenim cum Autor libri Pontificalis in *Calliſto I.* habeat: *hic conſtituit jejunium ter in anno fieri frumenti, vini, & olei gratia ſecundum prophetiam*: & ex hucuſque dictis appareat

Cal-

Calliſto Papae ejuſmodi conſtitutum convenire non poſſe; quod antiquorum nemo, qui de jejuniis Eccleſiae ſcripſerit, hujus jejunii uſque ad tempora S. Leonis Papae mentionem faciat: conjectare licet pro *Caeleſtino* Calliſti nomem obrepſiſſe; quemadmodum non ſemel in hoc, ſimilibuſque fieri uſu evenit: ſic namque c. *Nullus Primas* 9. q. 2. a Gratiano tribuitur & *Calliſto*, & *Caeleſtino PP.*, & in Conciliorum Collection. extat in Epiſt. 2. *Calliſti I.*, & etiam inter *Caeleſtini I.* decreta: & ſane memoratus libri Pontificalis Autor ſcribit, Caeleſtinum I. *multa conſtituta* feciſſe. Nec eſt, quod quis adducat antiquius *Chronicon* Rom. Pontificum, quod in Felice III. al. IV. deſinit, utpote Calliſto I. idipſum tribuens, inquienſque ſanxiſſe eum, *jejunium die Sabbati ter in anno fieri*: quandoquidem ab antiquiori illo liquet Autorem libri Pontificalis ſolitum exſcribere, interpolare, & ipſum etiam adaugere. Praeterea S. Leo Papa ſerm. IX. de jejunio *ſeptimi menſis* inquit: *quod enim dudum & traditio decrevit, & conſuetudo firmavit; nec eruditio ignorat, nec pietas praetermittit*: igitur ſi *dudum* dicitur teſte Laurentio Valla de exiguo tempore, ac de eo, quod paullo ante factnm eſt; manifeſtum fit quoque jejunium 4. *Temporum* paullo ante Leonis I. Pontificatum exordium habuiſſe. Hujus autem immutationis, imminutioniſque jejunii cauſſa fuiſſe potuit ea, quam Jo: Caſſianus Collact. XXI. cap. 30. de cauſſa, initioque *Quadrageſimae* retulit his verbis: *Cum ab illa Apoſtolica devotione deſciſcens quotidie credentium multitudo ſuis opibus incubaret, ne eas uſui cunctorum fidelium ſecundum Apoſtolorum inſtituta divideret; ſed privatim impendiis ſuis conſulens non ſervare tantum, ſed etiam augere contenderet. . . id tunc univerſis Sacerdotibus placuit, ut homines curis ſecularibus illigatos. . . ad opus ſanctum canonica jejuniorum indictione revocarent; & velut legalium decimarum neceſſitate compelleret.*

IX. Erit tamen, qui quaerat; quandoquidem dictum eſt, biduum jejunium, quod olim *hebdomaticum* erat, *trimeſtre* nunc haberi; an primitus jejunium hoc *trium* temporum anni, vel *quatuor* extiterit: ſive an tribus, vel quatuor trimeſtribus abſolveretur in anno; idque propintereaquod Liber Pontificalis de Calliſto I. tradit: *hic conſtituit jejunium ter in anno fieri &c.*, & quanquam aliqui legendum dixerint, legantque, *quater in anno*; eſt

ra-

tamen id contra vetuſtiſſimos codices; cum & antiquius Chronicon, quod numero praecedenti productum eſt, ipſum etiam habeat: *ter in anno*: ſed & Epiſtola 1. eidem Callisto I. ſuppoſita nonne refert: *jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didiciſti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus?* erat igitur antea jejunium *trium* temporum, cui Calliſtus *quartum* intervallum addidit; uti ſentit ſupra memoratus Bellarminus, quippe qui praedictae Epiſtolae fidem adhibuit. Et licet his, quae attulimus, Chronicis Rom. Pontificum, ac Pontificiae Epiſtolae nunc plures non credant, naucique faciant eruditi; noſque diximus, *Calliſto I.* id jejunii genus adſcribi non poſſe: tamen inſtitutori primo, quem autumavi Caeleſtinum I., adjudicari poſſent *tria* temporum intervalla; & *quartum* alteri Pontifici, ſupple *Gelaſio I.* Certe Leo Magnus praeter jejunium *Quadrageſimale tria* tantum celebrat ſermonibus *jejunia Pentecoſtes, ſeptimi, & decimi menſis;* non autem illud *primi menſis*, quod erat alterum 4. temporum intervallum. At incidit, miſceturque cum jejunio *Quadrageſimae:* Ita quidem; utriuſque tamen mentio fieri poterat, uti modo fieri conſuevit.

X. Deinde Gelaſius I. Papa Epiſt. ad Brunduſinos, quibus Julianum Epiſcopum conſtituit, & in *Conſtituto* pro Epiſcopo inter alia illi praecepiſſe ſcribit: *ut jejunio quarti, ſeptimi, & decimi menſis veſpere Sabbati Presbyteros, atque Diaconos ordinandos eſſe cognoſcat*: en jejunium *trium Temporum* anni. Poſtmodum anno 494. Epiſtolam IX. dedit Epiſcopis Lucaniae, Brutiorum, & Siciliae, qua n. 1. ſignificat, *ſe Canonum paternorum decreta librare, & retro Praeſulum, deceſſorumque* ſuorum *praecepta metiri;* quae tamen neceſſitate temporum temperari poſtulabant; praeſertim *in reparandis militiae Clericalis officiis, quae per diverſas Italiae partes ita belli, famiſque conſumpſit incurſio; ut in multis Eccleſiis uſquequaque deficiente ſervitio Miniſtrorum, niſi remittendo pauliſper Eccleſiaſticis promotionibus antiquitus intervalla praefixa, remaneant ſacris Ordinibus Eccleſiae funditus deſtitutae &c.*, mox n. 2. ſubdit. *Priſcis igitur pro ſui reverentia manentibus conſtitutis .... tam inſtituendi, quam promovendi Clericalis obſequii ſic ſpatia diſpenſanda concedimus &c.*, tum n. 11. *ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum niſi certis temporibus, & diebus exerceri non debent, ideſt quarti menſis jejunio, ſepti-*

ſeptimi, & decimi; ſed etiam Quadrageſimalis initii, ac medianae hebdomadae die Sabbati jejunio circa veſperam noverit celebrandas: en *quartum* 4. Temporum intervallum nempe *Quadrageſimalis initii*, quo & jejunium 4. Temporum celebratur, a *S. Gelaſio PP.* additum ſaltem pro ſacris Ordinationibus. Quod quidem etſi, (ut & hoc fatear,) non multum cogit, nec ſatis probat; locum tamen conjecturae praebet.

XI. Alterum igitur inquiri poteſt; an olim *tridui* jejunium, uti nunc fit; an vero *bidui* tantummodo ſingulis haberetur trimeſtribus: nam S. Leo I. in omnibus fere ſermonibus jejunii *trium* temporum *Pentecoſtes, ſeptimi, decimique* menſis hanc clauſulam adhibere ſolet: *Quarta igitur, & ſexta feria jejunemus; Sabbato autem apud B. Petrum Apoſtolum vigilias celebremus &c.* non ergo *Sabbato* jejunabatur; ſed *vigilia* fieri conſueverat; cui poſt plures annos ob quaedam, quae minus decenter patrabantur, antiquatae, ſublataeque *jejunium* eſt ſubrogatum. At dicat aliquis: quomodo iſthaec erant, ſi Socrates lib. 5. cap. 21. affirmat: *Romae ſingulis Sabbatis* jejunari: & Innocentius I. Epiſt. 1. ad Decentium Epiſcopum *Sabbato* jejunandum eſſe? ita ſane; ſed etiam ille ipſe Socrates eodem loco perhibet: *qui Romae ſunt, tres continuas hebdomadas ante Paſcha exceptis Sabbato, & Dominico die jejunant*: quod, ut ſolet, exſcripſit Nicephorus Calliſti lib. 12. cap. 34., & iſta nihilominus mihi ſecum pugnare minime videntur: quoniam erat & jejunium Apoſtolicae *traditionis*, & jejunium *liberae* obſervationis; illud quartae, ſextaeque feriarum traditionis erat; alterum vero Sabbati libertatis: illud antiquum, univerſale, ac omnium Eccleſiarum; iſtud vero novum particulare, ac Romae tantum, paucarumque Occidentis gentium: propterea S. Leo commemorat, praedicatque *traditionis* jejunium veluti commune, atque praeceptum; non illud *libertatis*: & Socrates primo loco loquitur de jejunio *liberae* obſervationis; ſecundo autem loco de illo *traditionis*: Quod ego non ambigo, quin Quadrageſimali tempore etiam Romae nec ſemper, nec ab omnibus obſervaretur; cum S. Auguſtinus Epiſt. 86. dicat de *Sabbati* jejunio; *quod frequenter Romana plebs facit: frequenter* autem non eſt idem, ac ſemper; & *plebs* non tota Civitas, ſed pars, & quidem infima Civitatis agnoſcitur.

XII. Caeterum idem Leo Magnus aliquando, & a nonnul-

lis,

Digitized by Google

lis, iiſque potiſſimum, qui Clero nomen dederunt, *Sabbati* jejunium agi confitetur; uti quum Epiſt. 11. al. 81. ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum praeſcribit: *ordinationem Sacerdotalem, vel Leviticam poſt diem Sabbati ejus noctis, quae in prima Sabbati* (ideſt die Dominica) *luceſcit; cui a veſpera Sabbati initium conſtat adſcribi*, celebrari ſolitam a Patribus; *in quibus his, qui conſecrandi ſunt, jejuniis, & jejunantibus ſacra benedictio conferatur*: At id non ſemper, nec ab omnibus peractum, elicitur ex c. *De eſu carnium* d. 3. de Conſecratione, ubi hoc *Leonis IV.* decretum refertur: *De eſu carnium apud nos vetuſtiſſima, & non improbanda traditio ſemper eſt tenenda; ut a coenae termino, quae fit in principio noctis quartae feriae, quae luceſcit in quarta feria uſque in diluculum quintae feriae; & ſimiliter a coena noctis ſextae feriae, quae luceſcit in ſexta feria, non imperite jejunatio uſque ad Sabbati lucem; quantum de diei parte aliquis jejunare maluerit, vel debuerit; protendatur*: & licet Gratianus id tribuat *Leoni IV.*, ex ſtylo tamen, & argumento evincitur eſſe *Leonis M.*, & notam hanc *M.* a Scribis imperite, & oſcitanter verſam eſſe in numeri *IIII.*, vel *IV.* notam. Neque enim Leonis IV. temporibus jejunium *feriae quartae*, & *ſextae* uſitatae traditionis, ac conſuetudinis erat; ſed nec Leonis M. aetate: cum, quemadmodum oſtenſum eſt, tranſmutatum antea fuiſſet in jejunium trium, vel 4. *temporum*; quod hoc loco deſcribi videtur a S. Leone, & quidem *bidui*, non autem *tridui* jejunium; ideoque *Sabbato* minime jejunium Romae fuiſſe traditionis, ſed libertatis; ut numero praeterito explicavi.

XIII. Quare quod idem Leo Magnus in fine ſermonis 4. *Quadrageſimalis* jejunii appoſuerit, ſive legatur ibi: *ſecunda igitur, & quarta, & ſexta feria jejunemus: Sabbato autem apud B. Petrum Apoſtolum vigilias celebremus &c.* quamvis in pluribus antiquis Codd. MSS. non haberi dicat Queſnellus diſſert. IV. *de jejunio Sabbati*; non ſatis tamen diſpicio, cur verum eſſe nequeat, & quod ibi in vulgatis habetur; & quod de Quadrageſimali jejunio Romanorum aſſerit ſupra n. 11. relatus Socrates; cum & iſte Scriptor, & Sozomenus eodem tempore ſcribentes probe conveniant de varia *jejunii Quadrageſimalis* in diverſis Regionibus conſuetudine. Nec video, cur Romae jejunium Quadrageſimae, quod alibi varium erat, ibi quoque interdum variari

riari nequiverit; & tres continuas ante Paſcha hebdomadas exceptis Sabbatis, Dominiciſque diebus jejunari; alias vero hebdomadas intermiſſe *ſecunda, quarta, & ſexta* feria tantum jejunio tranſigi ſecundum id, quod ait Sozomenus lib. 7. cap. 15. *alii ſparſim tres* (dies) *intra ſex, aut ſeptem iſtas* (hebdomadas) *jejunant*. Nam & in ſermone 34. de *Quadrageſima* inter Opera S. Ambroſii, eſtque 65, ſermo S. Caeſarii Arelaten. Epiſcopi, qui initio ſeculi VI. ſedebat, legimus: *Audio complures, quod gravius eſt, fideles alternis in Quadrageſima hebdomadis abſtinere; & conſecratum illum dierum numerum gula intemperanti violare, hoc eſt prandere ſeptem dierum curriculo; & ſeptem dierum ſpatio jejunare*: quapropter & multo magis alternis hebdomadae diebus idipſum evenire poterat ſecundum aut locorum, aut perſonarum, temporumque neceſſitatem etiam Romae.

XIV. Quam quidem in rem commemorare praeſtat varium *Quadrageſimalis* jejunii modum antiquorum in *Quadrageſima*, *Quinquageſima*, *Sexageſima*, & *Septuageſima*. Porro Quadrageſimae ſex hebdomadibus concluſae meminit Caſſianus ante an. 429. ſcribens Collat. XXI. cap. 27. his verbis: *hi enim ſex hebdomadarum obſervantiam praefixerunt, qui putant die quoque Sabbati jejunandum*: meminit & Quinquageſimae ſeptem hebdomadibus conflatae cap. 28., & cap. 24., ac 25. de varia *Quadragesimae* obſervatione. Sed adductus paulo ante ſermo 34. S. Caeſarii Arelaten. Epiſcopi haec habet: *Nonnulli Chriſtianorum fratres exiſtimantes ſe Divinitatis praecepta religioſius obſervare praetermiſſa devotione Quadragesimae, cujus hodie curamus exordium, Quinquageſimam ſe facere mentiuntur: cum id neque Divinis literis jubeatur; neque traditum ſit auctoritate majorum. Sola igitur hoc faciunt animi praeſumptione: & dum putant ſe devotius agere, ſuperſtitioſius converſantur. Dicit ſe obſervare Quinquageſimam, qui forte Quadrageſimam implere vix poſſit*. Etiam Aurelianenſe I. Concilium anno 511. can. 26. inquit: *id a Sacerdotibus omnibus eſt decretum; ut ante Paſchae ſolemnitatem non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneatur:* uti & Aurelianenſe IV. an. 541. can. 2. *Hoc etiam decernimus obſervandum; ut Quadrageſima ab omnibus Eccleſiis aequaliter teneatur; neque Quinquageſimam, aut Sexagesimam ante Paſcha quilibet Sacerdos praeſumat indicere: ſed neque per Sabbata abſque infirmitate quiſpiam ſolvat Quadra-*

dra-

Digitized by Google

dragesimae jejunium; *niſi tantum die Dominico prandeat &c.*

XV. Quae autoritates plane decreta, ut volunt, & *Teleſphori*, & *Melchiadis* Papae de *Quinquageſima*, *Sexageſimaque* explodere videntur: etſi illud *Teleſphori* firmari poſſit ſermone de *Dominica Sexageſimae* inter Ambroſianos, qui a nonnullis S. Caeſario ſupramemorato contribuitur; referturque c. *Quadrageſima* d. 4. per Gratianum; *Quadrageſima ſex ſeptimanas habet; cui addidit Teleſphorus Pontifex ſeptimam hebdomadam; & vocatum eſt hoc tempus Quinquageſima &c.*, ſed cum haec verba pugnet cum 34. ſermone proximo numero relato; nequit hic ſermo S. Caeſario adſcribi; ſi quidem alter ejus eſt. Deinde c. *Denique Sacerdotes* eadem d. 4., quod fertur eſſe *B. Gregorii* Auguſtino Anglorum Epiſcopo ſcribentis; jubet Clericos jejunium a *Quinquageſima* inchoare, ut hoc etiam Laicos praecellant, nulla *Teleſphori* mentione facta. Et ſane Chronicon Euſebii, ſive verborum adjunctor in ejus Chronico id ſolum habet, ſanxiſſe eum *jejunium Quadrageſimale*. Autor vero libri Pontificalis adjecit, ſtatuiſſe *ſeptem hebdomadibus* jejunium Quadrageſimale fieri; & alter Epiſtolae 1. ipſi Teleſphoro adjudicatae confictor pro ſolis *Clericis* ſeptem *hebdomadas plenas* conſtituiſſe dicit: antiquus etiam Ordo Romanus, & Amalarius Metenſis lib. de *Eccleſiaſticis Officiis* inter Opera Alcuini Teleſphoro Papae affingunt *Quinquageſimae* inſtitutionem pro *Clericis*; aliique poſt iſtos: cum potius *Gregorio M.* videatur adſcribenda ex his, quae proxime dicta ſunt: quanquam *Clericorum* Quinquageſima alia erat ab illa univerſae Eccleſiae; illa 36. dies jejunii continebat; iſta 43., nam in illa & *Sabbati*, & *Dominici*, in iſta vero *Dominici* tantum dies ſubtrahebantur a jejunio: & hoc Clerici Laicos etiam praecellebant longiori nempe jejunio.

XVI. Item *Sexageſimae* non ſolum Aurelianenſe IV. Concilium paullo ante commemoratum mentionem facit; ſed & antea S. Hieronymus Epiſt. 28. ad Lucinium inquiens: *Nec hoc dico, quod Dominicis diebus jejunandum putem; & contextas ſexaginta diebus ferias auferam*: etſi Maurini Monachi *quinquaginta diebus* legant, nulla variantis lectionis mentione facta: ferturque inſtitutio *Miltiadis Papae*, de quo Pontificalis libri ſcriptor habet: *Hic conſtituit, ne ulla ratione die Dominica, aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret: quia eos dies Pagani quaſi*

ſacrum jejunium celebrabant: *Sabbatum* omittitur, ut puto; de quo nulla erat cum *Paganis* in jejunio conventio; nam eo die non jejunabatur in *Sexageſima*. Siquidem & Joannes Beleth Pariſienſis in Explicat. Divin. Offic. cap. 78., & Durandus Mimatenſis Epiſcopus Ration. Divin. Offic. lib. 6. cap. 24. ſcripto tradiderunt, *Melchiadem Papam*, nec non S. Sylveſtrum decreviſſe; *ut bis quoque Sabbato comederetur*; quod eſt ne jejunaretur; & exinde *in redemptionem Sabbatorum* exortam eſſe *Sexageſimam*; qui quidem Durandus addit, a *Sexagesima* Graecos inchoare Quadrageſimale jejunium; alia tamen ratione, ac modo id agunt Graeci, & Orientales, atque Latini olim Sexageſimam. Duranti porro verba ſunt: *Regulares incipiunt jejunare a Septuageſima*; *Graeci a Sexagesima*; *Clerici a Quinquagesima*; *tota militia Chriſtiana a Quadragesima additis quatuor diebus hebdomadae praecedentis*: ita ſuo tempore. Autor etiam, quem dixi, libri de *Eccleſiaſticis Officiis* Amalarius IX. ſeculo ſcribens *Sexageſimae* inſtitutionem *Melchiadi Papae* attribuere videtur; ſed alia de cauſa, ac velint Jo: Beleth, & Gulielmus Duranti; quos adire quiſque poterit.

XVII. *Septuageſimae* demum nominatio mihi primum occurrit (ut omittam quorundam Orientalium, ſeu Armenorum *Septuageſimam* προφονεσιμον dictam) ex Epiſtola Caroli Magni ad Alcuinum Flaccum ſcribentis: *Septuageſima, ut aeſtimamus, propterea ab aliquibus obſervatur; ut & decimas dierum Domino dare queant; & prima, vel quinta, nec non eſt ſeptima feria jejunium ſolvere poſſint. A Septuageſima uſque ad Paſcha ſunt novem hebdomadae, quae faciunt dies ſexaginta quatuor: e quibus ſi de unaquaque hebdomada tres praefatos ſubtraxeris dies, & Paſchalem ſacratiſſimum; triginta ſex in obſervantia remanent dies*: quod ipſum habet & incerti Autoris *ſermo*, quem ſupra retuli, *de Sexageſima* inter Ambroſianos publicatus. Mihi tamen maxime probatur; quemadmodum a Quadrageſima *Dominicae* dies tantum ſubtrahuntur; & a Quinquageſima *Dominicae*, & *Sabbata* teſte laudato paulo ſuperius Caſſiano; ita e Sexageſima tres dies *Dominicae*, *Sabbata*, *& quintae feriae* ſubtraherentur, & e Septuageſima quatuor dies; & tres dumtaxat feriae *ſecunda*, *quarta*, & *ſexta* jejunio addicerentur. Qui jejunandi mos viguit olim etiam in Gallia, cum in Turonenſi II. Concilio an. 567.

can.

can. 17. dicatur: *De jejuniis vero antiqua a Monachis inſtituta ſerventur... Poſt Epiphania vero uſque ad Quadrageſimam ter in ſeptimana jejunent*: & ad alia anni tempora tranſlatus fuerit jam antea a S. Perpetuo Turonenſi Epiſcopo, de quo Gregorius Turonen. lib. 10. cap. 31. prodit, a *S. Martini* depoſitione uſque ad Natalem Domini *terna in hebdomada* inſtituiſſe *jejunia*; quod poſtmodum Concilium Matiſconenſe I. anno 581. innovavit can. 9. decernens: *Ut a feria S. Martini uſque ad Natale Domini ſecunda, quarta, & ſexta Sabbati jejunetur; & ſacrificia Quadrageſimali debeant ordine celebrari*.

XVIII. Idque eſt, quod exhibet ſermo 4. *Quadrageſimalis* jejunii a S. Leone Papa ſub initium jejunii recitatus, & ſupra n. 13. productus: ſuſpicarique licet, id temporis Romanos Quadrageſimale jejunium a *Septuageſima*, non quae hodie hoc nomine venit hebdomada; ſed a ſeptuageſima die ante Paſcha, ſive ab hebdomada ante hodiernam *Septuageſimam* incoepiſſe: & ſeptem hebdomadibus tres dies 2. 4. & 6. ferias quaque hebdomada jejunaſſe; reliquis vero tribus hebdomadibus ante Paſcha quacunque die, exceptis *Sabbato*, & *Dominico* jejunium peregiſſe: atque ita 36. *dies* uti decimam totius anni Deo debitam jejunio perſolviſſe: ut eſt a Caſſiano Collat. 21. cap. 27., & a Gregorio Magno hom. 16. in Evang. obſervatum. Nam praedictus Caſſianus affirmat, tam qui ſex hebdomadas, ſeu Quadrageſimam; quam qui ſeptem, ſive Quinquageſimam jejunabant, ſolos 36. jejunio tranſegiſſe dies; quod illi *Dominicas* tantum; iſti *Dominicas*, & *Sabbata* detraherent: concluditque cap. 28. *una ergo, quemadmodum diximus, ratio, idemque eſt jejuniorum modus; licet in hebdomadarum numero diſcrepare videatur*. Non igitur improbanda videtur Socratis adducta n. 11. lectio, cum poſſit eſſe vera: ſicut & altera Sozomeni, quam Queſnellus, aliique contra proferre ſolent; quum ille lib. 7. cap. 19. aſſeruit: *in urbe Roma nec Epiſcopus, nec alius quiſquam in Eccleſia populum docet*: propterea quod Hiſtoriam ſuam cum Scriptor iſte perduxerit uſque ad annum 439., quo & vivebat, ſcribebatque; & *S. Leo Papa* anno 440. ſedere coeperit: veriſimile eſt, ipſum fuiſſe Romanorum Pontificum primum, qui *ſermones* orſus ſit habere in Eccleſia: & ſane nullius Rom. Antiſtitum ante eum Sermones habemus; cum tamen quorundam habeamus & Epiſto-

las, & Decreta, & Carmina. Sic etiam *Alexandrinus* Epiſcopus ſeculo praecedenti ſolum in Eccleſia ſermocinari coepit, ex quo Arius falſa dogmata ſpargere tentavit eodem Sozomeno teſte.

XIX. Objicient tamen adverſus ea, quae dicta ſunt n. 7., ſeculo Eccleſiae V. *Quatuor temporum* conſtituto jejunio, non ultra Latina in Eccleſia obſervatum inveniri hebdomaticum jejunium *quartae, & ſextae feriae*. Nam Ferrandus Diaconus Carthagin. cap. 29. Vitae S. Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis, qui initio ſeculi VI. ſedebat, inquit: *Fulgentius per ſingulas ſeptimanas omnes Clericos, & Viduas, & quicunque potuiſſet ex Laicis, quarta, & ſexta feria ſtatuit jejunare*: & inſequenti ſeculo S. Aidanus Epiſcopus Lindisfarnen. ejuſdem jejunii conſuetudinem in Angliam Saxonicam introduxit; uti ſcribit Beda lib. 3. cap. 5. Sed & Conventus Aquiſgranenſis anno 817. pro Monachis habitus c. 18. ſtatuit: *Ut quarta, & ſexta feria jejunantes ante nonam, aut poſt nonam, ſi neceſſitas fuerit, juxta Prioris arbitrium levia opera exerceant*: praeter Attonem Vercellen., & Ivonem Carnoten. Epiſcopos, atque Gratianum Monachum ſupra n. 3. recitatos, qui hujuſce jejunii genus admittunt.

Reſpondetur, quoſdam quidem uti SS. Fulgentium, & Aidanum tentaſſe veterem, & antiquatum jejunii bidui *feriae 4. & 6.* revocare morem, ejuſque uſum reſtituere; ſed parum obtinuiſſe; cum S. Iſidorus Hiſpalen. Epiſcopus lib. 1. Divin. Offic. cap. 42. teſtetur: *omnis ſexta feria propter paſſionem Domini a quibuſdam jejunatur: ſed & Sabbati dies a pleriſque*: nulla *quartae feriae* mentione facta; & Nicolaus I. in reſcripto ad Bulgarorum conſulta c. 4. & 5. jejunia Eccleſiae recenſens *feriae ſextae* quidem praedicet abſtinentiam, ac jejunium; ſed illud *feriae quartae* liberum eſſe dicat. Quoſdam vero uti Monachos devotionis potius gratia jejunaſſe, quam traditionis, aut praecepti. Alios tandem ut Attonem, Ivonem, & Gratianum aliorum dicta referre magis, quam propria ſtatuere, ut n. 3. viſum eſt.

XX. Objicient etiam contra id, quod n. 7. & 8. eſt conſtitum; 4. *Temporum* jejunium eſſe non poſſe a Caeleſtino I. Papa: ſiquidem & Baronius, & Bellarminus, aliique fere omnes iſtud affirmant eſſe *inſtitutionis Apoſtolicae*; idque perſpicue doceri a Magno Leone ſerm. 9. 13. & 71., quorum in primo *decimi menſis* jejunium vocat tempus *Apoſtolicis traditionibus conſecra-*

ſecratum: & in altero dicit: *Sancti Patres noſtri divinitus inſpirati decimi menſis ſanxerunt jejunium*: in ultimo vero de jejunio *Pentecoſtes* ait ipſum *ex Apoſtolica traditione* ſubſequi: igitur non a Calliſto, ut veteres; neque a Caeleſtino PP., ut nos contendimus, jejunium iſtud prodiit.

Reſpondet P. Lupus in Schol. ad Concilium Florentinum Victoris II., exipſomet Leone M. intelligi, quid velit S. Pontifex illis verbis, dum ſermone 42., qui eſt 2. de jejunio Pentecoſtes, inquit: *dubitandum non eſt, omnem obſervantiam Chriſtianam eruditionis eſſe divinae; & quicquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt devotionis receptum, de traditione Apoſtolica, & de S. Spiritus prodire doctrina*: uti & ſerm. 76., proindeque Leonem diſtinguere jejunium, & dies fixos, ſtatoſque; illud aſſerere traditionem Apoſtolicam; hos vero manentem inde Eccleſiarum conſuetudinem. Deinde eſt ſupra n. 7. oſtenſum, jejunium 4. *Temporum* idem eſſe atque illud vetuſtiſſimum feriarum *quartae, & ſextae*; niſi quod biduum illud ſingularum hebdomadarum dempta Pentecoſte verſum eſt in biduum ſingulis trimeſtribus faciendum: illud *Apoſtolicae* quidem *traditionis* erat, & de illo verba facit S. Leo; ſed iſtud eſt inſtitutionis Apoſtolicae ſedis Antiſtitis, nempe *Coeleſtini I.*, uti jam dictum eſt.

XXI. Objicient iterum ex Baronio ſub an. Chriſti 57. n. 207. aſſerente, 4. *Temporum* jejunia celebrari jam conſueviſſe IV. Eccleſiae ſeculo in Orientali Eccleſia; idque demonſtrari ex verbis S. Athanaſii in Apologia de fuga ſua; dum de aeſtivo jejunio Pentecoſtes fieri ſolito commeminit ille dicens: *in hebdomade ſiquidem poſt ſacram Pentecoſtem populus completis jejuniis ad orandum ad coemeterium abiit*: ergo non a *Caeleſtino I.*, qui multo poſt Eccleſiam rexit, jejunium hoc exordium habere potuit.

Reſpondetur, S. Athanaſium Alexandrinum Praeſulem non loqui de 4. *Temporum* jejunio; ſed de antiquiori illo, ac primitivae Eccleſiae vetuſtiſſimo *feriarum quartae, & ſetxae* cujuslibet hebdomadis a Pentecoſte; qua peracta, (tempore cujus intervalli jejunare non oportebat) populus ad conſuetum bidui jejunium redibat; & ſingulis hebdomadibus peragebat. De quo ſimiliter ſermonem habere dicendum eſt Evangeliſtam Lucam Act. c. 27., quum ait: *jejunium jam praeterierat* hyemali tempore: uti & Tertullianum lib. contra Pſychicos cap. 13., non

autem de illo 4. anni Temporum; quando ſcripſit: *aſpice Judaicos Faſtos, & invenies nihil novum; ſi quae ſunt praecepta, omnis deinceps poſteritas haereditaria religione cuſtodit*: cum potius ille videatur indicare illud Lucae cap. 18. *jejuno bis in Sabbato*, ideſt in hebdomada: quandoquidem eo in libro ſaepe ſaepius commemorat jejunium *quartae, & ſextae feriae*; at nunquam illud *Quatuor temporum*.

XXII. Objici quoque poteſt contra id, quod eſt n. 18. dictum; conjici nimirum poſſe, Romanos Leonis I. temporibus jejunium Quadrageſimale exorſos eſſe a *Septuageſima &c.*, nam Sozomenus, qui eodem tempore, quo S. Leo M., florebat, lib. 7. cap. 17. haec habet: *Quadragesimam, in qua populus jejunat, alii in ſexdierum ſeptimanis computant, ut Illyrii, & qui ad Occidentem ſunt, nec non & univerſa Lybia, & Aegyptus cum Paleſtina: alii in ſeptem, ut Conſtantinopolitani, & Nationes circumjacentes uſque ad Phoenices &c.* Romani autem ad Occidentem ſunt poſiti comparate ad locum, ubi Sozomenus morabatur: igitur *non a Septuageſima* jejunium Quadrageſimale inchoabant, ſed a *Quadrageſima* ſex hebdomadarum.

Reſpondetur, partim verum eſſe, quod tradit Sozomenus; partim vero falſum: verum quidem in Occidente multos jejunium Quadrageſimale in *ſex dierum hebdomadibus* computaſſe; ſed falſum, omnes idipſum praeſtitiſſe: in ipſa Italia, ac *Mediolanenſi* Eccleſia, Dioeceſique, quae tunc latiſſime patebat, nec die *Dominica*, nec *Sabbato* jejunabatur; uti legimus apud SS. Ambroſium, & Auguſtinum: qui autem eos dies e jejunio ſubtrahebant, *Quinquageſimam* ſeptem hebdomadibus conflatam jejunabant; ut oſtenſum eſt ſupra n. 14. & 15. ex Caſſiano, qui lib. 3. de Canon. Diur. Orat., & Pſal. modo cap. 9. & 10. parum ſibi probari videtur *Sabbati* jejunium Romanorum; ut & Auguſtino Epiſt. 86. Deinde Sozomenus non agnovit *Sexagesimam*; quam tamen paulo ante eum meminit Hieronymus n. 16. relatus; & quam Miltiadem Papam invexiſſe plures conſcripſerunt.

XXIII. Objicient, inſtabuntque contra idem: Caſſianus, qui aetate Sozomeni in Gallia ſcribebat, Collat. 21. cap. 27. de jejunio *Quadrageſimae* inquit: *hi enim ſibi ſex hebdomadarum obſervantiam praefixerunt, qui putant die quoque Sabbati jejunandum*: at Romae potiſſimum *Sabbati* die jejunatum eſſe, teſtatur in pri-

in primis Epiſtola 1. S. Innocentii I. Papae, & S. Auguſtinus, & Caſſianus ſupra commemorati: igitur Romae per id tempus non *Septuageſima*, ſed *Quadrageſima* ſex hebdomadibus concluſa ſervabatur.

Reſpondetur, eos, qui *Sexageſimam* Melchiadis admiſerunt, ut Autor ſermonis de *Sexageſima* Dominica inter Ambroſianos, Carolus M. Epiſt. ad Alcuinum, Aenaeas Pariſien. Epiſcopus, aliique plures, exiſtimarunt in ea ipſa die *Sabbati* jejunium fuiſſe obſervatum; & tamen *Quadrageſima* ſex habdomadarum non erat juxta illos, & quidem Romae. Loquitur ergo Caſſianus de nonnullis Regionum Nationibus, ac ſuo tempore; non generatim de omnibus, de quibus & Socrates, & Sozomenus eodem tempore teſtantur in *ſex* etiam *hebdomadibus* varie peractum eſſe jejunium etiam ab iis, qui *Sabbato* non eſſe jejunandum aſſerebant, ut Graeci praeſertim, & Orientales; quemadmodum ſupra n. 13. eſt demonſtratum. Quod enim ait Socrates ibi: *qui Romae ſunt, tres continuas hebdomadas ante Paſcha . . . jejunant*: annon idem eſt; ac id, quod inquit Sozomenus: *alii tres* (hebdomadas) *Paſcha immediate praecedentes continuant?* Omitto, Caſſiani tempore fieri potuiſſe jejunium *Quadrageſimae* uno modo; tempore vero Leonis M. alio; ſcripſit enim Caſſianus ad 20. annos ante Leonis I. Pontificatum opus Collationum.

XXIV. Objicient tandem contra id, quod eodem n. 18. pronunciavi: *Sozomeni* lectionem non videri falſam, quum ait; in *urbe Roma* nec Epiſcopum, nec quemquam alium in Eccleſia populum docere: Nam S. Ambroſius lib. de Virginibus 3. refert *ſermonem* Liberii Papae habitum ab eo in die Natalis Domini in Eccleſia S. Petri; quem Baronius ad ann. 357. n. 76. vocat *homiliam ad populum* recitatam: fuit autem Liberius Papa ſeculo integro ante Leonem Magnum: igitur falſa eſt Sozomeni lectio.

Reſpondetur, eam nequaquam fuiſſe homiliam ad populum; ſed ſermonem a Liberio PP. factum in Eccleſia quidem S. Petri, ac in die Natalis Domini; verumtamen ad Marcellinam S. Ambroſii ſororem occaſione, qua illa ſpiritualibus ſe nuptiis Deo perpetua virginitate dicabat: quapropter ſubdit poſt enarratum ſermonem idem Ambroſius: *haec tecum ſanctae memoriae Liberius, quae apud alios majora verbis, apud te minora exem-*

plis &c. Ea igitur non ad populum de more dixit Liberius; ſed tantum occaſione conſecrationis Virginis; quod etiam ab aliis fieri conſuevit, & ſolet; qui tamen homilias, aut ſermones ad populum nunquam habuerunt, aut habent.

QUAESTIO V.

Quam fidei formulam Liberius PP. in exilio ſubſcripſerit, & quo anno.

I. QUO mihi Quaeſtionem iſtam nunc ſumerem examinandam, diſcrepantia Scriptorum effecit; qui quoniam eximiae ſunt auctoritatis, & magni nominis agnoſcuntur omnes; plus etiam difficultatis ſecum afferre videntur; ut quis quid verius ſenſerit; non ſatis adhuc quidam internoſcant. Scripſerunt enim plures hac de re non ſolum olim, ſed etiam prope noſtra tempora, ac in primis in Annalibus Eccleſ. Baronius & fuſe, & pro ratione temporum ſatis diligenter: poſt quem Petavius in Animadverſion. Euſebian. Valeſius in notis ad Socratem, & Sozomenum, ut & Pagius in Critica Baron. aliqua quidem obſervarunt, & caſtigarunt etiam, non ita tamen quin aliqua quoque in ipſis emendanda protulerint. Quod ut oſtendatur, inter omnes convenire ſcimus, certumque eſſe; anno aerae Chriſtianae 355. generale Mediolani coactum fuiſſe *Concilium*; idque ſub initium anni ipſomet Pagio teſte; cui Concilio interfuiſſe legimus Liberii Papae legatos, & eo ex coetu pulſos in exilium ab Arianis fuiſſe Catholicos Antiſtites, qui in Athanaſium ſubſcribere, eumque damnare renuerunt. Quo expleto, ac perpetrato, confeſtim Roma vi tractus Mediolanum eſt *Liberius* ad Imp. Conſtantium; ut & ipſe calumniis appetitum Athanaſium coram condemnaret: quod quia facere conſtanter recuſavit, poſt *triduum* Berrhoeam Thraciae relegatus eſt; atque, quantum conjectari licet, id ante diem IV. *Kal. Maii* anno 355. factum aſſevero.

II. Nam Marcellinus, & Fauſtinus Presbyteri Romani eo tempore viventes in libello ad Impp. de Schiſmate Urſicini narrata *Liberii* expulſione ſubdunt: *poſt annos duos venit Romam Con-*

Digitized by Google

Conſtantius; pro Liberio rogatur a populo: venit autem Conſtantius Romam IV. *Kalend. Maias* anno 357., ut habent Marcellinus Ammianus lib. 16. cap. 10., & Idacius in Faſtis; igitur ante eum diem 4. *Kalend. Maias*, ſive 28. Aprilis anno 355. Liberius in exilium truſus fuerat. Et quidem ipſe S. Athanaſius Epiſt. ad Solitarios inquit: *Liberius poſt exactum in exilio biennium inflexus eſt; miniſque mortis ad ſubſcriptionem inductus eſt*: ut & Apolog. 2., & Theodoretus lib. 2. cap. 17. *biennio dilapſo Conſtantius proficiſcitur Romam . . . illuſtres foeminae accedunt ad Imperatorem . . . orant, ut urbis Paſtore orbatae, & Luporum expoſitae inſidiis miſereatur. Quibus reſpondet Imperator; altero Paſtore Civitati opus non eſſe; quippe cum haberet unum, qui ei poſſet providere* (nempe *Felicem* intruſum). Sed cum mulieres ſignificarent Imperatori; neminem *ex habitatoribus Romae in Eccleſiam, dum ille intus erat, ingredi* voluiſſe: *qua de cauſſa ſic inflectebatur Imperatoris animus, ut Paſtorem illum longe praeſtantiſſimum Romam redire, & utroſque communiter inter ſe Eccleſiam illam regere iuberet*: atque quidem matronis Romanis ita reſpondiſſe Conſtantium Aug. Theodoretus habet. Sozomenus vero lib. 4. cap. 10., & poſt eum Nicephorus Calliſti lib. 9. cap. 35. ajunt populo pro Liberio ſupplicanti: *Imperator cum Epiſcopis re communicata redditurum ſe eis hominem pollicitus eſt, ſi in eandem cum Epiſcopis ſuis concederet ſententiam*.

III. Memorati tamen Presbyteri Marcellinus, & Fauſtinus addunt, Conſtantium populo Romano pro Liberio deprecanti dixiſſe: *habetis Liberium, qui qualis a vobis profectus eſt, melior revertetur. Hoc autem de conſenſu ejus, quo manus perfidiae dederat, indicabat*: igitur jam menſe Majo anno 357., quo Romae moram traxit Imperator, per literas is certior factus fuerat, Liberium aut ſubſcripſiſſe, aut ſubſcribere paratum iis, quae praeſcribebantur, & ob quae in exilium amandatus erat. Nam nedum eſt incertum, Liberium extorrem & *Sirmii*, & coram Imp. *Conſtantio* Arianorum ecthesi ſubſcripſiſſe; ſed mihi plane falſum: & ſi quoque id dare velim; Conſtantium tamen *Sirmii* fuiſſe menſe Junio, vel ſub initium Julii anno 357. clare literis mandavit Ammianus Marcellinus lib. 16., cum ait: IV. *Kalend. Junias ab urbe profectum per Tridentum iter in Illyricum feſtinaſſe*: moxque ex Gallia *Urſicinum ad ſe venire praecepiſſe*: & *ille*

ille literis gratanter acceptis Sirmium venit. Poſthac Mediolanum ſe contulit Conſtantius; ubi ex legibus promulgatis conſtat extitiſſe menſibus Novembri, atque Decembri; & exeunte anno *Sirmium* eſſe reverſum: non autem Roma Mediolanum recta petivit; ibique uſque ad anni finem permanſit Imperator; ut quidam arbitrantur ſed ſine monumentis. Eapropter recte laudati Presbyteri dixerunt: *tertio anno* (ideſt inchoato) *rediit Liberius, cui obvians cum gaudio populus Romanus exivit: Felix notatus a Senatu, & populo de urbe propellitur*: & Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. ſec. 4. c. 2. non male pronunciavit; vix *biennium in exilio* egiſſe Liberium, quando ejus conſtantia fracta eſt. Cum enim ille Romam redierit die 2. Auguſti anno 357., ieritque in exilium ante diem 28. Aprilis anno 355., *biennio* circiter cum *trimeſtri* extorris fuiſſe videtur: quando quidem creditur circa finem Aprilis an. 357. Arianis conſenſiſſe, & de ea re ad Imperatorem Romae commorantem m. Maio literas traditas eſſe: nonniſi tamen m. Julio permiſſus eſt Romam reverti, eoquod Romana Sedes occuparetur a *Felice*; quem Imperator, & Ariani extrudere noluerunt; ſed tandem convenerunt, ut uterque ſederet, atque regeret.

IV. Ut igitur falſum eſt, *Liberii* lapſum *Sirmii* contigiſſe, vel ſaltem incertum; ita quoque incertum, num iſtum aliqua in *Synodo* perpetratum, ajo. Et cum opponunt, hujus Synodi meminiſſe Philoſtorgium, & Sozomenum; & quae a Sozomeno lib. 4. cap. 14. referuntur, in Concilio Epiſcoporum facta fuiſſe; quippe & *formula fidei* dicatur ibi conſcripta ab Orientis, & Occidentis Antiſtitibus, quam Liberius ſubſcripſerit; & *Epiſtola* ab ipſis ad Felicem, Clerumque urbis Romae data; ut Liberium revertentem ſuſciperent; & ambo ſimul Epiſcopatum adminiſtrarent: quae putant nonniſi a Synodo decerni potuiſſe; cum Eccleſiaſticae repugnet regulae, in eadem Eccleſia duos una ſimul eſſe Epiſcopos: meminiſſe oportet, quid Photius in Bibliotheca ſcripſerit de Philoſtorgio; & Sozomenum, ut & Socratem, qui ſeculo ſequenti floruerunt, confundere acta Concilii Sirmienſis in cauſſa Photini, atque Oſii, ipſumque Sozomenum fateri cap. 5. & 18. lib. 4., ſe plura ſcribere, ut audierat; & de quibus varius erat rumor, ideoque non omnia, quae perhibet accipienda ut vera. Nam erroris eum redarguunt litterae

Libe-

Liberii ad *Orientales* Epiſcopos, quos quum imploret pro reditu ab exilio: *dignamini communi conſilio, ac ſtudio elaborare; quatenus de exilio jam dimittar; & ad ſedem, quae mihi divinitus credita eſt, revertar*: quod & ab Epiſcopis *Campaniae* deprecatur Epiſt. 10. ad Vincentium Capuae Epiſcopum: quumque addat; *Demophilum* Berrhoeae Epiſcopum, apud quem exulabat, *veram, & Catholicam fidem, quae Sirmii a pluribus fratribus, & Coepiſcopis noſtris tractata, expoſita, & ſuſcepta eſt*, (nempe anno 351., ut poſt videbitur) ſibi expoſuiſſe, eamque ſe admiſiſſe; *& literas ad haec ſuper nomine ejus*, (Athanaſii) *ideſt de damnatione ipſius per fratrem noſtrum Fortunatianum* (Aquilejen. Antiſtitem) *dediſſe perferendas ad Imp. noſtrum Conſtantium*: quis non videt, id in *Synodo* Orientalium praeſertim factum non fuiſſe; nec coram Imp. Conſtantio?

V. Idipſum ille ſcribit *Urſacio* Singedunenſi, *Valenti* Murſenſi, & *Germinio* Sirmienſi Epiſcopis: *& hoc etiam ſcire vos volo; quod fratrem Fortunatianum petii, ut literas meas ad Clementiſſimum Imperatorem perferat; quas ad Orientales Epiſcopos feci... quas credo, quod pietas ipſius pro bono pacis gratulanter accepit; quarum exemplar etiam Philagrio Imperatoris Eunucho prodat charitas veſtra ... Quapropter .. dignemini ad Clementiſſimum Imp. Conſtantium Auguſtum pergere, & petere; ut bono pacis, & concordiae, in qua pietas eius ſemper exultat, me ad Eccleſiam mihi divinitus traditam iubeat reverti &c.*, igitur cum Liberius & formulam fidei Sirmienſem ſuſcepir, ſubſcripſitque; & Athanaſium a communione Eccleſiae ſegregavit; non *Sirmii*, non in *Synodo*, non coram Imp. *Conſtantio* fuit, ſed in ſuo Berrhoeenſi apud Demophilum exilio. Veruntamen quum legati *Orientalium* Epiſcoporum; qui fuiſſe videntur Baſilius, Euſtathius, & Eleuſius, ac Leontius a laudato Sozomeno memorati; nec non *Occidentalium* nimirum Campaniae Antiſtites, quos Liberius rogaverat; Conſtantium Imp. adiiſſent; fieri quidem potuit id, quod idem Sozomenus affirmat: Liberium ab Imperatore Berrhoea Sirmium evocatum fuiſſe, ut ibi coram confirmaret, quae jam conſcripſerat; idque ſub initium circiter menſis Julii anno 357. Quo facto Epiſcopi, qui *forte ibi aderant*, ſcripſerunt *Felici, & Clero* Romano, *ut Liberium recipiant &c.*, non quidem per *Synodum*, ſed conſulto unanimi cum Imperatore, qui hoc ipſum Romae

mae

mae edixerat, ut ſupra vidimus ex Theodoreto: cui Imperatoris edicto cum populus in Circo repoſuiſſet: *unus Deus, unus Chriſtus, unus Epiſcopus*: ſubdit hic Autor: *quibus vocibus cum pietate, & juſtitia a pia plebe profuſis, rediit Liberius Epiſcopus*: non illico, ſed paulo poſt eodem anno.

VI. Similiter cum Liberius Epiſt. Urſacio, Valenti, & Germinio data dixerit: *cognoſcat prudentia veſtra, Athanaſium, qui Alexandriae Epiſcopus fuit, priuſquam ad Comitatum Sancti Imperatoris perveniſſem, ſecundum literas Orientalium Epiſcoporum ab Eccleſiae Romanae communione ſeparatum eſſe; ſicut teſtis eſt omne Presbyterium Eccleſiae Romanae: ſola haec cauſa fuit, ut tardius viderer de nomine ipſius literas ad fratres, & Coepiſcopos noſtros Orientales dare; ut Legati mei, quos ab urbe Roma ad Comitatum direxeram, ſeu Epiſcopi, qui fuerant deportati, & ipſi una cum his, ſi fieri poſſet, de exilio revocarentur*: elicimus, eum prius Athanaſium damnaſſe, quam Arianorum Ecthesi ſubſcripſerit: ſed quo tempore, non facile conjicio. Poſſit & antequam in exilium iret, & etiam in exilio poſitus feciſſe: ſiquidem potuit, cum juſſus eſſet Mediolanum ad Imperatorem ſe conferre, cum Romano Clero conveniſſe; ut ſi utrumque ſervare non poſſet & *Athanaſium*, & *fidem Catholicam*; Athanaſii communionem dimitteret, dummodo Arianorum fidei non accederet. Nam & in Epiſt. idem Liberius ad Conſtantium anno 354. ſcripſit; eius Legatos *ſe quidem ante ſuccumbere ſententiis Orientalium voluiſſe* (de ſubſcribendo contra Athanaſium); *propoſuiſſe tamen conditionem: ſi iidem Arii haereſim condemnaſſent; hoc genere ſe inclinandos eorum ſententiis obedire*: & in Dialogo ipſius cum Imperatore Mediolani anno 355., cum Imperator poſtularet, urgeretque eum, ut *Athanaſium* repudiaret, reſpondit Liberius: *At ego aequum cenſeo, ut prius proponatur generalis Epiſcoporum ſubſcriptio, qua fides in Concilio Nicaeno expoſita confirmatur; deinde ut fratribus noſtris ab exilio revocatis, & ad ſuas ipſorum ſedes reſtitutis; si iſti, qui nunc tumultus cient, fidei Apoſtolicae aſſentire comperiantur; tunc omnes contendamus Alexandriam, ubi reus &c.*, cui Imperator repoſuit: *Res, de quibus conſtituta eſt formula, infringi nequeunt; ſiquidem plurimorum Epiſcoporum rata debet eſſe ſententia*. Propterea cum nihil Imperator, & nihil Liberius obtineret; ivit is in exilium; ubi,

quan-

quantum conjectari licet, tentavit primum dimitti *Athanaſium* damnando; ſed tandem & Arianorum *formulam* admittere coactus fuit.

VII. Illud etiam, quod memoriae proditum a praedictis Scriptoribus accepimus; alteram Synodum *Sirmienſem*, in qua lapſus eſt *Oſius*, impiamque fidei formulam ſubſcripſit, habitam fuiſſe *anno* 357. in finem vergente, & *Conſtantio* Sirmii commorante; falſum utrumque exiſtimo. Quoniam pro comperto eſt, pulſo in exilium *Liberio* nihil potius habuiſſe Arianos, quam *Oſium* etiam perdere: ac proinde ſine mora apud Conſtantium egerunt, ut illum ex Hiſpania ad ſe vocaret; & ad ſubſcribendum ea, quae ipſi propoſuerant, compelleret: itaque Imperator arceſſit decrepitum ſenem Oſium; ſtatimque aut commiſeratione, aut ratione permotus eundem in patriam remittit: & cum ante diem 28. Aprilis anno 355. Liberius in exilium iverit, ut ſupra oſtenſum eſt; vero conſentaneum affirmo, paucis poſt menſibus *Oſium* ab Imperatore Mediolani conſtituto vocatum fuiſſe & forſan menſe *Iunio*. Et quia S. Athanaſius Epiſt. ad Solitarios tradit, paulo poſt Conſtantium ab Arianis inſtigatum iterum arceſſiſſe *Oſium, & pro exilio detinet illum integrum annum Sirmii nihil veritus impius Deum &c.*, quod factum conjici poteſt menſe *Septembri*, vel Octobri, aut etiam ineunte *Novembri* anno 355., cum hoc facinus urgerent Ariani: igitur expleto menſe Septembri, vel Octobri, vel etiam Novembri an. 356. *Oſius* eſt Sirmii lapſus, & alteram Arianorum formulam ſubſcripſit: Nec enim eſt, cur id ſerius ſtatuatur, & in annum 357. protrahatur.

VIII. Siquidem quod Baronius anno 357. n. 2. ſcribit: cum S. Hilarii Pictavien. aſſertione pateat, Sirmienſem Synodum celebratam eſſe *poſt triennium*, exquo Saturnino Arelatenſi Epiſcopo negata eſt a Catholicis Galliarum Epiſcopis communio; affirmare neceſſe eſt, eo ipſo anno eandem fuiſſe collectam; idcirco quod *Saturnini* apoſtaſia contigit *ante triennium*, quo Conſtantius expugnato Magnentio Arelatem, ubi Conventiculum eſt factum, ſe contulit: falſum eſt primum; cum id Hilarius non habeat; ſed dicat: *negata ipſi* (Saturnino) *uſque ad hoc tempus toto jam triennio communione:* dum nempe ſcriberet librum *de Synodis*; quem conſtat ab eo compoſitum circa finem anni.

anni 358., ut ipſemet Baronius ad eum ann. n. 12., & nupera Hilarii Operum Pariſ. editio perhibet. Et ſane non anno 353. ſed 355. *poſt ſanctorum virorum exilia Paulini, Euſebii, Luciferi, Dionyſii quinto ab hinc anno a Saturnini, & Urſacii, & Valentis communione me cum Gallicanis Epiſcopis ſeparavi*: inquit idem Hilarius lib. contra Conſtantium anno 360. ſcripto. Igitur Sirmienſis Synodus, quam lib. de Synodis *proxime* factam commemorat, non eſt neceſſario habita poſt illud triennium, ſeu an. 357., ſed dicit *proxime* collectam ad diſcrimen alterius an. 351. coactae, quam paullo poſt aſſerit *olim* congregatam. Deinde ſi etiam, ut putat Baronius, *triennium* illud ſumendum eſſet ab anno 353., non autem 355., cur non anno 356. celebrata dicetur *Synodus Sirmienſis*, & poſt illud *triennium*; ſi Magnentius a Conſtantio Aug. expugnatus fuit anno 353. ineunte menſe Auguſto; & Arelatenſis coetus Octobri. m. coactus?

IX. At inſtat Baronius, Sozomenum lib. 4. cap 5. tradere, *Concilium* hoc habitum eſſe *Sirmii praeſente Conſtantio* Auguſto; quod voluerunt & Philoſtorgius lib. 4. cap. 3., & Socrates lib. 2. cap. 26. lapſum Liberii, & Oſii coram Imperatore Conſtantio Sirmii contigiſſe ſcribentes: *Conſtantius* autem non anno 356., ſed anno 357. poſt menſem Majum feſtinavit in Illyricum, *Sirmiumque* pervenit ex Ammiano Marcellino lib. 16. cap. 10., igitur non anno 356., ſed 357., acta eſt altera Sirmienſis Synodus pro labefactanda Oſii conſtantia. Verum, ut ſupra dictum eſt, Autores iſti hac de re minime ſunt audiendi; cum confundant duo Concilia illud anno 351. *Sirmii* contra Photinum convocatum cum iſto anno 356. *Sirmii* etiam congregato ad impiam Oſii fidei expoſitionem evulgandam: quare nemini mirum eſſe debet, eos tradidiſſe Oſium praeſente *Conſtantio Aug.* lapſum eſſe; cum certum ſit, interfuiſſe eum primae Synodo *Sirmienſi* contra Photinum ex Actis Synodi Seleucien. an. 359. celebratae. Caeterum cum formula ſecundae *Synodi Sirmienſis*, quam Oſius acceptavit, habeat: *in praeſentia Valentis; Urſacii, Germinii, caeterorumque omnium*: nec ibi memoretur *Conſtantius;* probe conjicitur is abfuiſſe; & formula ea anno 356. edita fuiſſe, quo Conſtantius non Sirmii, ſed Mediolani fuit. Hinc etiam Hermantius lib. 8. cap. 1. Vitae S. Athanaſii, & Pagius ann. 357. n. 3., an *Conſtantius* fuerit praeſens 2. formulae Sirmienſi, incertum eſſe fatentur.

X. Sed

X. Sed & illud conſequitur, *Antiochenam* Eudoxii, & *Ancyranam* Baſilii Synodos coactas fuiſſe non anno 358., ut ſtatuit Pagius, ſed anno 357., idque quidem *paullo ante Paſcha*, quemadmodum nos docet Ancyrana Synodica apud S. Epiphanium haer. 73., qua de cauſſa plures Antiſtites *ob hyemem* accedere non potuiſſe legimus ea in Synodica; quod non videtur dici potuiſſe de Paſchatis tempore anno 358., quoniam in vere factum eſt, cum in diem prid. idus Aprilis inciderit; ſed de Paſchate anni 357., quod in hyeme, ac die XIII. Kal. Aprilis celebratum fuit. Deinde Synodus *Ancyrana* dicitur convocata occaſione *Dedicationis Baſilicae* teſte Sozomeno lib. 4. cap. 12., quae ſolemnitas tempore Quinquennalium, aliorumque hujuſmodi feſtorum fieri conſuevit juxta doctrinam Pagii: anno autem 357., non 358., in curſu erant 7. *Quinquennalia* Imperii Caeſarei Conſtantii: igitur eo anno celebrata eſt Synodus, & non anno 358.; praeſertim cum acta ſit etiam ad confutandam ſecundam fidei *ecthesim Sirmienſem* Oſii, aliorumque: atqui haec anno 356. edita jam fuerat, ut ſuperius oſtenſum eſt: ergo inſequenti anno veriſimile eſt convocatam fuiſſe Synodum Ancyranam; ideoque & Antiochenam eodem anno, vel paullo ante factam. Ut quid enim tam ſero, anno ſcilicet 358., de ea *ecthesi* diſputatum, ac deliberatum diceτur; cum ſtatim edita quoquo verſus ab Arianis emiſſa fuerit?

XI. At, inquit Pagius, harum Synodorum epocha pendet ab initio Epiſcopatus *Eudoxii*; hic autem Antiochenam Eccleſiam invaſit anno 358., ut ipſe probare conatur ſub an. 356. n. 15., eoquod ſucceſſerit *Leontio* Socratis, Sozomenique teſtimonio: Leontius vero adhuc in vivis eſſet poſt lapſam *Liberii PP.*, quem anno 358. contigiſſe vult ſub ann. 357. n. 12. & ſeqq., affertque S. Athanaſii verba Epiſt. ad Solitarios, in qua de lapſu Liberii diſſerit, ſcribentis: *Leontius ille caſtratus, qui Antiochiae nunc Epiſcopatum tenet &c.* Verum laciniam eam eſſe, & additamentum interpolatoris hinc elicitur, quod antiquior Petri Nannii verſio ita habet: *Leontius ille caſtratus, quem ne ſub Laici quidem ſpecie ad communionem admitti oportuit; eoquod ſe ipſum abſcidit &c.*, quo loco loquitur Athanaſius de Urſacio, & Valente anno 349. Julio Papae libellum offerentibus: Et forſan interpolator exſcripſit ea verba ex ejuſdem Athanaſii *Apo-*

logia

Digitized by Google

logia de fuga ſua anno 356. perſcripta, quae incipit: *Audio Leontium, qui nunc eſt Antiochiae &c.* Simili quidem modo in ea ipſa Apologia refertur *Oſii* lapſus ſecundum editionem, qua uſus eſt Pagius; qui eo anno 356. n. 11. exiſtimat parentheſim adjectam margini, & a Librariis imperite teſtui inſertam: & ſane translatio Nannii eam non habet. Hinc Sozomenus, cujus fides, ac autoritas potior eſt illa Philoſtorgii Ariani, ac interdum & Socratis, lib. 4. cap. 11. agit primum de obitu *Leontii*, Eudoxiique auſu in Antiochena ſede invadenda: mox cap. 12. ſubdit *Ancyranam* Synodum; & cap. 14. iter Conſtantii Roma Sirmium, Liberiique lapſum, ac ejus ad Eccleſiam Romanam reditum; quod omne anno 357. eveniſſe oſtendimus. Quare neque Pagii ſententia probatur, neque altera Valeſii, & Boſchii in nupero de *Patriarchis Antiochenis* Tractatu Hiſt. Chronol. ſtatuentium, *Leontium* obiiſſe diem anno 357. exeunte; ſed ajo deceſſiſſe eum anno 356. circiter ante autumni tempus.

XII. Baronius ad ann. 357. n. 68. arbitratur, *Sirmienſem Synodum*, tot fidei formulis in ea deletis, & renovatis, in ſequentem etiam annum conſtare fuiſſe perductam, quo & Liberium in urbem, ſedemque ſuam reſtitutum putat ea potiſſimum ratione perſuaſus; quod de *immunitate Clericorum* Conſtantius edictum promulgans menſe *Decembri* anno 357. non ad *Liberium*, quippe qui nondum Romam, inquit, fuerat reverſus; ſed ad *Felicem Epiſcopum* (quod ipſum adoptavit & Pagius) illud direxit. At quum illud Libri Pontificalis admittant, Liberium *Romam* IV. *nonas Auguſti* ingreſſum eſſe; & illud concedant oportet, fuiſſe eum in exilio ultra *triennium* contra antiquorum, & Synchronorum Scriptorum autoritatem. Deinde *Felicis* illius ſedes, ac Eccleſia non exprimitur teſte ipſomet Baronio; ſed conjectura tantum creditur Romanus: ac ſi quoque detur, Antiſtitem certo fuiſſe Romanum; non propterea conſequitur, Liberium nondum tunc Romam rediiſſe; ſed cum ſtatuiſſet Conſtantius, & quidam Epiſcopi, ut *Liberius* priſtinae dignitati redditus una cum *Felice* Romanam regeret Eccleſiam, ut ſupra ex Sozomeno, & Theodoreto dictum eſt: quis non intelligit, legem illam, & edictum a Conſtantio datum eſſe ad *Felicem* a ſe intruſum; quem verum, potioremque Antiſtitem rebatur prae *Liberio* ſibi diu repugnante; & a ſe iterum biennio poſt Roma expul-

expulſo, eodem Sozomeno teſte lib. 4. cap. 18.? Tandem Liberium Romam reverſum eſſe anno 357., non autem 358., colligo ex Marcellino, & Fauſtino Presbyteris ſupra memoratis, qui Liberii Romam ingreſſu, & Felicis expulſione narratis ſubdunt: *poſt annos octo Valentiniano, & Valente Coſs. x. Kalendarum Decembrium defunctus eſt Felix*: ideſt anno 365., ideoque anno 357. ante diem 22. Novembris & Felix pulſus fuerat; & Liberius Romam redierat; alias non *poſt annos octo;* ſed poſt ſeptem mortuus eſſet Felix; ſi anno 358. pulſus fuiſſet.

XIII. Quantum autem ad ipſam fidei expoſitionem, quam Liberius ſuſcepit, ſubſcripſitque, fuiſſe eam *I. Sirmienſem*, quae anno 351. adverſus Photinum edita eſt; adeo perſpicue a Baronio ad an. 357. n. 46. & ſeqq. demonſtratum eſt, ut vix extet, quod addi queat. Tertiam enim quandam, quam videntur commenti Valeſius, & Pagius anno 358. factam, & nullo monumento, aut ratione firmant; & nullo etiam negotio alii refellunt: ſiquidem Hilarius lib. de Synodis in fine anni 358. edito ad Galliae Epiſcopos initio profitetur; ſe *omnes fides, quae poſt S. Synodum Nicaenam diverſis temporibus, & locis editae ſunt, cum ſententiarum omnium, atque etiam verborum additis per me expoſitionibus Epiſcopis deſtinare:* nec niſi quatuor fidei formulas exhibet *Antiochenam, Sardicenſem, Sirmienſem I.* contra Photinum, & *Sirmienſem II.* Oſii, Potamiique cum XII. *Ancyranae* Synodi contra II. Sirmienſem Anathematiſmis. Sicut & Athanaſius libro itidem de Synodis poſt annum 361. compoſito cunctas fidei Arianorum ecthefes commemorans *tres* tantum *Sirmienſes* recitat jam dictas, primam adverſus *Photinum;* alteram latine ſcriptam; eſtque ipſa, quam *Oſius* acceptavit; & tertiam cum *Conſulibus* conſcriptam, quae & Arimini anno 359. in Synodo lecta eſt: igitur tertia illa *Sirmienſis* formula, quae in annum 358. rejicitur, eſt plane fictitia; cum ſi extitiſſet, illam Hilarius, & Athanaſius minime reticuiſſent.

XIV. Quod ſi Liberium *Ancyranam* velint, ut velle videntur, fidei ſubſcripſiſſe formulam, videlicet in Sirmienſi 3., & Ancyrana Synodo exaratam; admitti poteſt, quantum quidem Ancyrana a *Sirmienſi prima* verbis, non ſenſu diſcrepat: at ſi eam ipſam contendant ſubſcriptam; prorſus inficias imus: cum Hila-

X rius

rius in fragmentis habeat: *perfidiam autem apud Sirmium deſcriptam, quam dicit Liberius Catholicam a Demophilo ſibi expoſitam, hi ſunt, qui ſubſcripſerunt, Narciſſus, Theodorus, Baſilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Urſacius, Valens, Evagrius*, & alii plures; qui legi poſſunt ibidem; quoſque conſtat ſubſcripſiſſe Synodo Sirmienſi I. contra Photinum anno 351., & qui Baronio teſte ad ann. 357. n. 43. leguntur poſt Epiſtolam *Liberii Papae* ad Orientales Epiſcopos ſupra relatam. Quocirca etiam Sozomenus lib. 4. cap. 14. tradit Liberio porrecta ad ſubſcribendum fuiſſe *decreta de Paullo Samoſateno, & Photino Sirmiano, ac formulam fidei Antiochenam*, quae plane cum *prima Sirmiensi* convenit, niſi quod huic additi ſunt contra Photinum *Anathematiſmi*: ſubditque Sozomenus, praeſentes fuiſſe Baſilium, Euſtathium, & Eleuſium *Orientalium* Epiſc. legatos; Athanaſium, Alexandrum, Severianum, & Creſcentem ex *Africa* legatos forſitan & ipſos, vel aliis de cauſſis ad Comitatum Imp. profectos; necnon legatos *Occidentalium* Epiſc. cum Urſacio, Germinio, & Valente *Pannoniae* Epiſcopis.

XV. Eſt quidam autem hodie, qui fere omnia, quae dixi, potiſſime de Synodis, loco movere contendit; & *primam* Synodum Sirmienſem in elabentem annum 358. retrahit; *ſecundam* vero ſub initium anni 359., pauloque poſt Ancyranam Baſilii congregatam ſcribit: idque propterea quod Sirmienſi primae interfuiſſe dicantur *Oſius* Cordubenſis poſt ann. 355. in exilium actus, & *Georgius* Alexandrinam in ſedem anno 356. intruſus, & ab eadem anno 358. expulſus. At non advertit iſte vir eruditus, Autores illos, unde haec ipſa depromſit, ea, quae tribus fuerant decreta Synodis Sirmienſibus, una ſimul enarrare; ac fidei tres formulas uni Synodo vindicare: quapropter cum *Photinus* anno 351. Sirmii condemnatus fuerit; *Oſius* an. 356. Sirmii ceciderit; & *Georgius* Alex. intruſus anno 359. Sirmienſi tertiae formulae ſubſcripſerit; nil mirum, ſi apud eosdem Autores legimus, hos tres uni Synodo Sirmienſi interfuiſſe; quippe quod apud ipſos non error eſt in anno, atque Conſulatu; ſed in Synodorum numero. Sozomenus tamen, qui omnium caſtigatius incedit, quaſi ea, quae lib. 4. cap. 5. dixerat, corrigeret, vel explicaret; poſteaquam *Liberii* exilium cap. 10. de-

deſcripſit, inſequenti cap. 11. caſum, lapſumque Oſii memorat; & poſtmodum Synodos *Antiochenam* Eudoxii, *Ancyranamque* Baſilii; nec non Conſtantii Aug. iter Roma Sirmium; quod eſt inter ann. 355. & 357. geſta. Quomodo enim *Sirmienſis I.* Synodus in finem anni 358. rejici poteſt, ſi ei interfuiſſe invenitur *Cecropius* Nicomedienſis Epiſcopus, qui eodem anno 358. menſe Auguſto oppreſſus aſſeritur terraemotu? & ſi inter ſubſcriptos nullus *Oſius*, & nullus *Georgius* occurrit? Et quo pacto *Synodus II.* Sirmienſis Oſii ad initium anni 359. ſpectare poteſt, ſi eam reſpuerunt Galliarum Epiſcopi, ſcripſeruntque ad Hilarium, qui eisdem reſcripſit verſus finem anni 358. non Epiſtolam, ſed *librum de Synodis*, in quo illis exponit etiam Anathematiſmos Synodi *Ancyranae* Baſilii, quae quidem Ancyrana Sirmienſis ſecundae profligatrix coacta eſt multo ante, quam tractaretur de Synodo *Nicomediae* congreganda; haec autem haberi non potuit ob terraemotum menſe Auguſto anni 358. factum ex Socrate lib. 2. cap. 31., & Sozomeno lib. 4. cap. 12. & 15.? Caetera hujus novi Scriptoris perſequi nec vacat; nec eſt noſtrae inſtitutae ſcriptionis.

XVI. Sed contra id, quod n. 1. & 2. dixi, *Liberium* in exilium ante diem 28. Aprilis anno 355. relegatum fuiſſe, objicient illud Pagii ad ann. 355. n. 2., ubi ex Ammone Epiſcopo Epiſt. ad Theophilum Alexandr. Antiſtitem de Vita SS. Pacomii, & Theodori cap. 4. probari contendit, Mediolanenſe *Concilium* actum eſſe inter dies 26. Aprilis, & 25. Maii: at, inquient, Liberius Roma tractus eſt Mediolanum poſt illud Concilium; ergo & poſt menſem Aprilem in exilium truſus: verba autem Ammonis ſunt: *Perſecutionis porro ejus, quae anno ſexto, menſe nono Athanaſium Papam expulit, Julianus imperavit homo idololatra:* uſurpatque menſes, inquit Pagius, Aegyptiacos, quorum Pachon *nonus* incipit a die 26. Aprilis, & die 25. Maii terminatur: igitur inter hoc intervallum & *Julianus* anno 360. dictus eſt Auguſtus; & Mediolani coactum eſt *Concilium.* anno 355., in quo ſubſcripta eſt S. Athanaſii proſcriptio.

Reſpondetur, obſcurum Ammonis eſſe dictum; ac incertum, utrum *perſecutionis* Athanaſii tempus deſumat a Mediolanenſi Concilio anno 355., an vero ab Antiocheno Concilio an. 354.

adverſus eum congregato: nec non incertum; an, ſi ſumatur etiam a ſententia Concilii Mediolanenſis tempus perſecutionis, haec incoeperit ab ipſo Concilio; an potius aliquot poſt menſibus quum Alexandriae nunciata, ac publicata fuit, atque incoepta per Diogenem Imperatoris Notarium menſe Auguſto. Sicut & incertum, num Ammon menſem, qui *nonus* eſt Aegyptiis, acceperit; an vero qui *nonus* eſt Athanaſianae perſecutionis; ut veriſimilius videtur. Certe Ammianus Marcellinus lib. 20. cap. 4. narrat, *Julianum* a Militibus *Auguſtum* conclamatum; poſteaquam ea retulit, quae menſe Auguſto an. 360. evenerant. Itaque certi nihil ex eo Autore conſtitui poteſt de tempore exilii Papae Liberii.

XVII. In hujus Quaeſtionis fine commonere volo, *Epigramma*, quod epitaphii loco poſitum eſt *Euſebio*, quodque ex Antiq. Inſcript. in Append. exſcripſit Baronius ad an. 357. n. 58., eſſe *S. Damaſi* Papae, quantum ex ſtylo conjicere licet, pro *S. Euſebio* Rom. Pontifice, quem ex illo diſcimus in exilio Siculo diem ſuum obiiſſe eandem ob cauſſam, qua *S. Marcellus* ejus anteceſſor; ideoque non poſſe *Epigramma* pertinere ad *Euſebium Presbyterum*, (ut exiſtimavit dubitanter tamen Baronius) in Schiſmate *Felicis* contra Liberium, ut volunt, martyrio paſſum ex Martyrologio Romano ſub die 24. Auguſti; cujus vitam nuper vulgavit Baluzius lib. 2. Miſcellan. ab Anonymo Luciferiano, ut putat Harduinus, editam: cum is *Euſebius* dicatur *Romae* paſſus, & in carcere defunctus ſub Conſtantio Aug., ille vero expulſus in exilium Trinacrio in littore vitam reliquiſſe. Eſt autem *Epigramma* hujuſmodi parumper inquinatum, ſed quod ex illo S. Marcelli Papae corrigi poteſt.

Heraclius *vetuit lapſos peccata dolere:*
Euſebius *miſeros docuit ſua crimina flere.*
Sciuditur in partes populus gliſcente ſorore: (*leg.* furore)
Sedet loca ede, *bellum, diſcordia, lites* (*leg.* ſeditio, caedes,)
Exemplo pariter pulſi *feritate* Tyranno (*leg.* Extemplo pa-
(ritur, pulſus feritate Tyranni,)
Integra cum Rector *ſervaſſet foedera pacis,*
Pertulit exilium omnino ſub judice laetus;
Littore Trinacrio *Mundum, vitamque reliquit.*

XVIII. Ubi

XVIII. Ubi cum *Rector* Euſebius appelletur, quem titulum & Damaſus, & alii illorum temporum Scriptores ſolis Epiſcopis tribuere conſueverunt; perſpicuum eſt, Epigramma non de Euſebio Presbytero, ſed de *Euſebio Papa* diſſerere. Et cum in eo ſimilia referantur eorum, quae in illo *Marcelli Papae* legimus de lapſis non recipiendis ſine praevia poenitentia; & de diſcordia, caedeque ob eam rem in populo patrata; conjici quoque poteſt, *Euſebium* praedeceſſoris ſui *Marcelli* ſententiam defendentem in exilium & ipſum, ut illum, eſſe depulſum ad Siculos, vel ad aliquam maris Siculi Inſulam a *Tyranno* ſcilicet Gal: Maximiano, vel Severo Caeſare anno 306., non 311., aut 310., uti ſcripſerunt Baronius, & Pagius, aliique; quemadmodum oſtendo in reſtituta Rom. Pontificum *Chronotaxi*; in qua etiam adnotavi, praedictum epitaphium haud parum lucis accipere ab Autore *Praedeſtinati* lib. 1. cap. 16., cum memorat ille (nominibus tamen, ac temporibus, ut ſolet non ſemel idem, inverſis, & confuſis) *Heracleonem* quendam haereſim adinveniſſe in partibus Siciliae, *nihil obeſſe baptizatis peccata*; Siculos Epiſcopos de hac re certiorem feciſſe *Romanum* Pontificem; qui & eum ſcripto confutavit, & ad fugam arripiendam compulit: & alia, quae forſan aliquando publici juris fient. Itaque de his nunc ſatis ſit nobis.

QUAESTIO VI.

De Synodo II. Arelatenſi, aliiſque duabus S. Caeſarii Epiſcopi.

I. Dictum eſt alias a me, & ſcripto quoque traditum, *Synodum II. Arelatenſem*, quam adhuc fluctuantem apud Autores cernimus; & cujus ſtatum tempus, Canonumque numerum hucuſque controverti conſcribunt; mihi probe compertam eſſe; exploratumque tempus, & a quonam fuerit celebrata: ac futurum etiam, ut ſi quid unquam otii nanciſcerer, cuncta literis, lucique proderem: nunc igitur, quoniam quod in optatis erat, advenit; meam exiſtimavi liberare fidem; & ea, quae de hujus Synodi tempore,

Autore, Canonumque numero reperire potui, divulgare. Qua quidem in re nec mihi multum laborandum erit; nec quidquam reſpondendum iis, qui aut ad Conſtantini, Conſtantiique Impp. tempora, ut editores primi; aut ad Siricii Pontificatum eam Synodum referendam arbitrati ſunt, ut Severinus Binius: vel iis, qui ſubſequenti ſeculo v. per Hilarium inter ann. 443. & 444., ut Marca, Baluzius, & Pagius; ſive per Ravennium Antiſtitem anno 451., ut Labbeus, ſeu anno 452., ut Sirmondus, & Launojus, celebratam eſſe voluerunt: quandoquidem nec autoritate veterum, nec ratione ulla, quae probet; ſed conjectura tantum id ipſi, quod ajunt, adſtruere noſcantur.

II. Quapropter illud mihi faciendum erit, ut oſtendam, hanc *Synodum Arelaten.* initio ſeculi Eccleſiae ſexti a *S. Caeſario* Arelatenſi Epiſcopo fuiſſe congregatam: & binas hunc alias hujus nominis *Synodos* coegiſſe: Canones vero, qui uni attribuuntur, aliis quoque dividendos eſſe. Gratianus enim Monachus in ſua Canonum Collectione c. *Prima adnotatio* d. 16. ex vetuſtiſſimo Autore refert hoc caput, quod & Iſidorus, & Card. Deusdedit, nec non Anſelmus in Prolegom. ſuarum Collect. habent; quodque continet, recenſetque cunctas *Synodos Provinciales*, quae Canones condiderunt, uſque ad Arelatenſem v. anno 554. convocatam juxta quidem Iſidori Collectionem; ſed Vaticanus Codex habet uſque ad Matiſconenſem I. circa ann. 582. coactam; Gratiani vero codices uſque ad *Matiſconenſem II.* anno 585. celebratam. Adnotaruntque Romani Correctores Gratiani, Caput illud *Iſidori* non eſſe; cum iſte plura Concilia Hiſpaniae exhibeat; ille vero ne unum quidem; ſed poſt quinque *Graecas*, Orientaleſque, nec non *Sardicenſem*, *Africanam*, & *Carthaginienſem* Synodos reliquas xvi. *Gallicas* dumtaxat proferr; ideoque & *Gallum* fuiſſe Scriptorem, & verſus vi. *ſeculi* finem Opuſculum illud edidiſſe facile conjicitur; praeſertim cum non habeat magnum Concilium *Pariſienſe* ad ann. 615. congregatum; & pluribus Canonibus celebratum.

III. Habet igitur is Autor poſt Orientales, Africanaſque, quas viii. dixi, Synodos *nonam Arelaten. I.*, aitque ſub *S. Sylveſtro Papa, & Marino Epiſcopo* Arelatenſi factam; & mox ſubjungit: *Decima item Arelatenſis, in qua Patres* xix. *ſtatuerunt Ca-*

nones, quorum autor maxime S. Caeſarius Arelatenſis Epiſcopus extitit. Undecima item Arelatenſis, in qua Patres XVI. *ſtatuerunt Canones. Duodecima item Arelatenſis in vico Hortenſii, in qua Patres* XI. *ſtatuerunt Canones, quorum maxime autor S. Caeſarius Arelatenſis Epiſcopus fuit. Tertiadecima item Arelatenſis, in qua Patres* XIX. *ſtatuerunt Canones, quorum autor maxime Sarpidius* (al. *Sarpandus*) *Arelatenſis Epiſcopus extitit*: & quidem Arelatenſi v. Synodo interfuerunt XIX. Epiſcopi ſub Sapaudo Antiſtite anno 554. ex Actis. Quare cum *ſecundam, tertiam*, & *quartam* Synodos Arelatenſes Autor Synchronos, vel ſuppar affirmet habitas eſſe ſub *S. Caeſario* Epiſcopo, qui ab an. 502. uſque ad an. 542. Arelatenſem rexit Eccleſiam: perſpicuum eſt, erraſſe eos, qui *Arelatenſem II.* ſeculo vel quarto, vel quinto celebratam crediderunt; & hactenus ignoratum eſſe S. Caeſarium *tria Arelatenſia* convocaſſe Concilia; ſiquidem in Collectionibus Conciliorum unum tantummodo ſub eo coactum an. 524. innoteſcit.

IV. Et falſus eſt Sirmondus, qui primus evulgavit *Arelatenſe Concilium* a Ravennio Epiſcopo in cauſſa Theodori Forojulienſis, aliorumque Epiſcoporum cum Fauſto Lerinenſi Abbate anno circiter 455. factum; vocavitque *III.*, illud vero a S. Caeſario habitum anno 524. *IV.*, repugnantibus antiquis Codicibus MSS., qui ipſum minime nota numeri recenſent; illud autem S. Caeſarii conſtanter *III.* appellant: propterea quod veteres Canonum Collectores nonniſi ea numerabant Concilia, quae *Canones* condebant; cum igitur Arelatenſe Ravennii anno 455. Canones non promulgaverit, conſequitur ipſum nequaquam eſſe *III. Arelatenſe* Concilium, ſed nulla numeri nota inſigniendum; appellandumque verius *judicium*, atque Conventum, quam Synodum, aut *Concilium*. Nam *Arelatenſe I.* notum eſt, habitum eſſe initio ſeculi IV. anno 314., *Arelatenſe II.* ſeculo VI. ineunte; ac inter annum 502. & ann. 524.; *Arelatenſe III.* anno 524., & *Arelatenſe IV.* anno incerto inter annos tamen 524., & 542.; quo S. Caeſarius vivendi finem fecit. Porro *Arelatenſe V.* jam conſtat factum fuiſſe anno 554., & *VI.* anno 813., quae ſola, quia Canones ediderunt, iccirco nota numeri inſignita dignoſcuntur; caetera nequaquam; etſi quamplura, & illuſtria fuiſſe

comperiantur. Atque id quantum ad tempus, numerumque attinet: nunc autem de *Canonibus* cujuslibet Synodi dicendum.

V. Itaque Synodus *Arelatenſis II.*, quae hactenus ſub ann. 452. legitur in Conciliorum Collectionibus, & *Canones LVI.* exhibet ſecundum Codicem Rhemenſem, quo uſus eſt Sirmondus; in Codd. Vaticano, & Pithoeano xxv. Canonibus tantummodo conflatur; at Iſidori Collectio Canones xxxiii. refert, ut & Codices Corbejen., Lugdunen., Foſſaten., & Engoliſmenſis; xxxvii. vero continent primae Concil. editiones, quemadmodum & Codex Pariſienſis, qui creditur annorum amplius dccc. teſte Harduino; in eoque omittuntur Canones a 26. uſque ad 46., qui ibi eſt 26. Binius etiam in editione ſua poſt 25. Canonem notavit: *Capita haec ſequentia in exemplaribus vetuſtis non habentur, nec habent titulos*: poſt ſubdit canonem 26. *De his, quos Clericatui &c.*, qui in novis editionibus Conciliorum eſt 45., ideoque omiſſis 19. Canonibus antiquis in editionibus ſunt Canones xxxvii., quem numerum, vel certe ſine illis 19. regulis habuiſſe Codicem Gratiani liquet, eo quod c. *Si expoſitus* d. 87. appellat 32. *canonem Concilii* 2. *Arelatenſis*, ut quidem eſt in editione Biniana: alios vero Canones 2. 7. 19. 22. 24. & 25., quos refert d. 18. 50. 55. 87., & 3. q. 10., ac 33. q. 4., cum habeat eodem ordine, quo in aliis ſunt editionibus; igitur Gratianus eſt uſus Codice Canonum xxxvii., nam Codex xxxiii. Canonum omittere dicitur Canones 10. 11. 12. & 26. Caeterum *Canones* Canonibus hujus Synodi interpoſitos ad inſequentem *III. Synodum* Arelaten. pertinere mox oſtendetur.

VI. Synodus enim *III. Arelatenſis*, quam conſtat celebratam anno 524. a Patribus xvi. ſecundum Gratiani lectionem ſupra n. 3. allatam, (legendum tamen *XIII.*, nam 13. Epiſcopos cum quatuor Presbyteris quinque Epiſcoporum legatis Acta ferunt interfuiſſe); quaeque perperam, ut dixi, *IV.* appellatur a Sirmondo, aliiſque poſt eum contra veterum MSS. Codicum, Scriptorumque fidem; *quatuor* tantum *Canones* habere legimus in editis; quorum duos adducit Gratianus c. *Nullus poenitentem* d. 55. *ex Concilio Arelatenſi* 3. *cap.* 3., & c. *Si forte* 21. q. 5. ex *Con. Arelatenſi c.* 4., quo quidem ordine extant & in editis. Sed alios habemus ex aliis Autoribus Canones: nam Martinus

Bra-

Digitized by Google

Bracarenſis Epiſcopus in ſua Collectione cap. 69. hunc affert Canonem *ex Arelat.III. c. 5. Non liceat Chriſtianis prandia ad defunctorum ſepulchra deferre; & ſacrificare de re mortuorum*: & Gratianus c. *Qui non bene* d. 2. de Conſecrat. dicit eſſe *Can. 6.* Arelatenſis Concilii; c. vero *Sciendum eſt* 27. q. 1. *Can* 7. ejuſdem Concilii appellat; quos tamen fateor, ad hoc III., vel ad IV. inſequens Concilium pertinere, haud ſatis mihi compertum eſſe.

VII. Porro cum ex Canonibus illis XIX. aliis *II. Arelatenſis* Synodi interpoſitis nonnulli citentur ex *III. Concilio* Arelatenſi; apparet illos, vel illorum ſaltem aliquos ad idem III., non autem ad II. ſpectare Concilium. Etenim apud memoratum Gratianum c. *Praeterea placuit* d. 28. dicitur eſſe ex Concilio *Arelatenſi tertio*, cum nihilominus in ultimis Concil. editionibus ſit 43. canon Concilii II. Arelaten. *Placuit praeterea* ex canon 22. Concilii Arauſicani I. *Sedit praeterea* deſumtus: & canon 41. nunc praedicti Concilii Arelat. II. *Si quis palam* ex canone 6. Arauſicano tractus *Qui palam* ab Ivone Carnutenſi dicitur eſſe *Concilii tertii Arelatenſis cap.* 3., ſed forſan legendum 13. Quocirca exputo conſtare, *Canones* illos 19., vel illorum plures, qui nunc a num. 26. uſque ad 45. leguntur inter Synodi II. Arelatenſis canones, cum nonnullis aliis ſupra num. praecedenti recenſitis Synodum III. Arelatenſem efformaſſe. Neque enim, ut quidam arbitrantur, *Canones* illi 19. ſunt omnes Synodi *Arauſicanae I.*, quemadmodum in novis, ultimiſque editionibus adnotatum extat; ſed exceptis 4. 8. 14. 15. 16. 22. & 23. Canonibus, qui pene ad verbum ſunt ex Arauſicanis exſcripti; caeteri omnes aut valde interpolati, aut prorſus diverſi referuntur, uti can. 31. *Si quis Clericorum*; 34. *Si quis in Eccleſia &c.*

VIII. Poſt quatuor Synodi *III. Arelatenſis* anno 524. celebratae Canones, qui in editis leguntur, in Conciliorum Collectionibus poſterioribus plures exponuntur *Canones Arelatenſes* velut incertorum Conciliorum, uti eſt c. *Praeterea placuit* ex Gratiani Collectione, ſed eſt 43. Canon Concilii II., ſeu potius III., ut proxime explicavi: c. *Energumeni* ex Ivone eſt can. 41. nunc Concilii II., & 16. Arauſicanus interpolatus: c. *Eos, qui fratribus* itidem ex Gratiano eſt 24. canon Synodi II. Arelaten-

ſis

ſis: & c. *De his, qui quibuſcumque* conſtat eſſe can. 2. Concilii I. Arelat. an. 314. ſub Marino Epiſcopo coacti: c. vero *Monaſteria* etiam ex Gratiano eſt canon 2. Concilii v. Arelatenſis an. 554. a Sapaudo Antiſtite convocati: & c. tandem *Providendum neceſſe* noſcitur 6. canon Concilii vi. ſimiliter Arelate habiti anno 813. a Johanne Metropolitano. Quapropter in futuris editionibus auferri debent, cum certam obtineant ſedem: caeteri *Canones* ibi recenſiti juxta aliquos decretorum libros ex Gandavo, ac S. Bavonis Monaſterio; etſi non certo liqueat, cujus ſint Synodi Arelaten., facile tamen *quartae* adjudicari poſſent; ut num. ſequenti dicitur. Ad unam harum Synodorum pertinere puto etiam *binos Canones*, quos ex MS. Cod. Lucenſi nuperrime vulgavit Autor Supplementi Conciliorum Labb. to. 1. ſub ann. 682., ideo quod Codex cit. habeat: *ex Synodo Arelatenſe aera* xx., ubi idem Autor in Praefat. Appendicis ſentit reponendum eſſe *can.*, vel *cap.* xx., ſed quid ſi legendum ſit, *Caeſarii* xx., vel *num.* xx.

IX. Synodus *IV. Arelatenſis* inter ann. 524. & 542. a S. Caeſario Epiſcopo cum x. al. xi. Epiſcopis in vico Hortenſii celebrata *Canones* & ipſa condidit; quemadmodum teſtatur antiquus, & ſuppar Autor ſupra n. 3. memoratus: ſed quinam ii fuerint, haud facile quis dixerit; partim quia periiſſe poſſunt; partim vero quia confuſi cum aliis Arelaten. Synodorum exiſtimantur. Attamen cum aliqui inveniantur, qui aut nulli addicuntur; ſed tantum *Arelatenſis* Synodi *Canones* appellantur; uti c. *Ut Epiſcopi provideant, quem honorem Presbyteri pro ſuis Eccleſiis facere debeant*: & c. *Laici, qui excubias funeris obſervant &c.*, leguntur que poſt quatuor Canones Concilii iii. Arelaten. anno 524. coacti ex quibusdam Decretorum libris: aut dubie dicuntur Canones *Concilii* iv., *aut* v. *Arelatenſis* ibidem; ut c. *Nullum ſine dote fiat conjugium*, diciturque *cap.* 6., & eſt ex c. *Nullum* 30. q. 5., nec non c. *Viduae ſi priuſquam continentiam profiteantur &c.*, extatque c. *Viduae ſi prius* 21. q. 1., & refertur etiam a Toletano Concilio iii. anno 589. facto can. 10. *Hoc ſanctum &c.* Cum etiam hi duo *Canones* inter illos *Concilii* v. Arelate anno 554. congregati non legantur; cumque certo conſtet, Synodum iv. Arelaten. canones edidiſſe: adductus ſum, ut magis huic,

huic, quam alteri hoſce quatuor Canones adjudicarem; quouſque, ad quas pertineant Synodos, clarius innoteſcat. Et haec de *Arelatenſi Synodo II.*, aliiſque hujus nominis a S. Caeſario Epiſcopo celebratis ſint dicta. Plurima hujuſcemodi habeo ad Concilia corrigenda; ſed otii, commodique minimum ad edenda.

QUAESTIO VII.

De Haereticorum, ac infidelium Infantibus cum Baptiſmo in fide parentum ſuſcepto decedentibus.

I. MEmini, me paucis ab hinc annis in alia de *Haereticorum, Schiſmaticorumque Baptiſmo Diſputatione* Theor. v. Prop. iv. n. v. dixiſſe: num *Haereticorum Infantes* cum Baptiſmo extra Eccleſiam acceptò decedentes Paradiſi gloriam conſequantur; aliam quaeſtionem eſſe, aliuſque loci; perinde atque id promiſerim, in meque receperim tractandum. Quod ne quis unquam expoſtulet, me non feciſſe; & ego ne praeteream aliquid quod ad illud argumentum augendum, complendumque pertineret; nunc aliquid loci nactus veritatis illuſtrandae, magiſque percipiendae ſtudio Quaeſtionem; quam nondum a quoquam ex profeſſo pertractatam inveni: *utrum Haereticorum, ac Infidelium Infantes cum ſola parentum fide, ac extra Eccleſiam habito baptiſmo decedentes vitam conſequantur aeternam*: in medium afferre; & quid in hanc, vel illam partem adduci queat, exercitationis ergo proferre conſtitui. Quoniam ſi de *Miniſtro Baptiſmi* extra Eccleſiam poſito tantopere diſceptatum agnoſcitur, ut adhuc a Scriptoribus, Theologiſque in diſputationibus, & ſcriptis eam Theſim agitari videamus; nec etiam inutile prorſus cenſeri poterit, aliquantum diſſerere de ejuſdem Sacramenti *Subjecto*, ut ajunt; ſeu de eo, qui extra Eccleſiam ſuſcipit Baptiſmum, non eo quidem adulto, de quo vel parum, vel nullá ſolet eſſe dubitatio; nam ſi qua erat, ſatis jam explicata ſcitur; verum de *Infante* praeſertim perituro: cum ad id faciendum, diſceptandumque non minimum mate-

riae, ac occaſionis praebeant variae antiquorum PP. autoritates, variaeque rationes.

II. Propterea quod inquient aliqui, ab Eccleſia definitum quidem legi, *baptiſmum* Haereticorum, eorumque, qui extra Eccleſiae caſtra militant, verum baptiſmum eſſe, & verum Sacramentum; ſed eorum *Infantibus* prodeſſe ad aeternam, beatamque ſalutem aſſequendam, non legi definitum ab ullo. Quoniam ſi *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo* ſecundum Apoſtolum XI. ad Hebraeos: *Infantes* autem ob aetatem nullam profecto fidem habere poſſunt; & ſi quam habeant, aut habere dicantur; ſane nonniſi eam, quae ſuorum parentum eſt: *Haeretici* porro, iique omnes, qui ſunt extra Eccleſiam, inanem prorſus fidem, vacuamque tenent nec ſibi, nec aliis proficuam ullo modo: ut idem Auguſtinus ſcribit lib. 2. contra Creſconium cap. 28. *fatemur nihil prodeſſe homini baptiſmum Chriſti, ſi apud Haereticos, vel Schiſmaticos baptizetur, eis ipſis tribuens baptiſmum, quo baptizatur: ſed tunc ei prodeſſe incipere, cum tranſit ad corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia Dei vivi*: quare cum loco ſupra relato de Baptiſmo lib. 7. cap. 53. ait: *nequaquam dubitarem, habere eos baptiſmum, qui ubicunque, & a quibuſcunque illud verbis Evangelicis conſecratum ſine ulla ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent; quanquam eis ad ſalutem ſpiritalem non prodeſſet; ſi charitate caruiſſent; qua Catholicae insererentur Eccleſiae*: liquet ſine *fide* juxta eum non prodeſſe baptiſmum maxime ad ſalutem ſpiritalem conſequendam: cum & S. Optatus Milevit. lib. 5. contra Parmen. dixerit: *In hoc Sacramento Baptiſmatis celebrando tres eſſe ſpecies conſtat: prima ſpecies eſt in Trinitate; ſecunda in credente; tertia in operante. Duas video neceſſarias; principalem locum Trinitas poſſidet, ſine qua res ipſa non poteſt geri: hanc ſequitur fides credentis: Trinitas enim ſemper ipſa eſt; fides in ſingulis una eſt: vim ſuam ſemper retinent ambae &c.*

III. Igitur ſi *Infantes* eorum, qui ad Eccleſiam non pertinent, non aliam habere queant *fidem*, niſi illam parentum ſuorum; aut eorum, qui parentum ſunt loco: haec autem inanis ſit, & vacua, nec non ad vitam aeternam obtinendam minime idonea: videtur conſequi, *Infantes* ipſos cum ea ſola quamvis
unda

Digitized by Google

unda baptiſmatis tinctos ex hac vita demigrantes in aeternum perire; aut januam Coeli ingredi non poſſe. Nam eos, quicunque ii ſint, *fide* parentum, qua Paradiſi gloriam aſſequi valeant, indigere; communis fuit Eccleſiae, Sanctorumque Patrum conſenſus; in primiſque S. Auguſtini libri 3. de libero arbitrio cap. 23. aſſerentis: *illud perſcrutari homines ſolent; Sacramentum Baptiſmi Chriſti quid parvulis proſit; cum eo accepto plerunque moriuntur, priuſquam ex eo quidpiam cognoſcere potuerunt. Qua in re ſatis pie, recteque creditur prodeſſe parvulo fides eorum, a quibus conſecrandus offertur: & hoc Eccleſiae commendat ſaluberrima auctoritas &c.*, & lib. de Peccatorum meritis, ac remiſſione, ſeu de Baptiſmo parvulorum 1. cap. 19. *ſi autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba geſtantium quodammodo profitentur &c.*, ut & cap. 33. *ubi ergo parvulos ponimus baptizatos niſi inter fideles, ſicut univerſae ubique Eccleſiae clamat auctoritas? ergo inter eos, qui crediderunt: hoc enim eis acquiritur per virtutem Sacramenti, & offerentium reſponſionem* ſcilicet *de fide* Chriſti.

IV. Item Sermone 8. *de verbis Domini* parentibus infantium inquit Auguſtinus: *Sic credite; cum iſta fide parvulos ad gratiam Chriſti portate; ne ſi hanc fidem in corde non habueritis, pro quibus reſpondetis, lingua veſtra occidatis*: & Sermone 14. itidem de verbis Domini: *credunt & infantes: unde credunt? fide parentum: ſi fide parentum purgantur; peccato parentum polluti ſunt*. Epiſtola vero 193. ad Marium Mercatorem ſcribens ſignificat, eo jam adductos a ſe fuiſſe Pelagianos; *ut infantes confiterentur per eos, a quibus baptizandi offeruntur, credere*. Praeterea lib. de Poenitentiae medicina, ſive homil. 50. de Pueris haec idem habet Auguſtinus: *quibus tamen ad conſecrationem, remiſſionemque originalis peccati prodeſt eorum fides, a quibus offeruntur*: & lib. 4. de Baptiſmo cap. 4. inquit: *ideo cum alii pro eis reſpondent, valet utique ad eorum conſecrationem* (Baptiſmus); *quia ipſi reſpondere non poſſunt*: hoc autem eſt, ſive parentes, ſive qui locum parentum puerorum tenent; & ad Eccleſiam, ejuſque baptiſmum eos offerunt; ac pro ipſis parvulis de fide reſpondent; fidem quoque praeſtare dicuntur; & juxta fidem praeſtitam *Infantes* ad Regna Caelorum evolare. *Nos enim*, inquit S. Cyprianus Epiſt. 76. ad Magnum de Baptiſmo

mo Clinicorum, *exiſtimamus in nullo mutilari, & debilitari poſſe beneficia Divina; nec minus aliquid illic poſſe contingere, ubi plena, & tota fide & dantis, & ſumentis accipitur, quod Divinis muneribus hauritur*: igitur ex oppoſito &c.

V. Poſt S. Auguſtinum Autor Operis de *Vocatione gentium*, qui dicitur eſſe S. Proſper, lib. 2. c. 8. cum ait de parvulis: *Sicut enim aliena confeſſione credunt, ita ex aliena infidelitate, aut diſſimulatione non credunt... cum etiam ipſis parvulis per alienae voluntatis ſubveniatur obſequium*: quid aliud voluit, quam quod idem Auguſtinus ſupra n. 2. diſſeruit, cenſuitque eos habere *baptiſmum, qui ubicumque, & a quibuſcumque illud verbis Evangelicis conſecratum ſine ulla ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent; quanquam eis ad ſalutem ſpiritalem non prodeſſet &c.*? Et Autor antiquus Quaeſtionum ad Orthodoxos inter Opera S. Juſtini Martyris q. 56. de Infantibus ita & ipſe judicat: *digni autem fiunt Baptiſmi commodis fide eorum, qui illos ad baptiſmum offerunt*: Gennadius vero Maſſilienſis lib. 6. de Dogmat. Eccleſ. cap. 52. affirmat: *ſi vero parvuli ſunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, reſpondeant pro illis, qui eos offerunt, juxta morem baptizandi*: & Concilium Toletanum XII. an. 681. celebratum can. 2. edixit: *ſicut Baptiſma, quod neſcientibus parvulis ſine ulla contentione in fide tantum proximorum accipitur: ita poenitentiae donum, quod neſcientibus illabitur*. Honorius tandem Auguſtodunenſis in Gemma Animae conſcripſit: *Parvuli, vel muti, vel ſurdi, vel fatui per petitionem fidelium catechizantur, baptizantur, & per fidem illorum ſalvantur*. Et S. Bernardus Epiſt. 77. ad Hugonem a S. Victore reſpondit: *Non quod vel ipſi* (infantes) *quando baptizantur, fide omnino careant, sine qua impoſſibile eſt vel ipſos placere Deo; ſed ſalvantur & ipsi per fidem non tamen ſuam, ſed alienam... Porro aliena opus eſt fide; nam sine ſorde non naſcuntur aliena... nec dubium, quod macula contracta ab aliis aliorum quoque fide valeat, vel debeat emundari*.

VI. Nec eos fugit, XIII. ſeculo nonnullos Scholaſticae Theologiae profeſſores coepiſſe ſentire, ac literis mandare, Infantes etiam in *fide Eccleſiae* Baptiſmi Sacramentum accipere: idque fortaſſis hauſerunt ex illis S. Auguſtini verbis Epiſtolae 23.

ad

ad Bonifacium aſſerentis: *offeruntur parvuli ad percipiendam gratiam ſpiritualem non tam ab eis, quorum manibus geſtantur, quam ab univerſitate Sanctorum: ab omnibus enim recte offerri intelliguntur, quibus placet quod offeruntur; & quorum ſancta, atque individua charitate ad communicationem Sancti Spiritus adjuvantur*. Ita quidem pie ſed de parvulis Catholicorum; quos primum in fide parentum, aut eorum, qui locum parentum obtinent, offeruntque, baptizari, perſpicue colligitur ex illo Auguſtini Sermone 8. de verbis Domini: *Sic credite; cum iſta fide parvulos ad gratiam Chriſti portate; ne ſi hanc fidem in corde non habueritis, pro quibus reſpondetis, lingua veſtra occidatis*. Quoniam ſi ſola *Eccleſiae* fides ſatis eſſet ad aeternam Infantium ſalutem, fruſtra iſta haec parentibus, vel offerentibus ipſos ingererentur. Poſtea ſi intentionem Miniſtri in Sacramentorum adminiſtratione non ſupplet *Eccleſia*; ſupplebitne haec ipſa fidem parentum, vel offerentium infantes ad baptiſmi ſuſceptionem? plane ſi negligentia parentum Baptiſmus non opportune tribuitur infanti, & iſte infirmitate feſtina mori contingat; negligentiam eam *Eccleſia* nequaquam ſupplere dicitur; ſed infans aeternae morti damnatus aſſeritur. Deinde ſi Eccleſia parvulis Infidelium invitis eorum parentibus non praeſtat baptiſmum, praeſtabit ne ipſis fidem?

VII. Erunt, qui Tridentini Concilii producent Canonem 13. ſeſſ. 7. de Baptiſmo ſtatuentis: *Si quis dixerit; parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles computandos non eſſe; ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos: aut praeſtare omitti eorum baptiſma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiae: anathema ſit*. At Concilium agit adverſus *Anabaptiſtas*, & quosdam novos Eccleſiaſticorum dogmatum impugnatores, qui pueros quoſcunque ante uſum rationis ſacri baptiſmatis unda initiandos inficiabantur: quae alia quaeſtio eſt, atque illa de Haereticorum, & Infidelium infantibus. Et cum ait; parvulos *baptizari in ſola fide Eccleſiae*: primum dicent, adduci *Novatorum* verba, eaque de parvulis Catholicorum intelligi: eſt enim fides *Eccleſiae* fides parentum *Catholicorum*: deinde non excludi fidem parentum, vel fidelium offerentium; ſed

eam

cam dumtaxat parvulorum, *eo quod actum credendi non habent*: & ex 16. Marci Chriſtum dixiſſe ſcimus: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: igitur e converſo parvuli Haereticorum, quoniam nec ipſi credere valent; nec eorum parentes recte credere volunt; ſalvi eſſe non poterunt; ſi mors eos rapiat: quoties *Eccleſia* fidem parentum non ſuppleat: quod eſt id, quod in quaeſtionem venire, & controverti poſſe contendent.

VIII. Quod ſi quis unquam illud proferre tentarit Johannis Moſchi alias Evirati in Prato Spirituali cap. 198. habentis: *Interrogatus eſt aliquando S. Athanaſius, poſtquam Alexandriae Epiſcopus conſtitutus eſt; an poſſet quiſquam ſine fide baptizari ſecundum ritum, & praedicationem Chriſtianorum; aut ſi credere ſe ſimulans aliquibus alias occaſionibus baptizatus fuiſſet, quid de illo ſentiendum; aut quomodo ſuſcipiat illum Deus? & reſpondit dicens: audivi aliquando a ſenioribus noſtris, quod B. Petro Epiſcopo Martyri; cum facta eſſet mortalitas, & plerique ad Baptiſma mortis timore confugerent; apparuit Angelus humana ſpecie dicens: quamdiu hic mittitis marſupia iſta ſignata quidem, inania autem prorſus, & vacua, & nihil intus habentia? erant itaque, quantum ex Angeli voce conjicere licet, ſignum habentes Baptiſmi, quoniam & beneficium aliquod exiſtimarunt ſe conſequi, ſi Baptiſma ſuſciperent; atque idcirco baptizati ſunt*. Primum reſpondebunt, de adultis ſe non quaerere, ſed de *Infantibus*: deinde non utrum baptizentur *ſine fide* accedentes; ſed utrum ita baptizatos etiam ſalvos eſſe dicamus; an vero inanem aliorum fidem ſuppleat Eccleſia. Certum enim eſſe debet, eorum, qui prorſus *ſine fide* ad Baptiſmum accedunt, nulli prodeſſe baptiſmum; itaque abluta dici poſſe marſupia quidem ſignata ſigno interno ſive *charactere* Sacramenti; etſi inania prorſus, & vacua, & intus nihil *gratiae* habentia juxta plane Catholicorum praeſertim recentiorum placita: veteres namque plures nedum in eo, qui ſuſcipit Baptiſma; verum etiam in eo, qui miniſtrat, *fidem* voluiſſe, alias a me, aliiſque ſatis demonſtratum puto.

IX. In oppoſitum autem eſt illud Auguſtini Epiſt. 23. Bonifacio Epiſcopo ſciſcitanti: *quomodo parvulis proſit, cum baptizantur, parentum fides; quorum eis non poteſt obeſſe perfidia*: reſpon-

ſpondentis: *Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad baptiſmum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia ſpiritali ad vitam regenerentur aeternam; ſed quod putant hoc remedio temporali retinere, vel recipere ſanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos neceſſaria miniſteria ... offeruntur quippe parvuli ad percipiendam gratiam non tam ab eis, quorum geſtantur manibus; quamvis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſunt, quam ab univerſa ſocietate ſanctorum, atque fidelium: ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur; & quorum ſancta, atque individua charitate ad communicationem S. Spiritus adjuvantur. Tota hoc ergo mater Eccleſia, quae in ſanctis eſt, facit, quia tota omnes, tota ſingulos parit*: igitur fides Eccleſiae, non parentum &c.

Reſpondebunt fortaſſe, S. Auguſtinum loqui de parvulis in Eccleſia, non extra eam ablutis; ſiquidem quaeſtio erat de ipſis parvulis in Eccleſia jam baptizatis, & a parentibus lapſis, *& apoſtatis ad Daemonum ſacrificia* delatis, *utrum parentum perfidia eis noceret*: & quomodo eis proſit, cum baptizantur, *parentum* fides, quorum eis non poteſt obeſſe *perfidia*. Quare ſubdidit idem Auguſtinus: *Nam ſi Chriſtiani baptiſmi Sacramentum, quod unum, atque idipſum eſt, etiam apud Haereticos valet, & ſufficit ad conſecrationem, quamvis ad vitae aeternae participationem non ſufficiat ... quanto potius in Catholica Eccleſia etiam per ſtipulae miniſterium frumenta purganda portantur; ut ad maſſae ſocietatem mediante area perducantur*. Poſtea Auguſtinus magis de intentione loquitur, quam de fide Chriſti.

X. Qua quidem Epiſtola reſponderi poſſe videtur ejusdem Auguſtini autoritati n. 4. & 6. recitatae ex Sermone 8. de verbis Domini: *ne ſi hanc fidem in corde non habueritis, pro quibus reſpondetis, lingua veſtra occidatis*: nam in hac inquit parentibus dici: *nolite occidere parvulos veſtros*: quia *in illis quidem interfectionem non faciunt; ſed quantum in ipſis eſt, interfectores fiunt*: ſicut ait Apoſtolus 1. Theſſ. 5. *Spiritum nolite extinguere: non quia ille extingui poteſt; ſed quantum in ipſis eſt, extinctores ejus merito dicuntur; qui ſic agunt, ut extinctum velint*:

 Cum

Cum & antea dixiſſet: *non enim ſcriptum eſt: niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel miniſtrantium fide: ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.*

Et haec ſane praeclare ſatis dicta: ſed tamen & voluntatem, & fidem in his requiri dicunt ſi non ad Sacramentum, ſaltem ad Sacramenti effectum, & ſalutem: *qui crediderit, & baptizatus fuerit; ſalvus erit:* ſive voluntate, ac fide propria; ſive aliena. Quod ſi fides Eccleſiae pro parvulis ſtat loco fidei parentum, vel offerentium; ut quid, ajunt, tot illae ſupra commemoratae antiquorum autoritates de fide parentum: *ſi fide parentum credunt*; *peccato parentum polluti ſunt &c.?* numquid utraque requiritur; vel modo haec, modo illa? quandoquidem & dixit: *offeruntur parvuli ad percipiendam gratiam non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, quamvis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſunt; quam ab univerſa ſocietate Sanctorum, atque Fidelium &c.*

XI. Nec deerunt tandem, qui probent; Baptiſmi Chriſti eſſe potiſſimum *Originale* peccatum delere: Infantes autem Haereticorum, & Infidelium nonniſi Originali peccato polluuntur, & a Regno Caelorum excluduntur: igitur Baptiſmo quocunque poſſunt expurgari, atque adeo Caelorum Regnum adire.

Sed reſpondebunt etiam alii; Baptiſmum quidem tollere peccatum originale, verum non ſine *fide* juxta Evangelicum dictum: *qui crediderit, & baptizatus fuerit &c.*, haec autem parentum Infidelium, & Haereticorum nulla eſſe probatur; deerit quoque illa Eccleſiae; ſi haec unquam adducatur: cum Apoſtolus per eam clamet: *quid ad nos de his, qui foris ſunt?* igitur ſine ea informe erit in illis Baptiſmi Sacramentum; nullumque eiſdem aeternae vitae praeſtabit effectum. Adducent inſuper memoratas in primis autoritates Auctoris Operis *de Vocatione Gentium*, & S. Bernardi paulo ante n. 5. *parvulos, ſicut ex aliena confeſſione credunt, ita ex aliena infidelitate, aut diſſimulatione non credere: & aliena opus eſſe fide; nam ſine ſorde non naſcuntur aliena*: non autem ſorde Eccleſiae naſcuntur; ergo nec Eccleſiae fidem opus eſſe eis. Ita quidem iſti & ratione, & auctoritate ſuffulti: veruntamen adverſae opinionis aſſertores contra

XII. Poſ-

XII. Poſſent poſtremo probare, atque hoc modo argumentari: tribuit Eccleſia Haereticis, aliiſque Infidelibus baptizandorum puerorum poteſtatem; eorumdemque Baptiſmum admittit, & ratum habet: non tribueret autem illis poteſtatem; nec admitteret, ratumque haberet ejuſcemodi Baptiſma, niſi effectum iſtud conſequeretur: ut quid enim aqua, quae foedet, non purget; tingat, ſignetque, ſervare vero nequeat? igitur Baptiſma Haereticorum, aliorumque Infidelium &c.

Nihilominus tamen alii reſpondere poſſent; Eccleſiam Infidelibus jus baptizandi permittere; non quod eorum ablutio ſemper expiare credatur, & una ſalutis effectum certo conſequatur; ſed quia quae non ſanat in praeſenti, ſanare ſaltem poteſt in futuro: nam qui infans eſt, & tempore fiet, vel fieri poteſt adultus, ſi vita ſuppetet; ille idem, qui initio non purgatur, tempore purgari poterit, ſi quando fidem veram induerit: & quod pueris nequaquam prodeſt, adultis tandem prodeſſe poterit. Nec alia de cauſa creditur, ab Eccleſia ratum haberi quoruncunque Baptiſmum etiam adultis fictis, & haereticis, impiiſque collatum; cum tamen ficti, Haeretici, caeterique impii, & infideles eo lavacro non purgentur, ſed ſordidentur: veruntamen quia interdum iidem illo tandem expiari poſſunt; iccirco eorum baptiſmus minime improbatur, ſive a Catholica Eccleſia non rejicitur. Quae ſunt profecto ea, quae in utramque partem dici poterunt diſputationis, atque exercitii gratia.

Digitized by Google

INDEX

RERUM, AC VERBORUM.

A

ABbas Panormitanus. Cap. II. n. xlv.
Abbatiſſae quid ſibi olim vindicarent. Q. II. n. x.
Abdicantes ſe dignitate an Ordinis poteſtatem retineant. Cap. X. n. xxviii.
Adrianus II. Cap. III. n. xxxii., Cap. V. n. xxvi.
Adrianus VI. Cap. II. n. xlv.
Aeduenſis Stephanus. Q. II. n. xii.
Agapetus II. nullam dicit ordinationem intruſi, & Simoniaci. Cap. VII. n. x.
Agathenſe Concilium explicatur. Caput III. n. ii.
Alcuinus. Q. II. n. ii.
Alexandri Alenſis ratio, cur quaedam iterari non poſſint. Cap. I. n. vi., Citatur Cap. II. n. lx.
Alexander II. primus Subdiaconatum dixit Ordinem Sacrum. Q. III. n. iv.
Alexander III. Cap. II. n. xxii., & Cap. X. n. xxviii. ac xxx.
Alexander Natalis caſtigatur. Cap. III. n. x., laudatur. Q. V. n. iii.
Algerus Leodienſis refellitur. Cap. XII. num. i.
Altarium conſecratio cujus juris. Caput V. n. xxxi.
S. Ambroſii dictum quomodo accipiendum. Cap. III. n. vii., Q. IV. n. xxiv.
Anaſtaſius II. de proſcriptorum Ordinationibus an audiendus. Cap. X. n. xxii., & ſeqq.
Anathema quo differat ab Excommunicatione. Cap. VI. n. i.
Anatholius CP. Epiſcopus an intruſus ab Haereticis. Cap. V. n. xl.
Ancyrana, & Antiochena Arianorum Synodus quando coacta. Q. V. n. x.
Ancyranae Synodi Canonis ſenſus exponitur. Q. I. n. xii.
Androgyni an ordinari queant, ac ordinare. Cap. XI. n. vii., & Cap. III. num. iii.
Anglorum ordinationes Eccleſ. quaenam irritae. Cap. VIII. n. xliii.
Antonius Andreae. Cap. XI. n. vi.
Apoſtatae an Ordinis poteſtatem retineant. Cap. X. n. xxviii.
Arelatenſis II. Synodus quo tempore habita. Q. VI. n. ii., & ſeqq.
III. Synodus quo anno celebrata. Ibidem n. iv. & vi.
IV. Synodus quo tempore, & quos Can. ediderit. Ibidem n. iv. & ix.
Ariani quouſque cum Catholicis miſti. Cap. VI. n. xvii.
Arreptitii Sacrorum Ordinum an capaces. Cap. III. n. xiv.
S. Athanaſii lectio corrupta. Q. V. n. ii.
Ejus locus ab Adverſariis adductus explicatur. Cap. XI. n. v.
Atto Vercellenſis Epiſc. Q. IV. n. iii.
S. Auguſtinus in hac de ordinatione pravorum quaeſtione quomodo interpretandus. Cap. XI. n. vii. & ſeqq.
Aliud ejus dictum explicatur. Caput XII. n. xiii., Q. VII. n. ix.
Autor ſupplementi Conciliorum notatus. Q. V. n. xv. & VI. n. viii.
Autor rei Sacramentariae expenſus. Cap. IV. n. xxii., & XII. n. xix.
Autor Synopſis Can. Eccleſ. Q. II. n. ii.
Auxilius Francus notatur, confutaturque. Cap. V. n. xvii. & xxxx. Cap. X. n. xvi.
In errorem attraxit multos, ac in primis Petrum Damiani. Ibidem.

Ba-

B

BAptiſmus Haereticorum ſub conditione repetendus. Cap. III. n. vi.
ſine fide collatus an verum Sacramentum. Q. VII. n. viii.
tempore S. Cypriani fere ab univerſa Eccleſia explodebatur. Caput VIII. n. iii.
Baptizandi jus multiplex, & quodnam amitti queat. Cap. XI. n. ix.
Officium olim Diaconis uſitatum. Q. II. n. xiii.
Baronius Caeſar notatus. Cap. X. n. xxii., Cap. XI. n. xix., Cap. V. n. xix. & xx. xxiv. Q. IV. n. i., & Q. V. n. viii. & xii. citatur Cap. VIII. n. iii.
S. Baſilii Epiſtolarum loca interpretantur. Cap. XI. n. xvi., & Q. I. n. ix.
Bellarminus Robertus notatus. Q. IV. num. i.
Benedictio ſaepe pro Sacra Ordinatione ſumta. Cap. VIII. n. xix. & ſeqq.
Benedictus XIV. Cap. XII. n. ii.
S. Bernardus. Q. VII. n. v.
Bigami num Ordinibus Eccleſ. idonei. Cap. III. n. vii. & ſeqq.
An omnes, & quinam diſpenſari valeant. Ibidem n. x.
S. Bonaventura. Cap. I. n. ii., & Q. III. num. i.
Ejus argumenta pro ordinat. Haeret. expenduntur. Cap. XII. n. x. & ſeqq.
Bonifacius VIII. Cap. III. n. xv.
Bonitio Sutrinus Epiſcopus. Cap. VII. n. xx.
Bonoſiaci haeretici an, & cur iterato ordinandi. Cap. VIII. n. xv.
Boſchius Jo: Bap. notatus Q. V. n. xi.

C

S. CAeleſtinus I. Papa. Cap. IV. n. xxiii. & Cap. XI. n. xvi.
Num Autor jejunii quatuor Temporum. Q. IV. n. vii. & viii.
S. Caeſarius Arelaten. Epiſc. quot Synodos Arelate convocarit. Q. VI. n. iii.
Cathari aliquando cum Catholicis communicarunt. Cap. XI. n. iv.
Catechumeni num ordinari in Eccleſia poſſint. Cap. III. n. iv.
Character Ordinis cur indelebilis. Caput I. n. v. & vi.
an ſolus Cleric. conſtituat. Ibidem.
Quot modis dicatur. Cap. II. n. i.
an ab Ordinis poteſtate ſecernatur, ac ſejungatur. Ibidem n. iii. & ſeqq.
Chorepiſcopi an veri Epiſcopi. Q. I. n. iii. & ſeqq.
an in Hiſpania fuerint. Ibidem num. xviii.
Eorum dup. generis, uniuſque quinam Autores. Ibidem n. ii. & iii.
Quandonam Galli in eos inſurrexerunt, & qua de cauſſa. Ibidem.
Chriſtianitatem auferre, ac reſtituere quid. Cap. V. n. xxiv.
Cicenſtrenſis Synodus. Q. II. n. xii.
Clementis II. decretum de Simoniacis Cap. VII. n. xii., & xxxiii.
Clinici num Sacris Ordinibus initiandi. Cap. VI. n. i.
Compendienſe Concilium. Cap. III. n. iv.
Crimen quid ex S. Auguſtino. Cap. IV. num. xviii.
Criminoſi num ſemper ab Ordinibus Eccleſ. repellantur. Cap. IV. n. xviii.
Curiae addicti an Ordinibus Eccleſ. apti cenſeantur. Cap. IV. n. xxiii.
S. Cyprianus. Cap. V. n. iii., Cap. XII. n. xiii., & Q. II. n. ii.
Cyrillus Hieroſolymit. Epiſcopus an intruſus ab Haereticis. Cap. IX. n. xlix., & Cap. VIII. n. viii.

D

S. DAmaſus Papa. Cap. V. n. v., & Cap. XI. n. xviii.
Ejus epitaphium pro S. Euſebio Papa. Q. V. n. xvi.

Digitized by Google

Damiani S. Petrus ab Auxilio Franco deceptus. Cap. V. n. XL.
S. Innocentii I. verba recte interpretatur. Cap. VIII. n. XII.
Ejus objecta diluuntur. Cap. VII. n. XXVIII., & ſeqq.
Degradatio an idem atque depoſitio. Cap. X. n. I.
Depoſiti dignitate Eccleſ., ac exauctorati an fiant Laici. Cap. XII. n. XII.
Deponuntur etiam, vel deponi dicuntur, qui nullum Ordinem Eccleſ. habent. Cap. VII. n. II.
Diaconi quanta olim munia exercerent in Eccleſia. Q. II. n. II. & ſeqq.
An Sacerdotum munus etiam uſurparint. Ibidem n. I. & ſeqq.
Eorundem eximia laus, unde & elatio. Ibidem n. XIV., & XV.
Dioſcorus junior quare iterum ordinatus. Cap. II. n. LI., & Cap. V. n. XIII.
Donatiani in judicio Rom. ſub Melchade Papa an Schiſmatici. Cap. XI. num. I.
Eorum Ordinationes an ab Eccleſia receptae, & quare. Cap. XI. num. VII.
Duranti Gulielmus Mimaten. Epiſcopus. Q. III. n. XV., & Q. IV. n. VI. ac XVI.

E

EBoracenſe Concilium. Q. II. n. XII.
Eccleſiae conſecratio cujus juris. Cap. V. n. XXXI.
Eadem quibus de cauſſis iteranda. Cap. VIII. n. XXII.
Electio, quae nulla ſit, quomodo valere queat. Cap. VI. n. XV., & IX. num. XVII.
Electus, & quodammodo non confirmatus an ordinari poſſit. Cap. III. num. XIV.
Eliberit. Concilium. Q. II. n. II.
Energumeni num Eccleſ. Ordinibus addici queant. Cap. III. n. XIV.
S. Epiphanius. Cap. XI. n. XVIII., Q. IV. n. III.
Epiſcopi olim *Presbyteri* appellati. Q. I. num. XV.
Vulgo *titulares* Chorepiſcopis ſucceſſiſſe videntur. Ibidem n. XXIII.
Error communis tribuit juriſdictionem, ac poteſtatem. Cap. V. n. XXXIII., & XII. n. XX.
Errandi cauſſae Theologis, aliiſque in Ordinis quaeſtione quae fuerint. Caput XII. n. XXII.
Evagrianorum Ordinationes cur repetitae. Cap. IV. n. IV.
Eugenius III. quo pacto Gratiani Canonum Collectionem approbavit. Caput XII. n. IV.
S. Euſebii Papae epitaphium. Q. V. n. XVI.
Obiit in exilio Siculo, non Romae. Ibidem.
Exauctoratus an fiat Laicus, vel ordinis poteſtatem retineat. Cap. XII. num. XXI.
Excommunicatio quo diſcriminetur ab anathemate. Cap. VI. n. I. & II.
Excommunicatus an, & cur ordinandi poteſtate careat. Ibidem n. IV., & ſeqq.
Execratus quid apud Eccleſ. Autores. Cap. V. n. XXXIX.
Exordinare quid ſit apud Scriptores Eccleſ. Cap. IX. n. VIII.
Extra Eccleſiam baptizatus an ordinari queat, Cap. IV. n. I.
Extra Tempora num ordinari quis poſſit, & quomodo. Cap. IV. n. XXIV.

F

FAllaces, falſariique inter criminoſos reputandi. Cap. IV. n. XXV.
Felix II. intruſus, an verus Pontifex dicendus. Cap. V. n. XL.
Felix II. al. III. Rom. Pontifex. Caput VIII. n. XVIII.
Fictus an, & quando Ordines. Eccleſ. ha-

habere poſſit, vel conferre. Caput III. n. v.
Flammesbur. Rubertus impugnatur. Cap. IX. n. x., & xiii.
Foeminae num Ordinibus Eccleſ. idoneae. Cap. III. n. iii.
Formoſi Papae Ordinationes ſacrae cur controverſae, & a nonnullis iteratae. Cap. X. n. xiv., & ſeqq.
Ejus defenſor Auxilius, aliique quales habendi. Cap. X. n. xvi.
Francofordien. Concilium. Cap. III. n. xiii., & Cap. VII. n. iv.
Fraſſen Claudius notatus. Cap. V. n. xxi., Cap. VIII. n. xi., Cap. X. n. ix., refellitur Cap. XII. n. xx.
C. Fures cujus Concilii ſit. Q. II. n. xii.

G

S. Gelaſius I. Papa. Cap. II. n. xxx., III. n. i., Q. I. n. vii., & viii., II. n. vi. & vii., IV. n. x.
Gennadius Epiſcopus CP. Cap. VIII. n. xvii.
Gennadius Presbyter Maſſilienſis. Cap. III. n. i., VIII. n. xv., Q. VII. n. v.
Gerundenſe Concilium. Cap. II. n. xxiv., & VII. n. xvii.
Gloſſa decret. caſtigatur. Cap. X. n. xxix.
Goffredus Vindocinenſis Abbas. Cap. V. n. xlv.
Graecorum Schiſmaticorum Ordinationes cur a Latinis admittuntur. Cap. XI. n. xxiv. & ſeqq.
Gratianus Canonum Collector quid primus de *irrito*. Cap. I. n. xi., VIII. n. xxxvii.
ejus lapſus. Cap. VII. n. xxii. & xxiii., XII. n. iv. v. & xxiii., Q. IV. n. xii.
citatur. Cap. II. n. xl., VII. n. xxviii., X. num. xviii. xxii. & xxiv.
ejus Correctores notantur. Cap. X. n. xxiv., & XII. n. iv.
S. Gregorius I. Cap. IV. n. iii. & xviii., VII. n. vi., Q. III. n. v. & vi.
ejus autoritates adductae interpretantur. Cap. XI. n. xii. & xiii.
S. Gregorii VII. locus explicatur. Cap. III. n. v., ejus Decreta quaedam. Cap. VII. n. xvi. & xvii.
Gregorius IX. Cap. V. n. xxxi., VI. n. xiv., VIII. n. xxii., XI. n. xxv. Q. II. n. ix.
Gregorius Turonenſis Epiſcopus. Cap. II. n. lii., VIII. n. xxi. & xxiv., Q. IV. n. xvii.
Gulielmus Pariſienſis Epiſcopus. Cap. II. n. xliv., VI. n. iii., VIII. n. xix. & xxviii.
ejus autoritati reſpondetur. Cap. X. n. xx.

H

Haeretici quidam dicuntur, & non ſunt. Cap. VIII. n. i.
Qui Epiſcoporum nomen habeant, & qui non. Cap. XI. n. xxvi.
Eorum Ordinationes an *validae* ſint, ac ſuſcipiendae ab Eccleſia, & quando. Cap. VIII. n. i., & ſeqq., Cap. XII. n. xiii.
Herembaldi Equitis, ac Martyris factum. Cap. II. n. lvi., & VI. n. x.
Hermantius. Q. V. n. ix.
Hermaphroditus an, & quando ordinari valeat. Cap. II. n. vii.
S. Hieronymus. Cap. II. n. l., VIII. n. viii., IX. n. i., XI. n. v., Q. II. n. v. xiii. & xv., Q. IV. n. xvi.
Ejus dictum exponitur. Cap. XII. n. i., III. n. xii.
S. Hilarius Pictavien. Epiſcopus. Cap. VI. n. v.
Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus. Cap. X. n. x., XI. n. xv., Q. I. n. xxii.
Hiſpalenſis Synodus II. Cap. I. n. ix. III. n. vi. & viii., VII. n. ii.
ejus textus corruptus. Q. I. n. xviii.
Hormiſda Pontifex Rom. Cap. XI. n. xxvi.

I

Iconoclaſtae an Haeretici, vel Schiſmatici. Cap. XI. n. xv.
Jejunium quatuor Temporum a quo inſtitutum, Q. IV. n. vii. & viii.
an priùs bidui, vel tridui fuerit. Ibidem n. ii.
Vetus feriarum 4. & 6. num ſit abolitum. Ibidem n. vii.
Sabbati quando, & a quo initium habuit. Ibidem n. iv. & v.
Illegitimi an Ordinibus Eccleſ. apti. Cap. IV. n. xxii.
Illicitum quot modis enuncietur. Cap. I. n. viii. ix. & x.
Illiterati num ſacris Ordinibus initiari queant. Cap. IV. n. xxii.
Imagines Sacrae cujus ſint cultus. Caput XI. n. xv.
Inefficax idem interdum ac irritum. Cap. I. n. xiii.
Infantes Infidelium cum Baptiſmo in fide parentum ſuſcepto decedentes an ſalvi ſint. Q. VII. n. i. & ſeqq.
An ſola Eccleſiae fides profit eis. Ibidem n. v.
Intruſi, & Invaſores an Ordines Eccleſ. vere obtineant. Cap. V. n. i. & ſeqq.
Eorum crimen an gravius haereſi, & Schiſmate. Ibidem n. xlii.
S. Innocentii I. autoritas adducitur, & defenditur. Cap. III. n. ix. & ſeqq.
Innocentius III. explicatur. Cap. IX. n. xviii., & XII. n. ii.
Ejus lapſus de Subdiaconatu unde fluxerit. Q. III. n. iv.
Innocentii IV. opinio ſingularis. Cap. II. n. xlv.
S. Joannes I. Papa an Arianorum Eccleſias iterum ſacraverit. Cap. II. n. lii., & VIII. n. xxi.
Joannes VIII. iterandam docet Ordinationem ab excommunicato factam, Cap. II. n. lii., & Cap. VI. n. viii. & ix.
Invadere Eccleſiam alienam contra *Divinae legis traditionem* affirmat. Cap. V. n. xxix.
Ubi Photium ſuſcepit, locum quoque diuturno Schiſmati dedit. Ibidem n. xxxii.
Irritum an multimodis dicatur, ut *Illicitum*. Cap. I. n. xi. & xii.
Juenin Gaſpar notatus. Cap. XI. n. ii., & XII. n. xxii.
Juo Carnuten. Epiſcopus. Q. II. n. xl., & IV. n. iii.

L

Laici qui, curve a ſacris Ordinibus arceantur. Cap. IV. n. xxiii.
Laodicenae Synodi canon 57. declaratur. Q. I. n. xvi.
Lateranenſia Concilia I. II. & III. irritas dixerunt Haereticorum Ordinationes. Cap. VIII. n. xxxiii. & xxxiv.
Leonis Magni ſententia affertur, & a pravis interpretationibus vindicatur. Cap. V. n. ix. & ſeqq.
Ejus Epiſtolae nonnullae exponuntur. Cap. XI. n. xi., Q. IV. n. xii. & xiii.
Leonis III. decretum de Chorepiſcopis quanti faciendum. Q. I. n. xx., & ſeq.
Leo IX. quid contra Simoniacos. Cap. II. n. lv., VII. n. xi. & xii.
Ejus decretum exponitur, & veritati magis commendatur. Cap. XI. n. xxii.
Leontius Antiochiae Arianorum Antiſtes quo anno obierit. Q. V. n. xi.
Liberius Papa quo anno lapſus eſt, Romamque rediit. Q. V. n. ii.
Quam fidei formulam ſubſcripſerit. Ibidem n. xiv.
Londinenſe Concilium. Q. II. n. xii.
Lucifer Calaritanus Epiſcopus. Cap. V. n. iv.

Lu-

Digitized by Google

Lucius III. Cap. II. n. xxxiv., III. n. ix., VII. n. I., & XII. n. xIII., IX. n. xIII.
Luitprandus Ticinen. caſtigatur. Cap. X. n. xvi.
Lupus Chriſtianus notatus Cap. IV. n. xxiv., V. n. xxIII., VIII. n. x., Q. IV. n. v.
laudatus Q. I. n. x., & IV. n. xx.

M

MAcedoniani diu cum Catholicis miſti. Cap. XI. n. xvIII.
Mabillonius Joannes. Cap. V. n. xxxvII. & Q. I. n. II. & xxIII., notatus Cap. IV. n. xx.
S. Martinus I. Cap. V. n. xIV., & VIII. n. xxv.
Martinus Bracaren. Epiſcopus. Cap. III. n. Ix., IV. n. Ix., XI. n. II., & Q. I. n. xvIII.
Maſſalianorum Ordinationes an, & cur iterandae. Cap. XI. n. x.
Matrimonium verum, & non ratum. Cap. XII. n. II.
Mayronus Franciſcus. Cap. II. n. xLIV., & III. n. II.
Maximus Antiochenus Epiſcopus an intruſus. Cap. V. n. xLI.
Meclinenſe Concilium quid de Haereticorum Baptiſmo. Cap. III. n. v.
Mediavilla Richardus. Cap. I. n. II., X. n. xx., XII. n. Ix., refellitur Cap. X. n. v., & XII. n. xx., & xxI.
Meletianorum Ordinationes an repetitae, & quare. Cap. X. n. vI., & IX. n. III.
Meletius Antiochenus Epiſcopus an ab Haereticis ordinatus. Cap. XI. n. xIX.
Metaphraſtes Simeon Q. IV. n. v.
Metrophanes Smyrnenſis Antiſtes reprehenſus. Cap. VIII. n. xvIII.
Midenſis Synodus. Q. I. n. xxIII.
Moguntinum Concilium III. Cap. IV. n. xI.
Monothelitarum Ordinationes expenduntur. Cap. xI. n. xx.
Morinus Joannes notatus. Cap. IV. n. xx., & VIII. n. xxxIV., defenditur Cap. X. n. xv., & XI. n. xxI.

N

NEocaeſarienſe Concilium. Cap. IV. n. xxv., & VIII. n. xIx., Q. I. n. xIV., & II. n. III.
Neophiti num ordinibus Eccleſ. initiandi. Cap. IV. n. xxIII., qua lege arcentur. Cap. III. n. x.
Nicaenum Concilium I. Cap. II. n. xvI., IV. n. III. xI. xx. & xxv., X. n. vI. & vII., Q. I. n. xI., & II. n. III. & vI.
ejus Canonis 8. vox varie interpretata. Cap. XI. n. II., & III.
Nicephorus Orator, & Philoſophus. Cap. V. n. xxxII.
Nicolaus I. quid de Photii ordinatione &c. Cap. V. n. xxv., X. n. IV. xxII., XI. n. xv., XII. n. xIII.
quid de Chorepiſcopis. Q. I. n. vI. vII., & xIx., de jejunio Sabbati. Q. IV. n. v.
Nicolaus II. Cap. IV. n. vI. ejus Decreta. Cap. V. n. Ix., & VII. n. xIII., ac xv.
S. Nilus junior quid de jejunio Sabbati. Q. IV. n. v.
Northuſien. Concilium. Cap. VIII. n. xxxIII.
Novatianorum Ordinationes cur ab Eccleſia ſuſceptae. Cap. XI. n. II. & ſeqq.
cum Catholicis diu communicarunt. Ibidem n. Iv.
Novatianus Schiſmaticorum Anteſignanus an vere ordinatus Pontifex. Cap. V. n. II. & III.

O

OFferre quid apud Scriptores Eccleſ. Q. II. n. II. & ſeqq.
Of-

Officium Eccleſ. quid, & quotuplex. Cap. I. n. VII.
Optatus Milevitan. Epiſcopus. Cap. I. n. VII., IV. n. XIX., VIII. n. V., & IX. n. IV.
Ordinatio quae, & cur iterari non poſſit, aut non debeat. Cap. I. n. VI.
Prava, ac invalida an, & quomodo ſanari valeat ab Eccleſia. Cap. VI. n. XVI.
Ordinationes privatae an ſemper licitae. Cap. IV. n. II.
Ordinatus a pluribus non idem praeſtantibus qualis. Cap. III. n. VI.
Ordo ſacer, & Eccleſ. quid. Cap. I. n. I. & ſeqq., quot modis dicatur. Ibidem n. IV. & VII.
Ejus natura, atque eſſentia quae, Ibidem n. IV.
Quibus conflari dicatur. Cap. II. n. I.
Quotuplex ſit ſacer. Q. III. n. I. & XIII.
Ordo Romanus. Q. II. n. XI.
Oſius Corduben. Epiſcopus quo anno lapſus. Q. V. n. VII.
Oſtienſis Epiſcopus Henricus. Cap. IX. n. XIV.

P

PAcianus Barcinonen. Epiſc. Cap. V. n. II. & X. n. V.
Pagius Antonius notatus. Q. V. n. I. Citatur. n. IX. X. XI. & XV.
Pariſienſe Concilium. Cap. IV. n. XIII., alterum Q. I. n. II., & XIX. ac XX.
Paſchalis II. Cap. VII. n. XXIV., VI. n. II. & XII., VIII. n. XXI. XXVI XXXIII., & XI. n. XXIII.
Paulinus Antiochenus Epiſcopus quomodo ordinatus. Cap. IV. n. IV.
Pelagius I. Papa. Cap. II. n. XX., & IX. n. V.
Pelagius II. continentiae fibulam Subdiaconibus Siculis impoſuit. Q. III. n. VI.
Pereſius Martinus caſtigatus. Cap. V. n. XXXI.
Petavius Dionyſius. Cap. XI. n. XV., notatus Q. V. n. I.
Petrus Cantor. Q. II. n. XII.
Petrus Lombardus. Cap. I. n. I., II. n. XLVIII., VII. n. XXVII., VIII. n. XXXVI.
Pharenſis Synodus de Paſchate. Cap. IX. n. VI.
Photii CP. intruſi Ordinationes a quibus rejectae, aut receptae. Cap. V. n. XXIV. & ſeqq.
Nullae cum fuerint, quo modo ſunt factae validae. Ibidem n. XXXIII.
Pictavienſis Synodus. Q. II. n. XII.
Poenitentiae Sacramenti miniſterium an olim Diaconis permiſſum. Q. II. n. XI. & XII.
Pontificalis libri Autor emendatur, Cap. V. n. XXII., citatur Cap. I. n. II., V. n. XVI., X. n. XXII., Q. II. n. XIII. Q. IV. n. XV. & XVI.
Poteſtas juriſdictionis quomodo confertur, & aufertur. Cap. II. n. XLVI.
Poteſtas Ordinis an ſtare queat ſine charactere. Cap. II. n. III. & ſeqq.
An depoſitis, & exauctoratis auferatur. Cap. X. n. III.
Praepoſitivus Theologus refutatur. Cap. XII. n. V.
Presbyter qui non eſt, an Epiſcopus eſſe poſſit. Cap. III. n. XI.
Presbyteri quae olim ſibi arrogarint, Q. II. n. VIII. & IX.

Q

QUadrageſima quot modis fiat, & dicatur. Q. IV. n. XIV.
An Romae olim peracta, uti modo fit; an ſecus. Ibidem num. XIII., & XXII.
Ejus initium, cauſſaque proditur. Ibidem n. VIII.

Qua-

Digitized by Google

Quatuor temporum jejunium quando, & a quo incoeperit. Q. IV. n. vii. & viii.
an olim trium temporum dumtaxat fuerit. Ibidem n. ix.
Queſnellus Paſchaſius notatus. Cap. V. n. ii., Q. IV. n. xiii. & xviii.
Quinquageſima quae, & quot modis acta. Ibidem n. xiv., & xv. ac xvi.

R

RAbanus Maurus Chorepiſcoporum vindex. Q. I. n. v.
Ratiſponenſe Concilium an certum. Q. I. n. xx.
Ratum in effectu an ſit, quod in ſe tale non eſt. Cap. I. n. xii., & XII. n. iv.
Ratum, & verum Sacramentum, vel verum, & non ratum quodnam ſit. Cap. XII. n. ii.
Ravennaten. Concilium Joannis VIII. Cap. II. n. xxi.
Ravennat. Archiepiſcopus, & Antipapa. Cap. VIII. n. xxxi.
Rebaptizati num Ordinibus Eccleſ. idonei. Cap. IV. n. i.
Remenſe Concilium. Cap. IV. n. v., alterum Cap. VII. n. xxv., VIII. n. xxxii., IX. n. viii.
Romae an ante S. Leonem I. quis doceret in Eccleſia. Q. IV. n. xviii. & xxiv.
Quomodo tunc ibi jejunium Quadrageſimale. Ibidem n. xi. xviii. & xxii.
Romanus Pontifex quid interdum oeconomiae cauſſa poſſit, & faciat. Cap. VI. n. xv.
Romana Concilia. Cap. II. n. xxiii. xxxviii. liii. liv., III. n. xiii., IV. n. v. vi. xvii., V. n. xvi. xxxvi., VI. n. i. ii., VII. n. xvi., VIII. n. xxv. xxviii., X. n. xiv.
Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus. Cap. IX. n. x.
Rubion Gulielmus Cap. I. n. iii., II. n. xlvi., III. n. ii., & XII. n. xv.
Rufinus Aquilejenſis, Cap. VIII. n. viii., & XI. n. ii. & iii.
Rupertus Abbas Tuitien. Cap. VIII. n. xxx. & xxxvi.

S.

SAcramenta Chriſti extra Eccleſiam non eſſe qui aſſeruerint. Cap. VIII. n. xxxii.
Malorum quando valeant, & quando non. Cap. XII. n. xiii.
Sanderus Nicolaus. Cap. VIII. n. xliii.
Scotus Jo: Duns. Cap. I. n. i. iii. iv. viii. xii., II. n. i. v. ix. xxxvii., III. n. ii. v. xiii., VIII. n. xxxix., X. n. xx. & xxvi.
Ejus rationes, & argumenta expenduntur. Cap. XII. n. xvi. & ſeqq., III. n. ii.
Schiſma quot modis in Eccleſia contingat. Cap. IX. n. i.
Magnum ſub Joanne VIII. quando extinctum. Cap. V. n. xxxii.
Maximum ſub Urbano VI., & una dubium. Cap. IX. n. xvii.
Sardicenſe Concilium. Cap. IV. n. x., V. n. iv., & X. n. viii.
Semiariani quando ab Eccleſia Catholica damnati. Cap. XI. n. xviii.
Septima Synodus quando Oecumenica coepit haberi. Cap. XI. n. xv.
Servi, ac mancipia an, & quomodo Ordinibus Eccleſ. idonea. Cap. IV. n. vii.
Septuageſima quae, & a quo invecta. Q. IV. n. xvi. & ſeqq.
Sexageſima a quo dicitur inſtituta, & quare. Ibidem n. xv. & ſeqq.
Simoniaci varii generis. Cap. VII. n. i., eorum Ordinationes quae. Ibidem, & ſeqq.
Sine titulo num ordinari quis queat. Cap. IV. n. xiii.
Siricius Papa. Cap. III. n. viii. & xi., IV. n. xii. & xxiii., Q. I. n. vii.
Sir-

Sirmondus Jacobus notatus. Q. VI. n. IV. & VI.
Socrates Hiſtor. Cap. V. n. XL., XI. n. IV., an erraverit. Q. IV. n. XI. & XVIII.
Sozomenus Hermias. Cap. V. n. VIII., XI. n. XVII. & XVIII., an lapſus ſit. Q. IV. n. XVIII. XXIV., V. n. IV. & IX.
Stephanus I. Cap. V. n. XIII., II. Q. I. n. XXII., III. Q. III. n. VI., V. Cap. V. n. XXVII.
Stephanus VI. al. VII. verus Pontifex, non intruſus. Cap. X. n. XV. & ſeqq.
Schiſma Photianum extinxit, vel Photii nomen admiſit. Cap. V. n. XXXII.
Subdiaconatus ordo a quo primum dictus ordo Sacer. Q. III. n. III. & IV.
Quam ob cauſſam dictus eſt Sacer. Ibidem n. IX. & X.
Ex quo tempore continentiae legi addictus. Ibidem n. VII. & ſeqq.
Subditi alieni num ordinari queant, & quando. Cap. IV. n. IX.
Sveſſionen. Concilium II. Cap. II. n. XIX., V. n. XXII., & X. n. X. & ſeqq.
Summus Pontifex quis. Cap. II. n. XXVII. & XXIX.
Suſpenſi an Ordinis poteſtate potiantur. Cap. X. n. XXVI. & XXX.
Sylverius Papa num intruſus fuerit. Cap. V. n. XXXXII.
S. Sylveſter I. Papa an inſtitutor jejunii Sabbati, & 4. Temporum. Q IV. n. I. V., & VI.
Sylveſter II. Papa quidnam ſanxerit. Cap. X. n. XXXI.

T

Tabula quid in Eccleſia ſignificationis habeat. Q. I. n. XXII.
Taraſius CP. Epiſcopus qualis tempore VII. Synodi. Cap. XI. n. XXI.
Quid contra Simoniacos ſtatuerit. Cap. VII. n. VIII.
Tarraconen. Concilium. Q. II. n. XIII.
Tertullianus Septimius. Cap. IV. n. XXIII., Q. IV. n. II. & IV.
Theodoretus Cyri Epiſcopus. Cap. III. n. XII., IV. n. IV., V. n. XXXIX., X. n. VI., XI. n. I. & VII.
Ejus nonnulla verba interpretantur. Q. I. n. XVII.
Theodorus Cantuarien. Archiepiſcopus. Cap. IX. n. VI. Q. II. n. II.
Theodorus Oxyrinchi Epiſcopus. Caput II. n. XLVII. & XLVIII., X. n. V.
Theodoſius junior Imp. Cap. III. n. II.
Theophanes Hiſtor. Cap. II. n. L., V. n. XIII., VIII. n. XXI.
Theophilus Alexandr. Epiſcopus. Caput XI. n. II. & IV.
S. Thomas Aquinas. Cap. I. n. II. VI. VII. VIII., VIII. n. I. XXII. XL., XII. n. XX. XXI., Q. III. n. I.
Expenditur Cap. II. n. V. & XI., III. n. X., XII. n. VI. & ſeqq.
Thomaſſinus Ludovicus notatus. Q. I. n. VI.
Titulo carentes an ſacris Ordinibus initiari poſſint. Cap. IV. n. XIII.
Titulo tenus Epiſcopi an ordinare valeant, & quo pacto. Cap. IV. n. XIV.
Toletana Concilia. Cap. IV. n. II., III. n. I., IV. n. IX. XVI., V. n. XXXI. XXXIX., VII. n. VII. XXXI. VIII. n. XX. XXIV., XI. n. VI. XIV. Q. II. n. VI. VII. & IX., VII. n. V.
Toloſanum Concilium. Cap. I. n. VII., II. n. XXXII, IV. n. XXIV.
Tournely Honoratus. Q. II. n. I., Cap. V. n. XXX., & VIII. n. XLIII.
Triburienſe Concilium. Caput IV. n. VIII. IX. & X. Q. II. n. XII.
Tridentinum Concilium. Cap. I. n. IV. VI. XI., II. n. IX. XXXVI., IV. n. XIII., XII. n. XXI., Q. VII. n. VII.
Trullanum Concilium. Cap. III. n. XII., XI. n. XIII., Q. II. n. VI.
Turonenſe Concilium II. Cap. IV. n. XI. VII. n. V., & Q. II. n. XII. IV. n. XVII.
Va-

Digitized by Google

V

VAleſius Henricus notatus. Q. V. n. I. & XI.
Vaſquez Gabriel. Cap. I. n. III. VI., II. n. VI., XII. n. I. & IX., notatus Cap. V. n. XXXI., X. n. XXIV., XII. n. XIX. impugnatur. Q. III. n. XI.
Venericus Vercellenſis Schiſmaticus. Cap. VIII. n. XXXI. & XXXII.
Veneticum Concilium. Cap. IV. n. XI. Q. III. n. VIII., alterum Cap. IX. n. IX. & X. n XXXIV.
Vermerienſe Concilium. Cap. II. n. XVIII., IV. n. XIII., VII. n. V.
Vernenſe Concilium. Cap. IV. n. XIII.
Verum, & non ratum Matrimonium. Cap. XII. n. II.
Verum eſt quod legitimum quomodo. Cap. V. n. II.
Vgo Flaviniacen. Cap. V. n. XXIV., VI. n. X. & XI., VIII. n XXXII.
Vgo Victorinus. Cap. I. n. I., notatur Cap. XII. n. III.
Victor III. Cap. V. n. XXIX. & XXXVI.
Vigilius Papa an Simoniacus. Cap. V. n. XLIII., citatur Cap. VIII. n. XV.
Vitiati corpore num apti Eccleſ. Ordinibus, & quinam. Cap. III. n. XIII.
Wigbertus Ravennas Antipapa. Caput VIII. n. XXXI.
Witaſſe Carolus caſtigatur. Cap. V. n. VII. & ſeqq., VII. n. II. & ſeqq., VIII. n. II. & ſeqq., IX. n. X. & ſeqq., X. n. VII. & XXI., XI. n. X. & ſeqq., Q. I. n. V. & ſeqq.
Urbanus II. Cap. V. n. XXXVII., II. n. LVI., VI. n. II. & XII., VII. n. XVIII. & XXX., VIII. n. XXVI. & XXIX., IX. n. VII.
An primus Subdiaconatum dixerit Ordinem Sacrum. Q. III. n. II., & ſeqq.

Z

ZAcharias Papa. Q. I. n. XIX. & XXI., Cap. IV. n. XII.
Zoſimus Papa. Cap. I. n. II., II. n. XXVII., IV. n. XX., & X. n. IX. ac XXVI.

F I N I S.

ER-

ERRATA			CORRIGE
Pag.	*lin.*		
11	12	porerit	poterit
16	18	tertiam	tertium
27	10	Eemiliae	Aemiliae
38	32	malae	male
39	36	n. 16.	n. 26.
41	4	q. 8.	q. 10.
44	18	facimus	facinus
	9	illo	ille
49	2	hoc	alio
50	1	IV.	III.
52	1	IV.	III.
74	1	IV.	V.
76	19	infirmitatis	infirmatis
86	37	urbinam	ubinam
92	37	eſte	eſſe
110	1	V.	VI.
110	4	validaeque	validcque
132	33	Urbano	Urbano II.
143	57	deleantque	doleantque
144	39	VII.	At
163	35	cur, ſpernantur	cur ſpernantur
181	2	ta	ita
182	17	ordinatione	ordinationes
193	2	Chriſoſtomi	Chryſoſtomi
195	12	Sancto	Sancta
197	30	Galicani	Gallicani
200	25	conſecrati	conſecrari
202	7	ſumpſerit	ſumpſerint
	8	Sacerdotali	Sacerdotale
	36	———	§. 7. *Objecta.*
203	28	tranſgreſtorem	tranſgreſſorem
	16	admittatur	amittatur
205	5	aeconomiae	oeconomiae
212	20	traslatione	translatione
214	9	Oſpuſc.	Opuſc.
215	31	Machinaeum	Manichaeum
218	17	actio, non	actio non
227	8	qui e vere	quievere
234	1	titulis, Epiſcopi	titulis Epiſcopi
252	16	moderantur	moderaretur
277	13	Diaconis	Diaconi
285	11	Urbanii	Urbani
288	19	Subdiaonibus	Subdiaconibus
299	10	confimat	confirmat
309	32	Setxae	Sextae
310	15	Paleſtina	Palaeſtina
311	8	exiſtimarunt	exiſtimaſſe
339	17	*proderit*	*poterit*
342	23	*Donatiano*	*Donatiani*

005677241

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google